This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

C 433.31

Harvard College
Library

FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

379
99

4°5520

Pallavicino
m. 24.418

Digitized by Google

Horcia Palamicini Vindicat: soc: Jesu

Digitized by Google

VINDICATIONES SOCIETATIS IESV

Quibus multorum accusationes in eius institutum, leges, gymnasia, mores refelluntur.

AVCTORE

SFORTIA PALLAVICINO

Eiusdem Societatis Sacerdote.

ROMAE,
Typis Dominici Manelphi. M.DC.XXXXIX.

Superiorum Permissu.

Digitized by Google

C435.31

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY APR 16 1964

VENERANDIS PATRIBVS AD GENERALIA SOCIETATIS IESV Comitia conuenientibus fœlicitatem.

MVNVSCVLVM haberis a me, Religiosissimi Patres, quo nullum alicui oblatum aut libentiùs, aut dolentiùs. Alterum efficit summa in Coetum vestrum reuerentia, quippe qui Ordinis nostri, est ampli tanquam corporis, caput simul, & corona. Alterum funestissima eiusdem in Coetus causa, obitus Vincentij Carafæ, quo nemo mihi aut carior, aut cultior inter mortales. Absit adulatio illa, quantum veteri Poëtæ corona, tantum eadem & vestris auribus, & nostris mentibus absona: fata non alia mihi venturis vobis inuenere viam, nil vltra de recenti iactura nos queri. Post maximi syderis occasum, quamuis reliqua omnia Cœli lumina conueniant, Mundum non satis exhilarant. Per iucundum oppidò paratur mihi theatrum domesticæ virtutis, & gloriæ, dum oculis meis conspicere licet in vobis quidquid præcipuum sapientiæ, pietatis, laborum, palmarum in Ignatij progenie circumspectare gestit Cœlum mihenis suis. At hoc ipsum theatrum, quando mihi nunc apparet optimâ

parentis atratum Jugubribus, vberiorem ex meis oculis fletum elicit, quàm voluptatem. Ita Natura nos ad mœrorem effinxit: Ipse superstitum bonorum quantumuis ingentium aspectus, si amissi cuiuspiam boni admonet, non tam delectat, quàm contristat. Nec ego quemquam ex vobis intuor, quin & virtutis similitudo, & amoris coniunctio aliquod mihi defuncti patris simulacrum repræsentet. Is mihi vindicias hasce Societatis nostræ demandarat: hoc est patrono vt cæterâ indiserto, sic strenuè gerenti telum illud cui nullum æquale in rhetorum officinis, bonæ causæ fiduciam: Quando id primum id summum Oratori ad obtinendum apud alios, anteà se, iudice obtinuisse. Porrò si quis forte in his de Instituto nostro disceptationibus Scriptorem quærit omni præiudicio vacuum; is mea non legat: legat verò quicumque stylo delectatur Scriptoris animum referentem, non simulantem. Mihi sanè tam fixum est, probum esse quod tenemus regimen Societatis, vt eam perficere diuinum muneris esse arbitrer, in singulorum animis expoliendis, non humanæ prudentiæ in communibus sanctionibus emendandis. Qui Societatem, vt humana omnia infrà culmen summæ præstantiæ conspicatus, alijs eam constitutionibus promouere cogitauerit, similiter faciet ac si quis in hac rerum procreatarum Republica multa reprobans, multa desiderans, antiquas ob eam rem Naturæ leges corrigẽdas arbitraretur. Vbi electionis arbitrium, non necessitatis impetus dominatur. Munichæum est, vniuersitatis labes imputare gubernatio-

tioni. Equidem grandior natu hanc Familiam inui, adeoque complures mortalium conditiones quà in me, quà in cæteris anteà expertus, & scilicet gnarus, quàm veræ sint clamydatæ illæ vel imperitantium sollicitudines, quæ vulgò aut declamatorum amplificationes, aut poëtarum miracula existimantur. Quæsiui proinde tunc mihi, non terrestrem Paradisum, vtpote quem noram vel antiquâ eluuione deuastatum, vel cælesti gladio custoditum; sed stationem minimè omnium inter mortales æruminosam. Nec electione frustratus: quando non alia mihi ad hanc horam nota vel innocentior, vel tranquillior, vel optabilior. Parum abest quin dicam, ignoraturum me, inter humanas affectiones ægrimoniam esse, nisi aut alibi aliquando fuissem, aut nunc alios audirem. Video id assignari posse caritati propemodum singulari qua semper in sinu, indulgentiaque Societatis sum educatus; Sed vbi Cœlum insalubre ne regalis quidem victus probè nutrit. Illa ergo vindicationum conscriptio, quæ magno stare solet defensoribus, mihi non amplius laboriosa, quàm vt hæc ipsa quæ perennioribus longè literis impressa gerebam in mente, transcriberem quasi librarius in paginas. Has ego paginas qualescumque vobis dono, quin veriùs soluo; vtpote in quos omne ius Vincentij Carafæ, cuius imperio illas debebam, multà cum accessione translatum veneror. Si qua vero soluenti remunerationis petitio per vestram bonitatem licet, remunerationem peto maximam simul ac minimã. Maximam profectò, quando

Digitized by Google

do nihil maius aut mihi in votis, aut vobis in potestate; Minimam verò, quando nihil minus concedi potest, quàm, quod præstare vsque adeò concedenti placet, vt prætermissionem potius nullis precibus concederet. Ea tandem hisce duobus constat. Primum est, vt vos mihi pro veteri Societatis Institutione retinendâ causam dicenti non tam plausores habeam, quàm suffragatores; Nimirum ex aliorum iudicijs approbationem, vestrâ ex Vrna, victoriam expecto. Alterum, vt Moderatorem eiusmodi renuncietis qui ex Vincentio Carafa nõ luctum sinat manere superstitem, sed virtutem. Per hæc duo egregiè pariter suprema grati animi officia aduersùs parentis meritissimi cineres cumulabitis. Nam quod spectat ad primum, in hoc iudicio Vincentium ipsum ceu litigatorem agnoscite: ego tantùm ab eo aduocatus tribunal non tam popularis famæ ad assentiendum quàm vestri Senatus ad decernendum compello. De secundo autem, id optimi Præsidis est, morientem nil vehementiùs desiderare, quàm eiusmodi Successorem per quem nihil ipse desideretur.

Digitized by Google

FLORENTIVS DE MONTMORENCY

SOCIETATIS IESV

Vicarius Generalis.

CVm opus inscriptum, Vindicationes Societatis Iesu, à P. Sfortia Pallauicino eiusdem Societatis Sacerdote compositum aliquot nostri Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur, si ijs, quorum interest, videbitur: cuius rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, sigilloq. nostro munitas damus. Romæ 6. Iulij 1649.

Florentius Montmorency.

Imprimatur: si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apost.

A. Riualdus Viceſg.

EX commissione Reuerendiss. Patris Fr. Vincentij Candidi Sacri Palatij Apostolici Magistri vidi, & summa voluptate legi librum Adm. R. Patris Sfortiæ Pallauicini cui titulus est Vindicationes Societatis Iesu. In eo nil reperi fidei, aut bonis moribus absonum. Imò, dum opponentium agmina graphicis similitudinum coloribus eludit; & acutissimis argumentorum iaculis exauciat, ac instructis rationum propugnaculis arcet, ad omnem securitatem arcem construit munitissimam, atque sanctam Iesu Societatem Vineam Domini electâ sepe ita circundat, vt iam amplius serpere infidiates minime valeant: & quod maius est, legentes mirificè allicit rapitque, fateor (sic me experiente) mira suauitate in Societatis dilectionem cogit, quapropter dignissimum censeo typis mandari.

Fr. Ambrosius Viola Ord. Prædic. Epiſc. Laquedonenſis manu propria.

Imprimatur: Fr. Raymundus Capizuccus Mag. & Socius Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi, Ord. Prædic. Sacri Pal. Apost. Mag.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

Capitum.

Cap. I. *Discrepantes in Societatem Iesu hominum affectiones, & aliquæ illarum causæ.*

Cap. II. *Duæ obtrectatorum Classes in Societatem alteros negligimus, alteros scripta repellimus. & qua de causa.*

Cap. III. *Propositum operis.*

Cap. IV. *De fine, quem sibi Societas Iesu præstituit, & quomodo per eum ab alijs Religiosis Ordinibus distinguatur:*

Cap. V. *De præstantia huius finis quem Societas Iesu sectatur.*

Cap. VI. *De nomine Societati Iesu.*

Cap. VII. *Num consultius fuisset, aliqua nominatim opera sibi deligere, quàm vniuersa quæ ad propriam alienamque salutem per se pertinent indiscriminatim complecti.*

Cap. VIII. *Proponitur accusatio in Societatem, quòd horas Canonicas communi tantu in Choro non recitet sicut aliæ Religiosorum familiæ: & quomodo hæc accusatio sit probè examinanda.*

Cap. IX. *Num ad prædictam regulam probanda an improbanda sit in Societate Iesu psalmodiæ prætermissio.*

Cap. X. *An, quòd neque tirones occupationibus vacuos, nec veteranos quosdam otio indulgentes Societas per psalmodiam exercet, credenda sit eam omittere non tanquam alijs occupata, sed auersata: & plura de mutatione legum.*

Cap. XI. *An Societas Iesu aptis vijs ad propositum sibi finem tendat. Et primùm de tironum vacatione à studijs, eorumque solitudine.*

Cap. XII. *Cur Tirocinium Societati, quàm alijs religiosis familijs diuturnius.*

Cap. XIII. *De molliori tironum nostrorum educatione quàm aliqui nobis obiectant: vbi etiam de communi victu Societatis.*

Cap. XIV. *Examinatur postrema criminatio circa tirones super*

torum admissione inuitis consanguineis: ubi quàm felix in Societate sit vita.

Cap. XV. *An ritè Societas discesserit ab aliorum Ordinum more, dum expleto tirocinio consecrat suos per vota simplicia dissolubilia, & non æque mutuò obligantia.*

Cap. XVI. *Num prudenter, & appositè ad suum finem Societas instituerit hunc vouendi ritum expleto bienni tirocinio; vbi multa de quodam libello, qui Ioanni Marianæ tribuitur, ex quo desumuntur rationes obiectæ: Et in vniuersum, an prudenter, modestèque ab alijs Ordinibus in suo instituendo Ignatius discesserit.*

Cap. XVII. *Confutantur rationes prædictæ, aduersisque rationibus vtilitas huiusmodi institutionis demonstratur.*

Cap. XVIII. *An opportunè Societas latinitatis & humaniorum literarum disciplinam asciuerit; proponuntur obiectæ rationes.*

Cap. XIX. *E republica esse humaniorum literarum disciplinam nobis commendari, prebatur primùm consensione populorum, & fructu.*

Cap. XX. *Occurritur rationibus obiectis capite 18. contra humaniorum disciplinarum traditionem à Societate suscepta quasi literis incommodam. Et exquiritur, vtri magistri vtiliores, priuati ne an publici.*

Cap. XXI. *An eloquentiæ disciplinæ vtilius ab externis quàm à nostris curentur. Vbi, an iure incusemur, quasi Tullianam Virgilinamque imitationem negligentes.*

Cap. XXII. *Narratur causa irarum Iulij Scotti in Societatem. Excutiuntur aliqua eius effata aduersùs magisterium nostrum in humanioribus literis, ac præsertim, quòd longior mora in grammatica, quòd præstantium scriptorum interpretatio & imitatio neglecta, quòd argutiolæ auidius quæsitæ, quòd obscuritas amata.*

Cap. XXIII. *An Societas satis consultò negotium susceperit pueritiæ latinitatem docendæ.*

Cap. XXIV. *De studijs sublimiorum disciplinarum; & primùm, an Societas reprehendenda sit quòd nimis Aristotelem colat in philosophia.*

Cap. XXV. *An Societas argui mereatur ex nimia in philosophan-*

phandi nouitate licentia. Vbi, an reprehendendi simus, quod nemini addicti, quod in contextu Aristotelico explanando, & in præcipuis pulcherrimisque quæstionibus omissiores, in superuacuis ac nouis nimij.

Cap. XXVI. An vsus dictandi in philosophicis gymnasijs retinendus sit.

Cap. XXVII. Cur non saltem in Theologia certum auctorem sibi Societas præstituat: & an reprehendenda seu nouatrix aut absolutè aut comparatè ad alias sodalitates.

Cap. XXVIII. An sit compescenda inanitas quæstionum, & subtilitas ratiunculorum in Theologia Scolastica societatis.

Cap. XXIX. Coercenda ne sit in Societate nimia edendorum librorum intemperantia. Vbi quanti sit, qualemcumque mediocritatem in literis non aspernari, sed fouere.

Cap. XXX. De Tertio probationis Anno. deque illius vtilitate multiplici.

Cap. XXXI. De graduum discrimine in Societate.

Cap. XXXII. Diluitur prima accusatio, quòd non semper digni professionem obtineant.

Cap. XXXIII. Diluitur contraria accusatio quòd largius agatur in professione deferenda.

Cap. XXXIV. Expeditur altera ratio ab Aduersarijs petita ex periculo in honestæ mendicationis in Sacerdotibus à Societate dimissis.

Cap. XXXV. De Regula Societatis super detegendis aliorum arcanis culpis.

Cap. XXXVI. Num ratum sit votum quo professi spondent, si adigantur ad Ecclesiæ cuiuspiam regimen, audituros se consilia Præpositi Generalis, eademque si meliora sibi videantur quàm quæ ipsis occurrerant, executuros. Et primùm examinatur, num liceat hor Societatis votum editis libellis oppugnare.

Cap. XXXVII. An prædictum votum Episcopos Præposito Generali subiectos jaciat; vbi multa super natura iurisdictionis.

Cap. XXXVIII. Aduersarij Rationes capitulatim reponuntur & examinantur.

Cap.

Cap. XXXIX. *Examinatur altera Decisio Adversarij, cuius titulus est.* An si huiusmodi votum haberet suam validitatem, obligaret Episcopos assumptos ex eadem Societate.

Cap. XXXX. *Cur Societas hoc votum exigat à suis Professis.*

Cap. XXXXI. *Cur nostri nullas dignitates externas ne sacrat quidem admittant nisi praecepto compulsi: vbi generatim an earum repudiatio viris probis sit honesta, & an materia voti prudenter à multis exigendi.*

Cap. XXXXII. *De absoluta vnius potestate: & cur ea perpetuam fecerit controuersiam Societatis Instituto; multique ex nostris eam voce improbauerint, re vniuersi retiuuerint.*

Cap. XXXXIII. *Aliqua generatim de Monarchia, & Aristocratia: vtriusque praecipua commoda, atque incommoda*

Cap. XXXXIV. *Explanatur quaenam, & quanta sit Praepositi Generalis in Societate Iesu potestas, quibusque temperamentis contracta. Tum inquiritur quaenam sint leges in Societate per quas caeterarum custodia incolumis perseuerat.*

Cap. XXXXV. *Temporarius ne an perpetuus supremus Praeses optabilior sit. vbi generatim cui nam rationi praefectorum haec vel illa conditio magis congruat.*

Cap. XXXXVI. *An munerum distributiones melius committerentur Comitijs Prouincialibus, vel Vrbanis, quàm Generali Praeposito, vel Prouincialibus ab eo creandis.*

Cap. XXXXVII. *An aliqua ex parte Societas Iesu à pristina virtute deseiuerit.*

Cap. XXXXVIII. *De quatuor potissimis, quae nobis obiectantur in communi, ac primum de superbia.*

Cap. XILX. *De criminatione auaritiae.*

Cap. L. *De communi victu cultuque Societatis. Num durior ad Dei gloriam conduceret. Quanti sit, in hanc familiam honesti generis pubem legi.*

Cap. LI. *De negotiorum externorum, adeòque Principalium frequentia.*

Cap. vltimum. *De multiplici Societatis exulatione ex varijs Europae Regnis.*

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM

Diſcrepantes IN SOCIETATEM IESV

Hominum affectiones, & aliquæ illarum cauſæ.

NVLLVS Mortalium coetus recentibus hiſce ſæculis ab hominum genere tantum fauoris expertus ac Societas Ieſu; nullus æquè tantum inſectationis. Eadem immortaliter collaudata, eadem acerbiſſimè reprehenſa. Alij hunc Ordinem quaſi collapſæ virtutis, adeòque pietatis reſtitutorem liberalius extollunt: eundem alij ceu Chriſtianæ Reipublicæ corruptelam ac morum peſtem execrantur. Sed hæc, quæ tam inter ſe pugnantia, ac proinde mira videri poſſent, re ipſa potius cognata maximè ſunt, & conſueta. Nempe quando hominum animi ſententijs, ac ſtudijs, plus quam corpora regionibus diſſident; ſumme quibuſdam placere, ac probari, ſummam aliorum auerſationem, atq; improbationem ominatur. Tepidum porrò ſi quid eſt, algentes iuxta, atque æſtuantes parum recreat, nihil offendit. Contrà ignis præferuidus qua cauſa illis gratiſſimus, eàdem his infenſiſſimus eſt.

Accedit inſita quædam humanis ingenijs libido certaminis, ac diſſenſionis. Vbi alios in vtramlibet partem vehemen-

tiores videmus, confestim in alterius patrocinium inuolamus; non tam, vt propugnemus, quam vt pugnemus. Ita & summas vel flagitiosorũ calamitates miseramur, publicam in eos vltionem, ceu immanitatem damnantes; & vel Heroum prosperitatibus allatramus dum virtutis præmia fortunæ dicimus prodigentiam.

Sed hæc communia sunt. Aliæ conueniunt causæ magis propriæ, quæ hanc Societati Iesu inuidiam conflant.

Prima est Instituti nouitas, legesque magna ex parte ab alijs religiosis Ordinibus differentes. Ita enim comparatum est mortalium ingenium vt plerique consuetudinem à naturâ nihil seiungant. & quod factum antea non est, id omne, inficientur vel fieri posse, vel debere. Quasi verò hæc ipsa, quibus nunc venerationem conciliat antiquitas, potuerint non aliquando esse noua: quasi vt varijs ætatibus, ita pum; varijs morbis, pharmacorum; sic varijs temporibus, atque euentis sanctionum varietas non debeatur. Ne ipsæ quidem iudiciariæ leges à Deo positæ in veteri testamento retinendæ fuerunt consequentibus sæculis; neque vllus tam dedpicatus ac rudis est pagus, cuius incolæ citra reprehensionem suo municipali iure non multum recedant à veteribus illis sapientissimorum iurisprudentum placitis, quibus Romanum imperium stabat, ac regebatur. Qua de re quoties cogitatio mihi recurrit, toties in mentem redit quod olim ab insigni philosopho sapienter dictum audiui: Seniorum quidem consilia quàm iuniorum præhabenda; Ita est inquit: quid tamen? cum ipse mundus consenescat in dies, hoc ipso iniquissimum erit vetera nostris anteferre, hoc est iunioris mundi sententias reuereri, nostri contemnere quasi iam senio delirantis. Ita ferme disputabat ille, nec acutius, quam verius. Ingens vtique pro se præiudicium habent vetera, non tamen ab ipsa vetustate. Quæcumque enim æterna non sunt, vtique ad varias ætates comparata, recentium iusta, atque antiquorum titulum nanciscuntur: sed hoc pro veteribus præiudicium vsus atq; experimentũ præstat, sine cuius suffragio, quæcũq; vel speciosissima temerè probantur si absq; suspicione probantur. Ideo cum de Ignatij instituto confirmando agi cæptum est, prudenter Paulus III. se difficilem

præ-

præbuit: prudenter, licèt post exquisitum examen nihil in eo non probabile deprehenderetur, ita confirmauit vt illud anguſtis ſexaginta omnino ſociorum quaſi cancellis includeret. Quos cancellos non prius laxari placuit quàm, quod ratio cogitantibus iam ſuaſerat, hoc ipſum poſtea ſucceſſus experientibus perſpicuum redderet. Hæc ſcilicet cautio nouitati quantumcunq; ſplendidæ pellaciq; debetur. At vbi nouis inſtitutis, & ſummorum magiſtratuum adſtipulatur auctoritas, & experientiæ teſtificatio ſauet, in illis porrò nouitatem quaſi labem arguere oculi eſt aut inuidentia liuidi, aut hebetudine caligantis. Quando & artes ipſæ tum quæ ad viuendum, tum quæ ad fœliciter viuendum inſtitutæ, adeò perficiuntur atque exaugentur quotidie, vt ex ipſa præſentis Mundi ſupra veterem excellentiâ, eum aliquando puerum, ac proinde aliquando natum non ſemper ſenem, atque æternum fuiſſe, contra Ethnicos conficiatur.

Haud tamen eo ſpectat oratio noſtra, vt recentem hanc Societatem anteferamus longæuis, præclariſque religioſorum Ordinibus, qui Doctoribus Eccleſiam, Paſtoribus Ciuitates, Rectoribus Vaticanum, Diuis Cœlum ornauere. Sed licet meritiſſimò roſam florum reginam ſalutaueris, haud propterea tulipas, aliaſque nouas recentium hortorum delicias repudiabis; noſtraque floraſia vniuersè veteribus poſt habebis. Ita ſe res habet. Amœniſſimus Eccleſiæ hortus, quamplurimis vtique ijſdemque lectiſſimis floribus antea nitebat: interſeuit Ignatius noſter floſculum ſuum, non qui cum illis de venuſtate, atque odore certaret, ſed qui nec inuenuſtus ipſe, nec fœtens, qualemcumque varietatis ornatum conferre poſſet. Alia ſiquidem longè ſunt hæc duo: res nouas veteribus eſſe minores, ac eaſdem eſſe ſuperuacuas ita, vt veteribus vel incommode, vel incaſſum accedant.

Neque minus valet ad multorum odium in Societatem inflammandum rei familiaris amor, & cura, quæ vti neceſſitatis filia eſt, ita & cæteris curis acrior, & communior. Huius ſuaſu cognatorum funera ab hærede numerantur in lætis: per hanc inter fratres plus valet communio poſſeſſionis ad odium, quam ſanguinis ad amorem: hæc denique inter hoſtes collocat non modo eos per quos patrimonium decre-

scit, sed per quos fit ne succrescat. Cum ergo Societas octodecim facilè hominum millia complectatur, quantumuis moderate viuat, ac parcè, quis non intelligit quantum exigat rei pecuniariæ ad mensam, ad cultum, ad supellectilem, ad habitationem, ad studia. Id autem omne liberaliter suffectum est nobis proximo sæculo, & continenter sufficitur partim ex munificentia Principum, partim ex priuatorum stipe ac largitate. Hinc multa odiorum seges. Nulla enim inter homines ex propinquo affulget aut hæreditas aut largitio, quæ vna cum sit, multos non trahat procos eam sibi opinione certissima despondentes. Ideò quicumque illam sortitur,, quasi alienorum raptor inuisus est multis: hi autem scœnicum illum loquacissimum extra fabulam imitantur, qui cuiuscunque sibi interfati voculam ceu loquacitatem criminatur. Non aliter isti; quò ipsi auaritiâ immoderatiùs flagrant, eò petulantius eandem suæ pecuniariæ spei vel competitoribus, vel frustratoribus imputant. Perinde ac si lucri ad luxum ingluuies, virtus, necessarij conquisitio ad vitam, auaritia vocanda sit. Cum tamen reputare potius deberent, Societatem plurimùm constare ex ea hominum conditione, qui nisi religiosæ humilitati manciparentur, longè sumptuosiùs quam hic in profana Republica degerent, & per connubia stirpem propagantes, opulenta patrimonia quæ nostri plerumque in consanguineos transcribunt, sibi viuentes retinerent, morientes verò ad suos, non ad alienos posteros demandarent.

Alios laudum, atque honorum percupidos acuit in Societatem possessio hæc tam ampla insignium gymnasiorum, & (quemadmodum ipsi clamant) Regnum docendi: in quo Regno alij pariter eminere possent nisi primas sedes vbique gentium Societas occupasset. Sed huic malo remedium in promptu est. Quomodo enim eiusmodi munera ante hac obtinebantur ab alijs, quos porrò Societas per doctrinæ præstantiam, & in excolendis discipulis diligentiam atque integritatem excluserit, satagant ipsi vicissim, vt eisdem artibus Societatem loco pellant. Scilicet hæc duo certissima sunt.

Alterum est, Principes, & populos nunquam vniuersè allucinari. Nihil enim certius in philosophia quàm quod omnibus

nibus ita videtur. Alioquin quid ni ſuſpicemur, Naturam omnium oculis illuſiſſe, ita vt quæ re ipſa ſunt alba, nigra inſpectantibus iudicentur?

Alterum eſt, id plerumque mortales eligere, quod ſibi conducibilius putant: ac proinde non alijs commiſſuros prouinciam hanc, in qua ſalus, ac fœlicitas Reipublicæ vertitur, niſi quos optimos iudicauerint.

Cæterum reuerâ nec maxima, nec præſtantiſſima pars eiuſmodi munerum Societati adſcripta eſt; niſi quod, inuidentium oculis ſemper alienæ poſſeſsiones grandeſcunt, merita extenuantur. Nihil Societas in Pontificio, vel Cæſareo Iure exponendo verſatur, hoc eſt in facultate nummorum iuxta, atque honorum fœcundiſsima; nihil in medicina. Quin etiam plurimæ, illæque clariſsimæ Europæ Academiæ vel è Societate Magiſtros aſciſcunt nullos, vel certè non ad primarias Cathedras; quippe competitoribus expoſitas; cum tamen nemini ſe competitricem opponere Societati liceat per domeſticas leges. Demum quam pauciſsimæ Ciuitates numerantur celebrioribus gymnaſijs inſtructæ, quæ plures extra Societatem præceptores non conducant etiam pro tradendis politioribus literis, vel contemplatricibus diſciplinis.

Verumtamen aliâ ex parte penſandum eſt, ex eiuſmodi viris Societatem coaleſcere, qui niſi nuncium humanis honoribus remiſiſſent, quot, rogo, præfecturas, quot ſacerdotia, quot inſulas, adeoque etiam purpuras (quas non niſi rariſsimi ex noſtris, iique põtificio imperio adacti induunt) occuparent? His muneribus multi exijs, qui nunc honeſtantur, eorum beneficio honeſtantur qui nudum Ieſum in Societate complexi, alijs hæc expoſita dereliquerunt.

Sed quæ hic prætereuntes attingimus, poſtea vberiùs in progreſſu operis diſputabuntur.

Digitized by Google

CAPVT II.

Duæ obtrectatorum Classes in Societatem alteros negligimus, alteros scripto repellimus, & qua de causa.

INterim vt consilij nostri rationem in ipso vestibulo, amice lector, intelligas; duas porrò obtrectatorum classes in Societatem obseruaui. Alteri quidem singularia quædam opponunt crimina, quasi certis quibusdam, designatisque temporibus, ac locis ab nostris sodalibus perpetrata. Hos quidem disputatione reselleré nihil attinet. Vbi enim de factis contenditur, testibus, ac tabulis potius, quam rationibus agere oportet; quos vtique testes, tabulasque cum aduersarij non proferant, sed ijdem qui tanquam accusatores, adeòque inimicitiam professi Societatem aggrediuntur, testium quoque sibi arrogent fidem; nil opus est defensore, nisi forte apud corruptos iudices, apud quos adhuc nulla posset esse defensio tam aperta quæ reum absolueret.

Alteri porrò Societatis instituta, regulas, consuetudines vniuersè reprehendunt; priuilegia, immunitates, facultates, quibus à Petri Successoribus munita est, in Christianæ Reipublicæ perniciem cedere vociferantur; fructum ex eius laboribus aut nullum existere, aut leuiorem detrimento, certè longè tenuiorem, quam vt is operæ pretium sit pro tam ingenti redituum, munerum, ac priuilegiorum sumptu.

Hanc ego alteram accusatorum cohortem repellere aggredior; sed ità repellere, vt celebre illud inculpatæ defensionis moderamen à iure præscriptum quàm religiosissimè seruem. Statutum mihi est nos tutari, nemínem carpere, nec dissimulanter quidem; nullius laudem eleuare; de accusatoribus ipsis honorificentius eloqui quàm causæ patrocinium postularet adeorum fidem enervandam; adeoque non nisi inuitissimus, ac balbutiens, vbi per necessarium fuerit, eorum labes indicabo: ad summam clypeo libet depugnare nõ gladio. Hanc enim lenitatem & Christianæ caritatis doctrina mihi suadet, & scilicet magnanimum quoddam vindica-

tionis

tionis consilium à timore ac sordibus remotissimum. Fateor enim puderet me Ordinis, in quo versor, & quem grandæuus iam, ac diu meditatus elegi, si is ille sit, qui illaudatum se metuat, nisi alij sint illaudabiles; siq; innocentiam suam comprobare se posse non speret, nisi nocentes fuerint accusatores.

Scio equidem ita sentire permultos, eiusmodi in Societatem insimulationes silentio validius frangi, quam calamo; eiusmodi turbinum sibila si nihil aduersum obtunserit momento præteruolare, vix noxia, vix audita; contrà, si quid durius obstiterit, vires conduplicare, fragorem, ac ruinam edere ingentem.

Hæc tamen vel inertium dictata sunt, quibus otium pro prudentia; vel infida osorum consilia, qui dum quasi inutili armorum pondere Societatem per beneuolentiæ speciem exonerare student, eandem inprotectam hostium telis exponere moliuntur. Silentio haud quaquam, sed calamo catholica veritas aduersùs impiorum vesaniam à sanctissimis Ecclesiæ Patribus propugnata semper fuit; neque contemptricem taciturnitatem præ validâ pugnacique scriptione habuerunt summa illa recentium sæculorum oracula Thomas, ac Bonauentura, vt præstantissimas Prædicatorum, ac Minorum familias nouitatis inuidia tum pariter laborantes ab incessentium maledictis tuerentur. Quid per se venerabilius, quid supra calumniæ ictum excelsius, quàm ipsa Diuinitas? Neque tamen viri sanctimonia, ac sapientia maximi per omnes ætates superuacaneum duxerunt diuinam in humanis rebus procurationem à sacrilegorum accusationibus vindicare. Scilicet nulla veritas tam dilucida, quam eloquium ingeniosè maleuolum sophismatum laruis non inobscuret: tum vero nulla lues adeò humanæ mentis diuinum lumen obtundit, quàm fumosum illud perturbationum par, non humanis tantum, sed angelicis excidijs nobilitatum, superbia, superbiæue gemina inuidentia. His iudicibus damnationem timet non tam quodcumque non nocet, quàm quodcumque non iacet. Ipsa probitatis Excellentia discrimẽ auget potiùs, quàm arcet. Nec vllum est Virtutis fastigium cui superuacuum impendium sit patronos conducere.

Age

Age verò, quid apertius, quid sensuum omnium consensione magis confessum, quàm corpora loco moueri, nec continenter quiescere? Aristoteles tamen, hoc est philosophus atramenti nihil profusus, non adeò Zenonis id inficiantis argumenta contempsit, vt benè longam disputationem in ijs enodandis non consumpserit. Sontium est, vt cumque silentio iudicium præfocare potiùs quàm defensiones illas quibus iure diffidunt experiri. Innocentia diem sibi dici adeò non reformidat, vt petat; eaque, bonus veluti gladius, dum pugnat, tum clarius micat. Non id voti nobis est, vt aduersantium criminationes spretæ exolescant; audiantur potius, legantur, expendantur, conferantur cum vindicationibus nostris: nullam hinc Societati veremur famæ iacturam, nisi apud homunciones nescio quos, quibus pro eodem sit, non esse immunem ab accusatione, atque à culpâ: cum tamen quicumque sapiunt, & quorum dumtaxat existimatio & in pretio esse debet, & rationibus venalis est, probè norint, homines ceu marinas aquas non aliter nullo flatu percelli, quam si non emineant; vnumque, atque idem esse, in tranquillo, atque in profundo manere.

CAPVT III.

Propositum Operis.

NEque tamen ita Ordinis mei causam assumo, vt Oratorum more omnia in eo excelsa, illustria, perfecta esse contendam, quasi aurum æruginem nescius, purpuram maculis inuiolabilem. Non tam præclarè cum rebus humanis agitur, vt in hac Adami fœce Platonis Respublica extra cogitationem ac simulacra versari possit. Id tantùm fidenter aio, mihique demonstrandum impono: Societatem Iesu eam esse hominum familiam, cuius, vt inter mortales, Catholicam Ecclesiam pœnitere non debeat; quæque plurimum adiumenti ad benè, beatequè viuendum humanæ Reipublicæ conferat.

Vni-

Digitized by Google

Vniuerſa defenſio ad inſtituti, legum, ac morum examinationem ſpectabit; vt duo euincam: videlicet, peculiarem finem quem ſibi Societas propoſuit, eximium eſſe, plurimumque diuinæ gloriæ, atque humanæ vtilitatis in eo contineri: tum verò vſam eſſe Societatem legibus, inſtitutis moribus ad eum finem quærendum peropportunis.

Ea duo ſi luculenter oſtendero, confeſtim liquebit, iura atque immunitates, quibus Romanorum Pontificum liberalitas Societatem auxit, non tantum fuiſſe dona, ſed arma, quibus noſtra cohors à Vaticano inſtructa, ſtrenuè, ac feliciter militet Vaticano. Quamobrem, qui Romano Pontifici auctores ſunt vt Societatem collatis hiſce prærogatiuis exſpoliet, perinde faciunt, ac ſi quis Regi cum immaniſſimis hoſtibus belligeranti ſuaderet, vt legionem fide integerrimam manu promptam telis atque armis exueret ad ærarium locupletandum.

In vniuerſo autem Opere ſuffragatorem mihi adopto atque polliceor Theologum non Theologorum modo, ſed ingeniorum à multis ſæculis facilè principem, Diuum Thomam. Hic enim vir ille eſt, qui cum in omni ſapientia tantus extiterit, vt Io: XXII. pronuntiauerit, ſtruſtra eius miracula exquiri, quò Sanctorum faſtis adſcriberetur; quando tot edidit miracula, quot articulos; in ea tamen præcipue doctrinâ quæ ad actus, ac mores humanos pertinet, diuinus eſt viſus. Equidem vbi Theologicæ Summæ ab eo conſcriptæ Secundam Partem humana hæc edocentem lego, enimuerò ſuperbire mihi videor conditione mortalitatis noſtræ, cuius acies tantum cernere potuerit, quantum vix de immortalibus mentibus credibile videretur.

Atque, vt omnis arceatur ſuſpicio ne ipſe mala fide non tam Diuum Thomam ductorem ſequar, quam eumdem inuitum in meas partes audacius pertraham; & tanquam vetus illud, *ipſe dixit*, de hoc Chriſtiano Pythagora alicubi fraudulenter vſurpem, ipſa eius verba diſertè proferam; niſi forte res ipſa fuerit adeò per ſe comperta, vt putidum eſſet, quod Tullius ait, in re non dubia vti teſtibus non neceſſarijs. 2o. Of.

Digitized by Google

CAPVT IV.

De fine, quem sibi Societas Iesu præstituit, & quomodo per eum ab alijs Religiosis Ordinibus distinguatur.

VT cuiuspiam rei probitatem ac pretium æstimemus, primum inspicere oportet, quid nam eius proprium sit ac præcipuum quo ab alijs rebus secernatur. Per ea enim quæ cæteris communia sunt, nulla res humano generi aut valdè vtilis, aut, quod vtilitatis præmium est, valde laudabilis.

Ante omnia igitur exponendum est, quænam, & quanta sit Societatis Iesu ab alijs religiosis ordinibus differentia. Id verò dignosci stabilirique non potest, quin prius in communi videamus quænam ea sint per quæ religiosi ordines mutuò diuiduntur; & vtrum diuisio eiusmodi proficiat Christianæ Reipublicæ. Quocirca veniam mihi dabis, lector, aliqua in hoc capite vniuersè præfandi de religiosorum Ordinũ atque adeo de artium, & exercitiorũ multitudine ad mortalium felicitatem necessaria vel conducibili, quæ, vti spero, nec ingrata prorsus occurrent, nec vulgata. Vix enim aliter examinari ritè possunt quæ super nouitate instituti nostri passim inuidiosèque iactantur in vulgus.

S. Thomas vbi disputat: *An sit vna tantum Religio vel multæ*, 2. 2. q. 188. art. 1. sic habet. *Status Religionis est quoddam exercitium ad perfectionem caritatis. Sunt autem diuersa caritatis opera, quibus homo vacare potest. Sunt etiam diuersi modi exercitiorum. Et ideò religiones distingui possunt dupliciter: vno modo secundum diuersitatem eorum ad quæ ordinantur; Sicut vna religio ordinatur ad peregrinos hospitio suscipiendos, & alia ad visitandos, vel ad redimendos captiuos. Alio modo potest esse diuersitas religionum; puta quod in vna religione castigatur corpus abstinentia ciborum, in alia per exercitium operum manualium vel per nuditatem, vel per aliud huiusmodi. Sed quia finis est potissimum in vnoquoque, maior est religionum diuersitas quæ attenditur secundùm diuersos fines ad quos religiones ordinantur, quàm quæ attenditur secundum diuersa exercitia.*

Hanc

Hanc Religiosarum sodalitatum distinctionem idem S.Thomas Articulo laudato ait pertinere ad ornatum Ecclesiæ, vt scilicet sit *circumamicta varietate*, quemadmodum habetur in psalmo 44. Et cùm quarto loco sibi obiecisset, ex multitudine Religionum oriri posse confusionem in Ecclesia, ita soluit. *Confusio opponitur distinctioni, & ordini. Sic igitur ex multitudine Religionum induceretur confusio, si adidem, & eodem modo diuersæ Religiones essent absque necessitate, & vtilitate. Vnde vt hoc non fiat, salubriter institutum est, vt noua Religio nisi auctoritate Summi Pontificis instituatur.*

Hæc est Diui Thomæ doctrina, super religiosorum cætuum diuersitate modo remotiore, modo propinquiore, ac super eiusmodi diuersitatis bono. Quæ doctrina mirificè concludit, vt infra patebit, & Societatem ab alijs religiosis familijs differre quamplurimum, & hoc ipso nomine laudabilius introductam esse. Sed vt hæc interius cognoscantur, præstat (vt initio huius capitis indicaui) eandem Sancti Thomæ doctrinam explanare atq; illustrare per obseruationem quorundam principiorum de artium atq; institutorum diuersitate vniuersè cum in profana politica, tum in sacra. Age igitur.

Obseruandum est, licet vniuersæ Reipublicæ vnus idemq; sit finis postremus, atque integer, hoc est communis fœlicitas, tamen, cùm fœlicitas ipsa pluribus bonis cumuletur, ideò in Republica varias esse hominum classes, quæ in alijs alijsque eiusmodi bonis toti vniuersitati parandis operam ponunt. Facilius enim vnus in vno laborat pro multis; quàm in multis pro se vno. Quamobrem agricola non sibi, sed multis fruges parat, sutor non sibi, sed multis calceos concinnat, faber murarius non sibi, sed multis tectum edificat, & similiter in cæteris artibus vsu venit. Nempe operosissimum esset, infinitumque, si vnusquisque deberet sibi per se compare omnia ad vitam opportuna, atque omnes artes addiscere, quarum indiget ministerio. Ideo, & inter homines instituta vitæ societas est, & in humanâ societate varietas exercitiorum. Cum enim verissimum sit illud: *non omnia possumus omnes*, hoc est, *singuli*; tantumdem verum est: *omnia possumus omnes*, hoc est, *omnium multitudo*. Cum ergo fœlicitas absoluta Ciuitatis ille demum sit finis quò leges

omnes, artes, atque instituta collineant, proprius tamen finis aut legis, aut artis, aut instituti dicitur esse ea peculiaris pars fælicitatis, cui parti parandæ lex, aut ars, aut institutum illud inductum est. Atq; ita, ex. gr. finis proprius magistratuum forenses lites iudicantium est ea pars fœlicitatis, quæ commutantis Iustitiæ præceptis continetur: finis verò iudicis maleficiorum vocatur ea fœlicitatis pars, quæ versatur in purganda facinorosis hominibus ciuitate, inque arcendis nefarijs à scelere.

Hæc eadem inter homines pecularium finium diuisio & procuratio singulis quidpiam agentibus propria, & ad humanam qualemcumque fœlicitatem quærendam, & scilicet ad cœlestis beatitatis adeptionem ac studium est opportuna. Cum enim multa sint virtutum, atque exercitationum instrumenta, quæ ad illam conducunt; longe parabilior ea nobis fit, si alij alijs exercitationibus toti se dedant in hominum bonum; quam si omnes ad omnia promiscuè connitantur. Ideò varij sunt ordines in Ecclesiastica hierarchia, varij hominum gradus, atque adeò etiam variæ Religiosorum hominum congregationes.

Sicut autem in profana politica, ita in sacra conditiones hominum artesque inter se duplici discrimine secernuntur; vel quòd diuersa bona intendant; vel quòd ijsdem conficiendis diuersè studeant. Veluti vestiaria, & scriptura hoc differunt, quòd illa intendat in defendendam aëris inclementiam, hæc verò in patefaciendas hominibus loco, vel tempore dissitis animi nostri cogitationes. At Scriptura, & Typographica vnum, atque idem bonum quærunt, adeòque minus distant quam illæ; distant tamen, quòd alijs & alijs instrumentis, atque opificijs illud ipsum à se quæsitum Reipublicæ bonum moliuntur.

Hoc idem spectare licet in artibus, atque institutis, quæ ad Cælestem generis humani fœlicitatem laborant. Cum enim vniuersum hoc studium vna Dei, ac proximi caritate contineatur, quæ est plenitudo legis; attamen inter artifices cælesti felicitati seruientes duplex classium est differentia.

Siquidem aliæ hominum classes in sacra hierarchia distinguntur per varia caritatis opera quibus allaborant: ex g.

aliud

aliud caritatis opus eſt confitentes audire, atque abſoluere, quod per ſe ad paſtores animarum ſpectat: aliud eſt diuinas laudes concinere, publiciſque precibus diuinam opem mortalibus impetrare, quod Canonicorum Collegia, Monachorumque in primis Congregationes agunt.

Aliæ porrò claſſes hominum, cum vnum, atque idem bonum hoc eſt eandem plane caritatis partem petant, diuerſis tamen ſemitis ad idem faſtigium aſpirant; ſcilicet profitendo vel eximiam paupertatem, vt diuitiarum obices, ac præſtigias arceant; vel mutum pœnè ſilentium, vt animum abeuagatione, & contentione, gemina ſcilicet, ac noxia loquacitatis ſobole, immunem vnicè in Deo figant: vel abſtinentiam à cibis præſtantioris ſucci ſaporiſque, vt ſenſum doment, itàque rationi ſubditum in officio contineant. Hæc generatim ad explanationem comprobationemque illius regulæ qua S. Thomas religioſos Ordines mutuo ſecernit.

Porro ad hanc regulam Societas Ieſu ab alijs religioſis ordinibus plurimùm differt: nempe non ſolum ab eis ex modo ſuum finem quærendi, qua de re inferiùs exponam, ſed fine ipſo differt. Id ita demonſtro. E reliquis ordinibus alij propriam ſalutem, ac perfectionem vnicè ſectantur, niſi quantum, vt aromata odore, ſic virtus exemplo ſemper proximos afficit; & merita piorum ac preces ad propitiandam vel impijs diuinitatem valent. Alij ſuper hoc certa quædam, ac deſignata ſolum adiumenta in aliorum ſalutem impendunt, & ne illa quidem voto imperant ſibi. At Societas Ieſu aliorum ſaluti promouendæ totam ſe dicat, nec à ſe alienum putat opus vllum, artem vllam, laborem vllum, quæ per ſe, ac ſua ſponte ad hunc finem ſpectent; quin etiam tenetur obligatione quà regulæ ad hæc omnia pro moderatorum arbitrio peragenda, qua voti ſuſcepti ad præcipua, veluti ad cathechiſmi traditionem, & ad miſſiones, ſeu per fidelium ſeu per infidelium plagas, vel nullo accepto viatico. Quare tantùm hæc Religioſa ſodalitas diſtat ab alijs, quantum in exercitu diſtaret à peculiari officio vel vigilum, vel prætorianorum, vel rem tormentariam curantium, vel machinis, ac foſſionibus incumbentium, cohors aliqua, quæ ſe ita Imperatori manciparet, vt ad labores, operas, pericula omnia, quò-

quòcumque res vocet, se paratam offerret.

Duo ex his concluduntur. Alterum est, Societatem ab alijs Religionibus latè differre, quando fine differt non quidem vltimo, vtpotè qui omnibus religiosis familijs idem præfigitur, perfectio caritatis; sed propinquo, eâ ratione qua tantùm hæc finium differentia inter religiosos Ordines inuenitur.

Alterum est, ipsam dissimilitudinem à cæteris religiosis sodalitatibus, quæ nobis vitio vertitur à nonnullis, apprime potius conferre ad huius nouæ sodalitatis vtilitatem demonstrandam. Siquidem vt præclarè ait S. Thomas loco laudato: *Confusio opponitur distinctioni, & ordini: Sic igitur ex multitudine Religionum induceretur confusio, si ad idem, & eodem modo multæ religiones essent absque necessitate, & vtilitate.*

CAPVT V.

De præstantia huius finis quem Societas Iesu sectatur.

SAnè hunc finem esse præstantissimum ex eo patet, quòd cum longè diuinius sit, quomodo Aristoteles loquitur, bonum commune, quàm priuatum, diuinior quoque arsilla, atque institutio censenda est, quæ primùm, quàm quæ tantummodo secundum fouet. Quod si ita vsu euenit in humana Republica qaantò magis in illa; quam Deus ipse tanquam Princeps simul & ciuis consociauit? In priori enim poterat fœlicitas publica priuatam aliquando corrumpere, immò & per priuatam calamitatem comparari, quemadmodum de Codro illo, de Curtio, de Decijs, alijsque innumeris memoratur. At in hac ille fœlicitatis dominus, ac distributor Deus ita sanciuit, vt quicumque ex sincerâ in alios caritate fœlicitatem publicam contentiùs promoueret, itidem priuatæ fœlicitatis vberiorem partem assequeretur; Quin etiam, licèt ordo Naturæ postulet, vt finis excellentior sit, quàm ea quæ ad finem ordinantur, Deus tamen qui Naturæ legibus præsidet, non subseruit, præcelsissimum ex omnibus cogitabilibus opificium suum, hoc est nexum illum ineffa-

ineffabilem diuini filij cum humanâ natura, non omnino propter se suæque pulcritudinis causâ molitus est, sed in gratiam communis hominum salutis reparandæ. Idque declarasse videtur vbi nomen filio suo indidit. Nomina quippe tunc sapientiùs imponuntur, cum præcipuam rei proprietatem patefaciunt: Deus verò, nomenclator vtique sapientissimus, non aliud, quam *Iesu*, hoc est *Seruatoris* nomen filio suo fecit, vt omnes intelligerent, id, quò præcipuè referebatur ab opifice diuino tantæ molis machinamentum, communem salutem esse. Et ne quis eiusmodi nomen aut fortuito, aut non tanquam per se præstantissimum, attributum suspicaretur, disertè per Apostolum enunciauit; *Dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur:* testatus nimirum inter centena illa nomina quibus Deum ipsum per varias eius præstantias appellamus, nullum esse tantæ sublimitatis significabile, quantæ est nomen Seruatoris, quod idcirco super omne nomen esse perhibetur. Non tamen hæc à me dicta eò euadunt, vt propter hanc finis præstantiam Societatem Iesu cæteris religiosis institutis anteferam. Videlicet haud sum nescius etiamsi poëtis picturæ longè præcellat, pluris tamen faciendum Apellem, quàm gregarios illos Poëtas, quos Plinius in Epistolis, Iuuenalis in Satyris aspernatur. Quamuis enim præclarius sit Virgilianam Aeneida, quàm Apellæam Venerem confeciſſe, laudabilius tamen Apelli est Venerem illam finxisse, hoc est picturæ miraculũ, quàm Codro Theseida scripsisse, hoc est poëmatum infælix nomen. Non aliter contingere potest, vt aliqua religiosa choors magnis excidat ausis, alia inferius quippiam aggressa, fœliciter scopum contingat. Egregiè D. Thomas postquam dixerat; *Summum gradum in religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum, sicut & in alijs fines primorum coniunguntur principijs secundorum, vt Dyonisius dicit 7. Cap. de diuinis nominibus: Secundum autem gradum tenent, quæ ordinantur ad contemplationem: Tertium est earum, quæ ordinantur ad exteriores actiones:* Et postquam subdidit, *In singulis autem horum graduum potest attendi præeminentia, secundùm quod vna Religio ordinatur ad vlteriorem actum in* 2. 2. q. 188. a. 6.

eodem

eodem genere, & potest etiam attendi præeminentia, si vna tantum ordinetur ad plura horum, quàm alia; tandem concludit: *vel si conuenientiora statuta habeat ad finem propositum consequendum.*

Quamobrem, etiam si finis à Societate petitus & amplitudine, & celsitate præstantissimus sit, non tamen hæc Religiosa congregatio potior erit, si cæteræ, *conuenientiora statuta habeant ad finem propositum consequendum.* Satiùs enim est ita inferius aliquod bonum persequi, vt assequaris, quàm aliud sublimius ita quærere, vt nunquam teneas. Ego autem Societatis leges ad propositum finem accommodatas esse ità conabor ostendere, vt eam hac in re cum alijs religiosis cætibus conferre nihil velim. Omnis enim comparatio, quas partes in victoriæ spem vocat, eas interim quasi certantes committit: Mihi verò & è re Catholicæ Ecclesiæ, & scilicet ipsius Societatis videtur, vt quotquot Christo militamus, concordissimi inter nos, contra Dæmones tantum ac vitia concertemus.

Hoc interea statutum sit, Ignatium huius Societatis fundatorem elegisse optimam partem sodalitati suæ. Nam vt præclare S.Tho. *Vita contemplatiua simpliciter est melior quam actiua, quæ occupatur circa corporales actus; sed vita actiua secundum quam aliquis prædicando & docendo contemplata alijs tradit, est perfectior quàm vita, quæ solum contemplatur; quia talis vita præsupponit abundantiam contemplationis; & ideo Christus talem vitam elegit.* Tum verò constat eundem Ignatium optimè de hominum genere meritum esse, qui se suamque Societatem vniuersorum saluti, ac beatitati quærendæ per eximiam caritatem deuouit; adeòque ipsum impensè à mortalibus honorandum; quando honor, vt Aristoteles habet 8. Ethicorum, & aliquid publicum est, & beneficæ virtutis præmium. Cum autem hoc Gratiæ virtus differat à Iustitia, vt Aquinas docet quòd hæc rem pro re, illa rem pro voluntate quantumuis sterili rependit, etiamsi omnis Ignatij labor pro communi vtilitate irritus cecidisset, gratam nihilominus honoris remunerationem genus humanum illi deberet.

3.p.q.40. a.1.ad 2.

2. 2. q. 109. a.3.

C A-

Digitized by Google

CAPVT VI.

De nomine Societatis Iesu.

CErtarunt nonnulli inuidiam creare huic nomini tanquam superbiori. Quasi verò dum id nobis ceu proprium assumimus, alios omnes Christi fideles à societate Iesu repellamus, cum tamen Apostolus vniuersam Ecclesiam affatus dicat: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem filij eius Iesu Christi.* 1. ad Cor 1. Veruntamen accusatio hæc leuior videretur quàm vt in eius purgatione immoraremur, nisi grandia Theologorum nomina illam nobis intentassent. Magna enim auctoritas vel sine rationis cuspide magnum telum.

Paucis rem expedio. Et primò certum est, non quoties aliqua appellatio à quopiam sibi adoptatur vt propria, illico id eum sibi arrogare, vt res per talem appellationem antea significata nulli alij quam sibi re ipsa conueniat; imò sæpe hoc est argumentum modesti demissique animi, quasi nihil in se proprium agnoscentis appellatione dignum, ac proinde non alio se vocabulo signari petentis, quam illo quod in eam pertinet vniuersitatem cuius se partem esse vnice gloriatur. Hinc manauit consuetudo, quam Sanctus Thomas pluries obseruat, vt infima pars alicuius generis notetur vocabulo totum genus complectente. Exemplum affert de modestia sic edisserens: *Nomen commune quandoque appropriatur his, quæ sunt infima, sicut nomen commune Angelorum appropriatur infimo Ordini Angelorum, ita etiam & modus qui communiter obseruatur in qualibet virtute, appropriatur specialiter virtuti, quæ in minimis modum ponit.* 2. 2. q. 160. a 1. ad primũ

Non aliter *militiæ* nomen, quod suapte natura spectat ad milites vniuersos, italicè tamen aliquandò contrahitur ad infimam militum classem, hoc est eorum, qui non pugnant in bello, sed in Vrbibus atque oppidis, quasi militiæ candidati publicâ auctoritate bellicis ludis exercendis ad militiam informantur. Aptè cadit in eamdem rem ille Romanorum vsus, qui, cùm viros hoc est nobiliorem sexum peculiari no-

Digitized by Google

mine supra cognomentum commune agnationis notarent, fœminas tamen, hoc est inferiorem familiæ partem, solo illo generali nomine signabant, addito si opus esset ad distinctionem numero, veluti *Cornelia prima, Cornelia secunda*; Quali de causâ fertur Tertulliani nomen, quasi *Tertiæ Tullæ filium*, esse compositum. Quid ni ergo potuerit etiam Ignatius de Societate illa, quàm *minimam* nuncupauit, tam demissè vel sentire vel loqui, nihil vt boni, ac memorabilis, & effabilis agnoscerent in ipsa præter id quod cunctis Christianis commune est, hoc est præter esse socios Iesu, & ad eius consortium vocatos?

Verumtamen dissimulare non libet. Aliam interpretor fuisse causam, quæ in hanc appellationem Ignatium traxit. Nimirum, qui conspirantibus animis grande aliquid aggrediuntur, solent quasi propositi tesseram atque incitamentum cognomen aliquod sibi imponere, & stemma præferre, non quasi eius laudis in se præstantiam, sed studium professi. Sic milites, sic proceres, sic litteratorum hominum cætus, ac singuli eiusmodi cætibus adscripti: idque extra omnem superbiæ notam inuidiamque, at non extra sublimis animi commendationem. Validum quippe mortalibus calcar ad magna persequenda magna palam spopondisse. Non secus Ignatius cum ad imitationem Iesu Christi in quærendâ hominum salute Societatem suam institueret atque erudiret, nomine ipso ac stemmate votum hoc pium explicare voluit, & enutrire, vt quoties hi aut se vocari audirent, aut insigne sui Ordinis aspicerent, toties debiti, ac promissi muneris ad monerentur. Id ergo causæ habuit cur pro stemmate diuinissimum Iesu nomen deligeret, adiecta epigraphe: *Ad maiorem Dei gloriam*, curque ex ipso Iesu descriptam à se militiam denominaret.

Sanè, si hoc reprehensionis genus semel obtineat, non vnam petit Societatem nostram, sed nobilissimas Ecclesiæ partes inuadit. Quid enim si quis ita disputet? An prædicandi munus vna Dominicana Sodalitas præstat? Quid est ergo quod illa ex omnibus *Prædicatorum Ordo* nuncupatur? Nempe quis non intelligat, *Prædicatorum Ordinem* dici, non qui sibi vni munus prædicandi arroget, sed studium cõcipiat.

Acce-

Digitized by Google

Accedit ad hæc causa, quod solent vulgares infantes, Dynastarum, in cuius tutela nascuntur, nomen assumere. Magnatum est, filios suos à progenitoribus appellare, priuatorum, à principibus viris, quos illis, alteros tanquam patres adoptant. Quid ni ergo humilitatis potius habeatur in Ignatio, quam iactantiæ, quòd sobolem suam non à se, sed à Iesu nuncupauerit, in cuius clientela illam edidit, & cuius opem diuina voce, vti accepimus, sibi promissam, vti cernimus expertus est.

Neque hoc Ignatij consilium defenditur aut comparationibus tantùm, quæ sapientiores iudices mouent, sed exemplis planè similimis, quæ vel hebetes capiunt. Exempla in promptu sunt: Religio quæ in redimendis captiuis exercetur, *à Trinitate* dicta est. Equites qui à Christianissimo Galliarum Rege initiantur, *à Sancto Spiritu* nomen habent. Alij porrò equites in Lusitania prænobiles *à Christo* vocitantur. Et tamen quot quot in Ecclesia Catholica viuimus, omnes vtique augustissimæ Trinitati cultum profitemur, quot quot sacram militiam suscipiunt, eos omnes & Spiritui sancto, & Christo militare non dubitamus. Quid plura? tribus fermè ab hinc sæculis à Ioanne Columbino, & Francisco Vincentio instituta piorum hominum congregatio, *Iesuatorum* cognomentum sine lite suscepit, sine inuidia retinuit. De qua Congregatione multa congerit noster Suarius. *Tom. 4. de Rel. lib. 1. cap. 1. nu. 6.*

At Societati Iesu vexatio hac de re in prouentum cessit. Nam cum super hoc nomine, quamuis à Petri Successoribus haud paucis, & ab ipsâ Tridentina Synodo de nobis vsurpato, aliqui controuersiam nobis intentarint, Summus Ecclesiæ Antistes litem diremit, & is qui Iesu ipsius personam ac vicariam potestatem in terris gerit, hanc à Iesu appellationem pro sua sapientia, atque auctoritate nobis adiudicauit. Nempe Gregorius XIV. in diplomate, vbi Societatem, eiusque institutum confirmat, sic planè decernit. *Statuimus nomen Societatis Iesu, quo laudabilis hic ordo nascens à sede Apostolica nominatus est, & hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum esse.* Vtinam nomini facta respondeant. Facile siquidem cuique est in nomine diuinitatem præferre. Nimirum apud Græcos teste Platone nomina hominum quæ-

cumque diuinum aliquid significabant. Sed fortasse, si hæc Societas remissiùs Iesum imitaretur in opere, liberaliùs à multis obtineret, vt Iesum inaniter in appellatione sonaret.

CAPVT VII.

Num consultius fuisset aliqua nominatim opera sibi deligere, quam vniuersa, quæ ad propriam alienamque salutem per se pertinent indiscriminatim complecti.

VOciferantur multi, Societatem latius expatiari: breuiora esse vnius Ordinis brachia, quàm vt tantarum curarum diuersitatem per omnes ferè noti Mundi regiones aptè circumplectantur: Si omnia vnius domus ministeria eidem famulo, si cunctæ militares functiones eidem Centuriæ committerentur, cuncta malè cessura. Ita planè Deum ac naturam docuisse: quando in vno corpore non omnia membra eumdem actum habent, nec in Angelis ipsis cuncta quæ pertinent ad inferiorum corporum tuitionem eisdem demandantur, sed alia aliis. Sanè bona hæc exteriora in communem hominum fœlicitatem procreata sunt, sed quoniam vna eademque res vix poterat vlli prodesse, nisi vni nominatim profutura designaretur, ideò naturâ edocente rerum diuisio ac dominiorum distinctio inducta est. Quod in rebus ratione carentibus visuenit, hoc idem seruandum est in hominibus illis, qui non sibi, sed toti mundo se genitos & sciunt, & volunt. Nempe, quomodo non benè potest vna res omnium esse hominum, ita non potest vnus homo omnium esse rerum. Sapientius ergo iuxta, ac modestius, quàm nos reliquæ religiosorum familiæ, quæ arctiùs curam, ac debitum contraxerunt. Familiare enim est omnia promittenti, vt nihil persoluat.

Ità de amplissimo illo, quem sibi præscripsit Societas fine obloquuntur multi. Neque id mirum: quippe hominibus

vel

vel ſua tenuitate cuncta per opinionem metientibus, vel ad ſuam tenuitatem cuncta per deſiderium contrahentibus nil tam commune, quàm ſiquid magnum audetur, ceu temerarium aſpernari. Quaſi verò nihil egregium nihil ſupra ordinem aut præſtare poſſit vnquam mortalium induſtria diuinitus roborata, aut cum laude aggredi mortalium animus diuino adiumento confiſus. Verùm ita res habet: quæ primùm tentata in audaciæ reprehenſionem incurrunt, eadem confecta magnanimitatis obtinent commendationem. Aliqui tamen ſunt, qui quodcumque infectum vellent, id factum, licèt videant, negant; non modo animum, ſed oculos inuidentiâ cæcante. Age, rem ipſam putemus.

Aio igitur in vniuerſum non modo religioſam familiam, ſed vix benè poſſe peramplam aliquam hominum congregationem ad vnum tantummodo miniſterium coerceri. Dictum ſic euinco. Quantumuis eximius habeatur in adſcribendo delectus, multi tamen vel quoniam ab initio non ſatis cogniti, vel quoniam deinde aut habitudine corporis, aut animi propenſionibus immutati, ad eum peculiarem vſum in opportuni aut agnoſcentur, aut fient. Ergo, niſi alia ſuppetant opera, in quibus eorum labor nec inutilis, nec illaudatus, otio tabeſcent; & quod tabidi membri eſt, etiam ſana corrumpent. Optima præceptrix natura. Hæc namque, cùm haud poſſet totum alimentum conuertere in vnum eumdemque ſuccum vniuſmodi partibus reficiendis opportunum; animantes ex alijs aliiſque artubus extruxit; Itàque ex mollioribus nutrimenti particulis carnem alit, ex paulò duriuſculis cartilagines, ex durioribus porrò neruos, atque oſſa: quin etiam excrementa ipſa in vngues, capillos, barbam vtiliter impendit: ita vt quàm minimum fieri poſſit eiectamentum ſit. Nempe tum in corpore naturali, tum in ciuili inutile onus, ſi multum fuerit, non ſine moleſtia ac pernicie aliqua vel excernitur, vel toleratur.

Nō ignoro, nec diſſimulo quid mihi reſpōdere quis poſſet: Ea quæ nuper de humanis coetibus generatim diſputaui, vtique vera eſſe in coetibus illis quos ante Chriſtianæ Religionis ortum aut mundus habuit, aut Philoſophi agnouere. Sed cum quædā exiterint in lege Chriſtiana Societates hominū

ab

ab Ethnicis philosophis nunquam excogitatæ quæ *Religiones* nuncupantur; in his vtique non tantam munerum diuersitatem versari posse, quantam in ciuitatibus, etiamsi ciuitas pauciores habeat ciues, quàm Religio sodales. Ciuitas enim quippe ad suam, eamque humanam fœlicitatem coalescens, definitur ab Aristotele *Congregatio hominum sibi sufficiens*. Quocirca debent in qualibet ciuitate vigere artes illæ vniuersæ, quibus indiget humana multorum fœlicitas, fœlicitatisque socia semper ac nutrix, securitas. E diuerso religiosi Ordines non humanam fœlicitatem sequuntur, sed cœlestem, alij suam, alij etiam alienam. Quare licèt per se multis careant quæ ad beatè humanitus viuendum desiderantur, horum tamen vacuitatem partim de industria quærunt, tanquam pecuniam æternæ fœlicitati coemendæ opportunam, partim alienâ largitate, atque operâ supplent; non ex proprijs viribus, sed ex diuino præsidio securitatem elicientes. Non ergo ibi necessarij sunt milites ad custodiam, non mercatores ad commutationem, non agricolæ ad fruges, non opifices nisi pauculi ad habitationem, ad supellectilem, & ad instrumenta domestica, quibus omnibus abundare ciuitas debet.

Quid ni ergo, inquies, ex his efficiatur, inconsultè à religiosis familijs, atque adeo à societate agi in magna procurationum diuersitate capessenda?

Haud ritè concludis. Quanquam enim aliqua officiorum dissimilitudo cæteris mortalium vniuersitatibus conuenit, vt nuper demostratum est, hæc tamen ipsa religiosorum hominùm sodalitia, in aliquo genere plura opera, eademque magis varia commodè complectuntur, quam ciuitates vel Respublicæ licèt longe hominibus frequentiores. Ita rem patefacio. Ciuitates ac Respublicæ vnitatem loci designant ciuibus suis, quò alter alteri opituletur tum in officio militari, tum in ciuili; ideò intra certi agri, aut imperij fines eorum operatio concluditur; quod si aliò diuagentur tanquam hospites, iam nec amplius patrijs legibus viuunt, nec sibi sufficiunt, ac proinde sat citò vel patriam mutant, vel in patriam remigrant. Contrà Religiosorum cætus vbique patriam nanciscuntur, quia nus-

quam

quam habent; atque adeò pauca hominum millia totum ferè terrarum Orbem Colonijs, eruditione, institutis complent; fratrumquæ caritatem iuxta ac nomen retinent inter se; quamuis toto Oceano diuisi, & mutuò incogniti. Quantò igitur ciuiles Cõgregationes Religiosis ampliores sunt diuersitate munerum, tantò hæ illas excedunt laxitate locorum.

At enim, dices, Macedonum phalanx sub Alexandro intra duodecimum annum magnam terrarum partem occupauit. Fateor; sed multò citiùs quàm quæsitum fuerat, extemporaneum illud euanuit imperium; quòd si perstitisset, vtique totus ille mundi ambitus, & nationum cumulus vnum principatum coagmentasset. Romanorum virtutem quinque omninò sæcula continuit Italia: quam dispar Religiosarum societatum conditio? Mitto veteres: Ignatius noster vix dum aliquod rudimentum incohauerat suæ, cum eam ad Hispanos, ad Germanos, ad Lusitanos, ad AEthiopes, ad Indos quà in occidentem quà in orientem versos, adeòque ad Iapones, hoc est ad homines moribus ac loco mortalium omnium à nobis remotissimos propagauit.

Vrgentes tamen aliquos in hunc modum sentio. Si ergo vna & eadem religiosa familia potest vtiliter capessere multitudinem officiorum summè inter se differentium, poterit etiam commodè eadem simul militari virtute Christianas Regiones tutari sicut Hierosolymitani equites, simul concinendis diuinis laudibus maiorem diei partem dicare, vt Monachorum permulti, simul literis ac pietate populos erudire.

Non credo: & rationem profero. Vel enim hæc omnia ab ijsdem gerenda essent, vel à diuersis. Non ab ijsdem vt per se patet: quod si à diuersis; quanta & animorum, & corporum, & studiorum, atque affectionum discrepantia ijsdem in cœnobijs aleretur, cum ad officia inibi tam dissimilia alij atque alij de industria informarentur? Cum tanta verò tum animorum, tum corporum dissimilitudine consuetudo vitæ perpetua, & societas voluntaria non consentiret. Illa quippe non corporum sed animorum cognatio, similitudo studiorum, gluten quoddam est, sine quo interior Societas aut non coalescit, aut non constat. In ciuitatibus quidèm loci vnitas, patrij caritas soli, consanguinitates affinitates, iunc-

cturæ

cturæ sunt vel eorum, quos natura ingenio dissimillimos finxit qui tamen & discretam vitam ducunt, & paucis exceptis legibus commune bonum tuentibus arbitrariam. In religiosis Ordinibus nullus est nexus à Naturâ, totus ab electione; Et quidem arctissimus, adeoque nisi ametur asperrimus; quippe colligans in victu, in cultu, in habitatione in legibus ad singulas horarias actiones præscriptis, supra omnem vel puerilis germanitatis consuetum. Quid ergo? Sicut animatum Corpus multâ quidem membrorum varietate constat; sed ea tandem varietas in quadã temperamenti similitudine consentit, adeòque non eadem alimonia, piscibus eadem hominibus, vel auibus idonea est, haud secus necesse est, vt religiosæ familiæ aliquam habeant munerum vnitatem cum ea quam diximus varietate permixtam. At non peræquè de omnibus ministeriis licet maxime inter se disparibus ac dissimilibus statuendum est: ita vt proinde Societas de hac tam multa maximè differentium officiorum complexione damnanda sit. Quis enim non intelligit esse aliqua opera, quæ plurimum differunt sponte suâ, sed cum ab eadem vel certè à consimili facultate manent, quicumque vnum illorum potest, cætera etiam facile potest? Quot sunt, quàm varia inter se, quæ beneficio vectis aut rotæ Mechanici moliuntur? Sed quoniam ab eadem arte fiunt, ab eodem artifice fiunt. Aliqua item opera licèt plurium artium sint, artes tamen illæ sunt coniunctissimæ inter se, vel propter affinitatem præceptorum, veluti historica, atque oratoria, vel quod opera eorum haud commodè à duplici artifice perficerentur; atque adeo quicunque vnam comparat ambas comparat, ceu artem inueniendi sensa, quæ scribas, & artem inueniendi verba, quibus eadem aptè scribas: Quod verò de vno artifice diximus valde latius accipiendum est de vna hominum Sodalitate, ac tanquam academia pluribus operariorum millibus frequente. Vt enim si multa sparseris in solum frumenti semina, non ex omnibus eadem fruges existent eiusdemque generis cum semente, sed variæ quadamtenus similes, hoc est ex alio frumentum, ex alio secale, ex alio aliud pro variâ conditione cuiusque glebulæ granum quodcumque sortitæ; non secus eadem disciplina,

atque

atque educatio non omnes vniusmodi alumnos facit, sed pro varia ingeniorum, ac propensionum naturâ alijs atque alijs dotibus homines imbuit, affinibus tamen. Quapropter, sicut patrisfamilias frumentum illud serenti expedit præsto sibi esse varios domesticos vsus quibus oritura illa frugum varietas aptetur; ità expedit Religiosæ familiæ ingentem sobolem simillime educanti ad manum habere varia ministeria sibi propria per dotes illas ac facultates varias, quæ pro varietate ingeniorum, studiorumque internascentur, promouenda. Nec dubium est, quin hæc varietas dotium, & facultatum futura sit ibi longè maior quàm ex vno tantùm, aut paucis hominibus expectari posset: quemadmodum idem solis, cælique aspectus, ac vigor longè maiorem segetum varietatum progignit in prædio latissimo, quàm in hortulo.

Liquet ergo consentaneum esse, vt vnus idemque religiosorum cœtus munera suscipiat vel maximè dissimilia, dummodo ea sint ad quæ peragenda homines per vniusmodi educationem instruuntur. Eiusmodi autem sunt officia illa tam varia Societatis Iesu. Omnia enim officia ad quæ Societas incumbit his duodus perficiuntur, caritate, & doctrinâ. Per hæc duo & Cathechismo instruuntur rudes, & diuinum verbum in concionibus euulgatur; & varijs disciplinis excoluntur addiscentium ingenia; & pœnitentium noxæ prudente iudicio remittuntur; & proborum virorum sodalitates per aliqua certa pietatis opera statis diebus exercentur; et pio quorumdam temporario secessui ad animam recognoscendam delecto, pabulum exhibetur cœlestis contemplationis; atque in cœcos animi morbos præceptiones traduntur interioris medicinæ; & per vicos, agros, custodias publicas, nosocomia triremes ad sacrorum mysteriorum opem indigentibus afferendam excurritur; in extremo agone luctantibus subuenitur; & hæreticorum sophismata linguâ, calamoque confodiuntur, & per infidelium regiones Christiana religio disseminatur. Nempe vniuersa hæc tam varia opificia eadem in primis exigunt instrumenta, ancillantem caritati doctrinam: quæ duo, quâ magis, quà minus, in cunctis nostrum ordinem complexantibus, nostrâque educatione formatis vigeant necesse est. Ad hoc, aliqua eiusmodi officio-

Digitized by Google

rum petunt vocem, ac latera, vt ars concionandi; alia robustam laborisque patientem corporis habitudinem, vt ministerium lustrandi, erudiendique vel rusticorum vel infidelium plagas; Alia ingenium recessui, ac meditationi deditum, vt contemplatrices disciplinæ studiumque scribendi; Alia homines suauiter pios gratiososq; vt piarum sodalitatum tractatio, & moderatio. Sed hæ omnes varietates sponte sua tantæ religiosorum multitudini innascuntur: & hoc idem commodè cadit, vt cum varia sint hominum ingenia, quorum aliqua actuosam, alia quietam, alia insuper solitariam vitam amant, possit vnusquisque priuato simul genio obsequi, simul rempublicam pro virili parte iuuare. Scilicet nihil aptius exit, quàm id in quo natura cum arte, voluptas cum honestate consentiunt. Prudentiam igitur non audentiam agnoscere par est in fundatore nostro, qui ratus nec posse quamplurimos in vnum, atque indiuiduum aliquod officium cõmodè arctari, nec sub vniusmodi institutione posse alumnos ad quamcumque officiorum discrepantiam adolescere; ita leges attemperauit, vt cum operum quasi ramorum varietate seruaretur vnitas generis & tanquam radicis, ex qua illa omnia pullularent: vt hoc temperamento consuleretur simul insitæ ingeniorum, atque affectionum diuersitati, simul vnitati disciplinæ atque ordinis; interea verò nulla pars prætermitteretur ex ijs per quas nostri ad commune bonum conniti possent.

CAPVT VIII.

Proponitur accusatio in Societatem, quòd horas Canonicas communi cantu in Choro non recitet sicut aliæ Religiosorum familiæ: & quomodo hæc accusatio sit probè examinanda.

CVm Societas Iesu tam latè susceperit quælibet alia caritatis officia vel propriam, vel proximorum salutem pro-

Digitized by Google

promouentia, mirum, atque illaudatum aliquibus fuit, quòd pium illum ac vetuſſimum pſalmodiæ in Eccleſia morem omiſerit quippe cæteris omnibus Religioſorum ordinibus conſuetum, nec non tum propriæ tum alienæ pietatis nutrimentum ſingulare, quo ſanè, ſi vllo in terris opere, Cœlicolas imitamur. Quocircà Sotus pronuntiare non dubitauit: *Si alius Religionis modus citra huiuſmodi obligationem eſt, vix nomen Religionis meretur, quippe qua maximo ſplendore Religionis caret*, tacitè per hæc verba Societatem deſignans, ac mordens. *De inſt. l. 10. qu 5. art. 3.*

At, qui hoc obijciunt, non reputant in hoc diſcrepare dona illa, quæ à naturâ conferuntur ſingulis in diuiduis alicuius ſpeciei, ab illis, quæ vel per artem comparantur, vel quæ in res ſpecie diſtinctas diſperſa ſunt, vt illa quò communiora ſunt in cæteris, eò tibi inhoneſtiùs deſint; hæc autem contrario modo ſe habeant. Quamobrem cum Pſalmodiæ vſus ab arte ſit non à natura, & Societatis Religioſi qui eam non exercent, ab alijs Religioſis ſpecie differant, duplex cauſa eſt, cur nihil ſint ex eius prætermiſſione vituperabiles.

Exemplis vtramque cauſam expono, & ſimul ratione confirmo. Haud ego vitioſus dicar, quod Achillem curſu, Milonem viribus non æquem: ſingularia enim hæc illorum bona fuere, non communia humanæ naturæ: vitioſus tamen haberer, ſi vel pedibus, vel oculis captus, vel quopiam ſenſu non eſſem integer: hæc enim bona ad vniuerſos homines ſpectant, quocirca deterior cenſetur eorum vacuitas, quàm præſtantior eorum poſſeſſio.

Secùs accidit in dotibus, quæ per artem acquiruntur. Quo plures agricolæ ſunt eò minus mihi dolendum, quòd agriculturam non calleo. Diſcrimen in promptu eſt: nam artes pleræq; ſimul artifici cæterisq; ſubueniunt. Quapropter agricolarum peritia & agricolas, & non agricolas alit: at innatæ proprietates vnicuique per ſe neceſſariæ ſunt, ideòque à naturâ, quæ in neceſſarijs non deficit, vnicuique attributæ. Nec enim, quantumis cæteri ſint oculati, ego, ſi coecus ſim, alienis oculis cernam; quamtumuis rel qui pernices ſint, ego ſi claudus fuero, alienis pedibus curram.

Hæc eadem differentia, vt indicaui intercedit inter dotes

alij atque alij ſpeciei tributas, ac inter eas quæ in vnica ſpecie eiuſque ſingulis indiuiduis verſantur. Ex.gr. ſi roſa quædam inodora naſcatur, deſpectui naſcitur; nam & præcipua caret roſarum gratia, & hæc ſingularis inopia nulla ſingulari dote redimitur. At flos aliquis peregrinus alterius generis poterit odoris expers, pretio roſam ſuperare; ſuperabit enim elegantia coloris, ac formæ, quæ vt rarior, ſic magis oculos capiet, quam nares odor, expoſitum in florum turba delectamentum.

Hæc vtique vti dicebam non expenderunt qui Societatem reprehendunt quòd pſalmodiam prætermiſerit à cæteris Deo deuotis familijs vſurpatam. Nempe hic ipſe communis vſus, quo accuſationem exacuunt, accuſationem frangit. Scilicet ſi pſalmodia cæteris Religioſis familijs incõſueta fuiſſet, enimuerò tam ſancta eſt, tam fructuoſa, vt noui ordinis inſtitutori prætermittenda non eſſet. At poſtquam hic vſus per alios ordines latiſſimè patet, conſultiùs fuit alijs quibuſdam non ita peruagatis operibus rem Chriſtianam promouere. Exemplum eſto; primi illi agrorum vinearumque cultores Ceres, & Bacchus adeò benefici habiti ſunt in genus humanum vt Diuinitatis cultum reportauerint pro mercede; & nihilominus in præſentia longè laudabilior erit qui vel nouam artem inueniat, vel inuentam, ſed excellentium artificum inopem graphice tractet; quàmqui agrorum vinearumue culturæ ſe dedat; niſi forte inijs Regionibus, quarum ſterilitas pretium atque honorem eximium colonis gignit.

Hæc de priore quam numeraui defenſionis cauſa, hoc eſt de diſcrimine inter dotes natura inſitas, & arte paratas. Iam de poſteriore. Porrò, cum Religioſæ congregationes inter ſe non tantùm *numero* vt Scholaſtici loquuntur, ſed ſpecie differant, perinde eſt Societatem aſpernari quod chorum cæteris conſuetum non habeat, ac ſi quis ex.g. ignem vituperaret quoniam ſicut cætera elementa manu tractabilis non ſit, aut aërem quod nõ ſit aſpectabilis: nimirùm ſi ignis tractabilis eſſet, non eâ caloris opulentia polleret, per quam ciborum acerbitatem mitigat, hyemis inclementiam frangit, atque ad benè viuendum adeò confert, vt veteres fabulati ſint, homines vel ſuperis inuitis illum è cœlo ſurripuiſſe. Item ſi aër aſpectabi-

stabilis esset, non eam tenuitatem obtineret, quæ gressibus, quæque obtutibus peruia, humanæ vitæ in singula temporis puncta alimentum simul est, atque instrumemtum. Quid plura? Si hæc reprehensionis ratio semel obtineat, vt aliquid aspernemur, quod vnâ, quin etiam pluribus eximijs dotibus careat, enimuerò nihil non erit aspernabile præter Deum, vt pote qui solus cunctis bonis, quæ per alias res diuisa sunt, cumulatur. Cæterùm inter creatas naturas nulla est, quæ numerabilibus bonis prædita innumerabilibus non careat; Cum enim nulla possit esse species rerum nullo peculiari bono dotata; tot bonis carebunt singulæ quot sunt possibiles vniuersæ, hoc est infinitis. Tam propria est cunctis procreatis rebus inopia, vt cum cætera earum attributa finita sint, hoc vnum sit infinitum.

Si ergo alicuius instituti probitatem expendere sapienter velis: examines necesse est, num bona quibus caret, cum alijs bonis quæ obtinet coniungi commodè potuerint: si enim ità sit, iure improbes; sin autem dissociabilia inueneris perge, porrò, & reputa, vtra eorum bonorum reddidissent nouum illud institutum Reipublicæ vtilius; si ea quæ desunt, reprehende; si quæ adsunt, proba.

CAPVT IX.

Num ad prædictam regulam probanda an improbanda sit in Societate Iesu psalmodiæ prætermissio.

EA quæ superiori capite statuta sunt, ita forsitan à nonnullis reselli poterunt. Quid ni ergo Societas ex eadem causa ob quam dicitur Psalmodiam non amplecti, abstineat à sacrificiorum frequentia, à danda opera confitentibus, ab vsu sacrarum concionum, & ab alijs eiusmodi functionibus, quæ religiosos ferme omnes exercent?

Vt huic interrogationi satisfiat, & simul quæstio proposita resecetur ad viuum, præstat tribuere in tres classes opera caritatis, quæ à Religiosis Sacerdotibus exercentur. Sacerdotum enim Religio Societas est.

Aliqua

Aliqua sunt, quæ sacerdotalis characteris muneriſque sunt propria, vt sacrificare, noxaſque pœnitentium soluere. Et sacrificij vſus profectò tantùm continet numinis cultum, tantumque valet vel ad sacrificantis, vel ad aliorum bonum, vt in sacerdote quocumque illius prætermiſſio, si peculiari excuſatione vacat, reprehenſione non vacet. Maximè cum opus illud merito immenſum, ſpatio perbreue cæteris humanis, diuiniſque negotijs cælum propitiet non tempus anguſtet. Alterum verò hoc eſt confitentium auditio minùs quidem latè patet, nec enim ſacerdotes quicumque ſubditos habent ſibi à ſummo Antiſtite commiſſos, adeoque ab animi noxis rite ſoluendos. Sed quoniam ordinarij animarum paſtores præ gregis amplitudine adiutoribus indigent; quamobrē à ſupremo Paſtore religioſi Ordines in id munus ſuffecti ſunt, par eſt horum ſingulos niſi contemplationi, ac ſolitudini addictos in hoc officium allaborare. Non enim quælibet manus cæleſtem illam antidotum æque miniſtrat ad ſalutem. Mirum quantum Sacerdotis probitas, doctrina, prudentia, & ſcilicet valentiſſima morborum panacæa patientia valeat ad ægrotantes animas tum alliciendas tum curandas. Innumeri pharmacum illud reſpuerent, niſi medicus placeret: Innumeri qui conualeſcunt ad omnem vitam, ſi minus ſanctè minuſque nauiter ea curatio ipſis adhiberetur vix ad horam alleuarentur.

Hæc ergo duo ſacerdotalia caritatis opera nunquam tot idoneis miniſtris abundant quin plures deſiderent: idoneis, inquam; nec enim cuiuſuis religioſi ſacerdotis gregariæ dotes ſacrum illud animarum tribunal implerent. Quamobrem quicumque ex noſtris huic prouinciæ non deſtinantur, haud idcirco dicendi ſunt eximia immunitate aucti, ſed verius magiſtratu eximio non dignati, aut aliis muneribus aptiores habiti. Quando ſimiliter nec omnes docent, nec omnes Euangelium prædicant, nec omnes ſodalitatibus præficiuntur. Hæc enim opera ea ſunt, quæ neque in communi peraguntur, nec ſine peculiaribus dotibus: Ac proinde in alijs etiam Religioſis Ordinibus auſculatio confitentium non vt commune penſum omnibus; ſed vt peculiare miniſterium ſelectis datur.

Secun-

Digitized by Google

Secunda operum classis in illis functionibus vertitur, quæ & cæteris ordinibus vsitatæ, & horis prolixæ, adeoque ab alijs operibus auocantes, & parum noui emolumenti pollicitæ sinouis operarijs augeantur.

Ad hanc verò classem iure redigitur psalmorum cantio. Hæc namque quantum pertinet ad temporis prolixitatem, tertiam fermè partem flagitat vtilium horarum, quas scilicet à necessariâ corporis procuratione ac mentis cessatione reliquas habet humani capitis imbecillitas; & illas quidem per certa intervalla partitas, ac certis diei spatijs addictas, vt à quibusque aliis curis præsertim exterioribus, ac longioribus abstrahant, totumque sibi vindicent hominem. Qua de causa in cæteris religiosis familiis qui docent, qui discunt, qui regunt, qui œconomiam, aut aliam paulo grauiorem procurationem gerunt, hi communis psalmodiæ obligatione vel omninò, vel magna ex parte soluuntur.

Rursus quòd spectat ad alterum caput hoc est ad fructum expectandum ex noua accessione psalmodiam agentium, vtinam maior esset Christianorum ad psalmodiam confluentium sedulitas, ac frequentia, quam templorum psalmodiâ nunc resonantium numerus, & amplitudo; ita vt eadem plures iam sibi ædes pro cultorum celebritate deposceret. Sed verius accidit plerumque tantam esse ibi solitudinem, vt assidui illi numinis laudatores sibi, & Cœlitibus canant.

Neque hoc officium vt ritè, atque vtiliter peragatur aut egregiam doctrinam exigit, aut audientium cum canentibus necessitudinem, quod apte illud gerentium raritatem efficiat, sicut de absoluendi confitentium munere disputaui: quin verius officium illud quorumdam ordinum præcipuum fuit, qui & à commercio segregati, nec scientiam, imo ne clericatum quidem professi.

Tertia demum classis functiones illas caritatis continet, quæ & per se ac primario alienæ saluti auxiliantur, & non adeò multos, assiduosque operarios habent, quin ex re Christianâ sit alios ad easdem erudiri, atque obligari. Has enim vero Societas vniuersè complectitur.

His iam positis nihil attinet psalmodiæ præstantiam conferre

ferre cum illis operibus, quæ tractantur à Societate; qua de re abundè scripsit Suarius afferens duo grauissima testimonia, alterũ Gregorij Magni. *In Sancta*, inquit, *Romana Ecclesia, cui diuina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valdè reprehensibilis exorta, vt quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, & in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium eleemosynarumque studium vacare congruebat.* Alterum D. Thomæ qui prædictam Gregorij sententiam memorans ità plane docet. *Nobilior modus est prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationem, quam per cantum: & ideò Diaconi, & Prelati quibus competit per prædicationem, & doctrinam, animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur.* Mitto hæc, & alia quæ in eamdem sententiam cumulare promptum esset. Haud enim id agito, vt institutum Societatis præ alijs extollam; sed modò vt ostendam nullam perfectionis partem ab Ignatio in eâ instituendâ prætermissam. Fac enim eam optima ita ab alijs occupata reperisse, vt maius diuinæ gloriæ incrementum oriturum videret si ipse in secundis sed etiam tum vacuis consisteret, quàm si in primis splendidiùs quàm vtilius se collocaret; Enimuerò ad leges perfectissimæ caritatis egisset, illa præ his adoptando. An nouus militum delectus qui exercitum inueniat equitatu florentem, indigum peditatus, minus de Principe, deque communi salute mereri censebitur, quòd peditatui hoc est inferiori militiæ velit adscribi? An Principis aulam ingrediens primarijs administris dominique perpetuis assecliis abũde instructam minus sibi Principem demerebitur, si inferiora munera, sed domino necessaria, sed aulicis vacua præ superioribus deposcat? Fingamus regale conuiuium adornari à Dynasta: exquisitiora fercula iam abundè suppetere, bellaria leuiora deesse. Vtra emeres vt munere quàm gratissimo Dynastam donares? Danda sit Regi fabula: herilibus partibus callidi actores præsto sint, famularibus desint; Accedat Roscius: gratius ne Regi fecerit si heriles assumat, an si ad famulares vltro descendat? scilicet non rei pretium muneri gratiam tribuit, sed hæc duo incommodum dantis, commodum accipientis.

tom 4. de Rel. lib. 1. cap. 8.

l. 4. Reg. ep. 44.

2. 2 q. 91. a. 2. ad 3.

Prom-

Promptum esset Sapientum testimonijs id confirmare; Sed testis ille sufficiat, qui quamquam solus rem testatissimam facit, euidentia veritatis. Et verò reputet vnusquisque qui alicuius ciuitatis sibi commissæ salutem, virtutemque percuperet, vtrum mallet à Societate; adiumenta ne illa, quæ ex communi psalmorum cantu proueniunt, an ea in quibus Societas in præsentia desudat. Credimus ne, pios Collegiorum, aut domorum fundatores remissuros Societati aliorum munerum obligationem, si eam cum psalmodiâ permutare paciscatur? Quod si non aliter de Deo sentire fas est, ac de prudentibus probisque sentimus, hanc eamdem esse Deo voluntatem interpretari debemus; is enim vehementiùs quàm quilibet humanus curator salutem expetit animarum, pro qua & rerum vniuersitatem excitauit ad vitam, & se demisit ad necem.

Vrgent tamen, potuisse vsitatissimum illum religiosis concinendi morem in Societate retineri non ita quidem vt omnes obliget, sed tantùm aliquos cæteris curis expeditos. At, rogo, qui nam isti sint.

Discipuline, qui per summam contentionem in humanioribus literis, in contemplatricibus disciplinis, in doctiorum linguarum adeptione, in moralis Theologiæ peritia, in concionandi facultate, in diuinæ scripturæ intelligentia operam insumunt? quique eodem tempore puerorum sodalitates dirigunt, subdocentium munus in Collegijs & seminarijs obeunt, cathechesim exercent, ad plebem in triuijs, festis diebus concionantur: simul autem horariæ meditationi, sacræ lectioni, gemino in dies conscientiæ examini, sacrificio, litanijs, alijsque precibus multas horas debent?

Magistri ne aut Grammaticæ, aut Rhetoricæ, aut aliarum facultatum, qui tantum temporis Scholæ, tantum auditioni discipulorum, tantum studio, & præmeditationi ad docendum, ac dicendum necessariæ attribuant oportet, vt subtractis horis ad pietatis pabulum in Societate statutis vix spatium somno, & interspirationi laboris, quam natura flagitat, adinueniant?

Præpositi ne, Rectores, eorumque Administri, quos pro-

curatio continenter cubiculo affixos tenet ad subditorum necessitates audiendas, siquidem ea est inter nos obedientiæ religio, vt præsidi etiam ob id appellatio capitis quadret, quando neutrius iniussu motio vlla vti membrorum, sic subditorum. Certe quod de supremo rerum præside cecinit ille, id, si transferre liceat summa ad ima, bene cadit in nostrum: *Immotusque manens dat cuncta moueri.*

Reliqui ne Societatis operarij, quos plurimæ, atque operosissimæ functiones premunt, pœnitentes audiendi, concionandi, quà priuato sermone ad sodales, quà contentiori oratione ad populum; morientibus auxiliandi; aliæque innumeræ, quas facilius est vnicuique sibi, quam mihi alijs in memoriam reuocare?

Nec verò ad hæc præstanda vbertim ac passim affluit nobis rerum opportunarum copia. Sanè contempletur quis in secundarijs præsertim Vrbibus pleraq; nostrorum Collegia affecta veriùs quàm facta. Quãdo nostræ Societetis nouitas non ea permisit inibi adhuc nobis incrementa templorum, domorumque, ad quæ alij vetustiores Ordines meritissimò peruenerunt. Multa sane populorum in nos liberalitas. Ea tamen est communis inopiæ, temporumque conditio, vt quæ multos exigunt sumptus, multos exigant dies: quando cælum ipsum nos edocet exemplis suis grandia incrementa non esse nisi grandis ætatis beneficia. Quis ditior, quis potentior sole? Nec tamen is proceritatem arboribus donat, nisi multis allaborantibus annis tamquam colonis. Pleraque igitur ex Collegijs nostris (manifesta loquor, & cunctis aspectãtibus patescentia) non tam Collegia dices, quàm rudimenta Collegiorum, vix octo aut decem extra laicos excipientia, sine cẽsu necessarijs sumptibus pari, sine domo nostris vsibus idoneâ, sine templo vbi decorè, & commodè diuina celebrentur: quæ omnia nisi meis oculis vidissem, alienis non crederem: Componat postea quilibet tantam rei domesticæ incommoditatem, quam patimur, cum vtilitate quam vrbi rependimus: Meminerit humani tum corporis, tum animi debilitatem: colligatque num ex bene dotato quinquaginta religiosorũ cœnobio spes non vana fructum vberiorem polliceretur. Procul dubio quicumque talia pensauerit, æquus iudex, haud Societatem

cietatem damnabit de ſocordia, atque invtilitate, per Chori obligationem redimenda. Reliqui ſunt ſuper hos valetudinarij nonnulli, quibus vel morbus, vel inſanabilis morbi genus, longæuum ſenium, cunctis Societatis noſtræ procurationibus interdicit. At neminem adeò inhumaniter arbitrari exiſtimo, vt, qui ne communem quidem victum vigiliamque per ætatem aut valetudinem ferant, hos vnos inter omnes aſsiduo pſalmodiæ labori obnoxios velit: à quo labore vtique eximerentur vel ſi in ijs religioſis familijs degerent, quarum commune præcipuumque miniſterium pſalmodia eſt.

Audiui aliquos vſum chori deſiderantes in domibus Profeſſorum, vbi multi ſolis Confeſſionibus audiendis addicti: cuius muneris aſsiduitas à pſalmodiæ vſu non prohibet, vt in cæteris religioſis palam ſit. Sed noſſe oportet, in vniuerſa Societate triginta circiter eſſe, non amplius Profeſſorum domus. Nimirum fundatores collegia præhabent, quippe ad puerilis ætatis informationem perutilia. In his vero Profeſſorum domibus deni ferme ſacerdotes audiendis Confeſſionibus deſtinati; Reliqui partim laici domeſticis operis inſeruientes, aut ſtipem quæritantes pro communi victu; partim aliorum gubernationi, aut procurationi præpoſiti, partim pijs ſodalitijs præfecti, aut alijs occupati. Fac, à denis illis cantari pſalmos in Choro, quotnla hæc pars Societatis? Nimirum fermè ſexageſima. Quod autem vulgatius documentum, quam in qualibet hominum Congregatione prætermittenda illa onera, quibus obeũdis quam pauciſsimi ſunt pares, vt quantum fieri poteſt ſeruetur vnitas legum, qua tamquã animâ conſtat vnitas ciuilis corporis? Et verò quantulus fructus eſſet ſi in quibuſdam Regnorum præcipuis Vrbibus, vbi dumtaxat fundatores nacti ſumus qui domos Profeſſorum extruerent, deni noſtrorum alternis canerent pſalmos; cum in ijſdem Vrbibus officium illud ſanctiſsimum à tot alijs Religioſis Ordinibus multo honorificentius celebretur? Nonne magis expedit, vt deni illi, quod vacat à confitentibus auſcultandis, dent viſitandis ægrotis tum ad ſubſidium, tum ad ſolatium: dent luſtrandis cuſtodijs publicis ad animæ libertatem vinctis corpore comparandam: dent Noſocomijs ad vtriuſque hominis curationem: denique alijs dent huiuſ-

modi officijs pretio magnis, vsu raris. Nemo id negauerit qui veritatem in disputando quærat, non reprehensionem.

CAPVT X.

An quod neque tirones occupationibus vacuos, nec veteranos quosdam otio indulgentes Societas per psalmodiam exerceat credenda sit eam omittere non tanquam alijs occupata, sed auersata: & plura de mutatione legum.

INcusant tamen aliqui nos quasi psalmodiæ impedimenta in speciem causantes, re ipsa osores, quò veterum Ordinum instituta, quando verbis non licet, factis aut damnemus, aut eleuemus. Quid enim est, inquiunt, cur saltem Societatis tirones cæteris occupationibus vacui, in Choro non psallunt?

Hæc percunctatio responsinem affert verius quam exigit. Nimirum: quia sunt Societatis tirones: quia in probatione versantur. Tirocinij autem, ac probationis est in ijs operibus erudiri, quæ postea tractanda fuerint à veteranis iam probatisque. Quis enim vt probetur ad luctam agitatur in cursu? quis vt informetur ad militiam præludere iubetur in musicâ, vel in picturâ? Porrò si psalmodiæ exercitatio instrueret tirones ad alia officia, quæ veteranos manent, expediret illâ quidem Tironibus quemadmodum venatio expedit meditantibus bellum, quia membris robur, animis fortitudinem præstat. Sed quando nec ipsa in Societate gerenda est, nec ad opera Societatis propria suopte ingenio habiles facit, ad Societatis tirocinium nihil facit.

At enim, aliqui sunt iam tirocinio perfuncti qui desidiosam vitam gerunt, quosque satius esset concinere diuinas laudes in Odæo, quâm de inanitatibus in atrio fabulari. Enimuerò non ea mihi amoris peruersitas est, vt ideò aliquid bonum mihi videatur quia illud amo, sed potius ideò aliquid amo quia mihi videtur bonum. Non ergo quæcumque ab aliquo ex nostris fiunt, aut ritè fieri pugnabo, aut si res ipsa contrarium

rium clamet, fidem ſenſibus abrogauero; & infectum eſſe contendam quod infectum vellem. Scilicet fruſtra eſſent inter nos pœnales leges, ſi nulla pœnis digna committerentur. Pauci quidem inter nos otiantur. Vrget enim educatio; vrget ſodalium exemplum; Rectoris admonitio frequens; adminiſtrati muneris cura; honeſtatis demum quà diuinæ quà humanæ reſpectus vrget; nihil enim apud nos tam deſpectum quàm ſegnities. Et verò haud ſcio an vllus alius è religioſis ordinibus tam ſedulò cunctis ad vnum ſodalibus ſuis procurationem demandet aliquam nec parui temporis, nec laboris. Ex quo illud incommodi nobis emergit, vt ſi forte res familiaris decreſcit, aut cuiuſpiam anni prouentus ſpem fruſtratur, inconceſſum ſit nobis conſuetum frugi patri familias remedium, familiæ imminutio. Hæc tamen calcaria tam multa, tam acuta non valent ad impellendos aliquos indomitæ tarditatis. Hi nempe vel malam valetudinem excuſantes ne munus vllùm ſuſcipiant, vel ſuſceptum quodcumque tam oſcitanter ac gelidè miniſtrantes vt ſatius ſit nullas ab eis partes geri, quam malè qualeſcumque; præter ſacrificium, & quotidianum officij penſum nullius ferè ſunt frugis. Horum tamen in Societate paucitas ſi ab æquis æſtimatoribus, & quod in humanis cœtibus plerumque accidit callentibus reputetur, laudationis iuſtior quam obtrectationis materia erit.

Sed cur in hos ipſos non grauius animaduertitur? Hæc ſanè interrogatio non erit hominis ſubditorum tractandorum periti. Vtinam lex, vtinam pœna ad omnes vitiorum fibras euellendas valerent: nihil eſſet in Republica quod reprehenderes: ſed quibuſdam morbis ſicut corporis, ita & animi periculoſior eſt acris curatio, quàm remiſſa.

Cæterum an propter hos Chori obligatio in Societatem inducenda? Quo pacto legem concipies? Ita ne vt deſidioſi tantum in Odæo canant? At nemo ſe hac lege adſtrictum interpretabitur. Quæ deſidia in nobis eſt, quietem, & receſſum nobis blandientes appellamus, lenitate verbi rei dedecus mitigantes. Adde multis malefactis conniuendum in Republica, quæ tamen ſuo vocabulo notari à magiſtratu non expedit, ne agnita videantur: alioquin quicumque peccat, ſimul

simul cum virtute pudorem exuet, hoc est frænum illud quo Natura deerrantes & cohibet ne ferantur in præceps, & sæpe reducit in viam. Nihil pernicioſius vel ad criminis pertinaciam, vel ad exemplum, quàm ſi qui peccant, palam ſe impune peccare, & dignoſcant, & dignoſcantur.

Ad hæc, qualis nam eſſet aut pſalmodiæ dignitas, aut auditorum reuerentia, ſi munus illud ſacroſanctum nil aliud eſſe conſtaret quàm officium, pœnamque deſidiæ?

Denique, an Chorus identidem reponendus, identidem remittendus? Ità profectò. Nam nec vbique, nec ſemper deſides erunt, vel certè adeò pauci nonnunquam erunt vix vt dialogum ne dum chorum agere poſſint. At quid in inſtitutis deterius, quàm morum crebra mutatio? Nec enim alia eſt cauſa illius reſponſi quod habet Iuriſconſultus, *Ius conſtitui oportet, vt dicit Theophraſtus, in his, quæ plerumque accidunt, non quæ præter opinionem: Nam ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequenter, & facile, quam quæ perrarò accidunt*, quibus conſentiunt aliæ leges eodem titulo deſcriptæ. Quamquam enim conſultius videretur vt quoties circumſtantiæ quantumuis raræ oppoſitum exigunt, toties lex oppoſitum agendum ſanciret, tamen tanti fuit apud legiſlatores perpetuitas illa vniuſmodi morum, vt eam præhabuerint emolumento quod in ſingularibus euentibus ex mutatione manaret, niſi illud tam amplum tamque manifeſtum fuerit, vt epicheiæ ſit locus. Adde rationem illam Ariſtotelis quam S. Thomas laudat. Docet ille, in præceptis vtique artium prodeſſe mutationem cum ſit in melius; at in præceptis legum vel tunc officere. Differentiæ cauſam procliuè non erat afferre: etenim vt vidit S. Th. *lex quaſi quædam ars eſt humanæ vitæ inſtituendæ, vel ordinandæ*. Eius tamen diſcriminis hanc ibi rationem Ariſtoteles profert & per ſe pulcherrimam, & rei noſtræ peropportunam. Artium præceptiones non accipiunt vtilitatem à diuturno vſu, quemadmodum præceptiones legum; quæ vtilitas & mutatione corrumpitur, & tanta eſt vt aliam viciſſim vtilitatem exuperet, quæ ex mutatione gigneretur. Præclarè S. Thomas vbi probat id quod ſupra ex iuriſconſulto demonſtraui, leges conſtituendas eſſe vniuerſim, & non pro ſingulis caſibus, quoniam

l. Iura ff. de legibus, leg. ſeq.

2. Pol. c. 6

1. 2. q. 96. art. 6.

1. 2. q. 104. ar. 4 in corp.

1. 2. q. 96. art. 1.

tota

tota vtilitas menſuræ, cuiuſmodi eſt lex ad humanas actiones, in eo verſatur, vt per vnum multa cognoſcantur: non autem id aſſequeremur, ſi pro circumſtantiarum varietate, quæ in ſingulis euentis variæ ſunt, lex itidem varia eſſet. Sed præclarius, & in rem noſtram accomodatius eſt id quod alibi loquitur, oſtendens quomodo lex etiam puniendo faciat homines bonos. Quoniam, inquit, licet bonus ille tantum ſit qui bona non formidine mali, atque inuitus, ſed ex animo iucundeque peragit, tamen, *ex eo quod aliquis aſſueſcat taliter operari, perducitur quandoque ad hoc vt id faciat delectabiliter, & ex propria voluntate.* Enquanti ſit morum continuatio ad emolliendam legis difficultatem, & ad probitatem vel in improbos inſerendam. Scilicet non magis hæc duo: te poſſe, ac te velle, conferunt, vt facias, quàm te antea feciſſe confert vt iterum & poſſis, & velis. Quinimò tantum valet vſus ad capienda mortalium ingenia, vt quemadmodum Ariſtoteles notat, difficillimum ſit vſum à naturâ internoſcere: quapropter ea quæ bona ſunt ex humano arbitratu, poſtquam longi vſus ſuffragium acceſſit, naturæ præcepto bona videntur. 1.2.q.92. ar.2.ad vlt.

Sed alibi de mutatione legum opportunior incidet ſermo. Hæc in præſentia, vt liqueat quàm mendosè ratiocinentur, qui pro variâ, ac perrarâ circumſtantiarum conuerſione vellent leges in Societate, & ſcilicet Chori prætermiſſionem immutari. Quaſi verò, quoniam aliqua corpora naſcuntur, quæ ante vigeſimum primum annum haud ægrè ieiunium ferrent, reprehendenda ſit Eccleſia, quæ vniuersè illam ætatem ieiunij obligatione abſoluit; quaſi quoniam nonnulli priuſquam vigeſimum quintum annum expleuerint, plus longe intelligunt, quàm alij in virili, aut ſenili ætate, reprehendendum ſit ius ciuile, quod hos præ illis, ſi deliquerint, grauius puniat, quodque horum contractus per ſe ratos, illorum irritos faciat. Sed in re apertiſſimâ, & exemplorum vberrimâ putidum eſſet immorari.

Verum, vt hic locus omninò purgetur à me, duo ſubijcienda ſuperſunt. Alterum eſt eiuſmodi rationes Chori prętermittendi non tantum Ignatio, non tantum nobis, ſed Petri oraculo comprobatas. Nam Gregorius XIII. ſuper hoc ipſo

ipso articulo constitutionem edidit, cuius initium est: *Ex Sedis Apostolicæ*: vbi non solum approbat eum Societatis morem, sed causas plures ad eius confirmationem producit. Prima est, *quò acrius studijs, & prædicationi intendere possint*: quæ causa spectat ad ea, quæ attulimus ex Gregorio Magno, ac S. Thoma. Altera explicatur ijs verbis: *Nos attendentes Religionem prædictam vberrimos fructus ad Dei laudem, & sanctæ Catholicæ fidei propagationem per vniuersum orbem dedisse, meritoque in suis pijs studijs consouendam esse*. Subindicant eiusmodi verba, ex mutatione in rebus initio institutis vsuque firmatis periculum fore ne sodalitas hæc alioqui non infructuosa labefactaretur, quod planum fit per ea, quæ diximus de vtilitate quam perpetuitas vniusmodi morum affert ad cuiuslibet vniuersitatis conseruationem. Tertia tandem est, *quia hoc modo fuit hoc institutum à Paulo III. & Iulio III. approbatum, eique per Sanctum Concilium Tridentinum derogatum minimè extitit*. Quam rationem interiùs explorantes solidissimam deprehendent. Fac enim, ea quæ à maioribus probata sunt, à successoribus nullâ nouâ causâ interueniente improbari, concidit illicò vetustatis auctoritas, Palladium illud inuictum, quo nihil validius ad obedientiam populorum. Ita plane: quando nunquam humanus animus in tantum se demittit obsequium, vt diu opere exequatur, quod opinione repudiat: & nimia procliuitas est ad magistratuũ improbanda decreta nisi vetustatis idem sentientis intercederet reuerentia. Ideò antiqua veneramur, præsentibus obtrectamus, nisi præsentibus ipsa vetustas adstipuletur. Ad hanc verò cohibendam hominum libidinem principalia examinandi, adeoque damnandi, spectant leges illæ: *Non omnium* & proxima ff. de legibus quæ ità nos admonent. *Non omnium quæ à maioribus constituta sunt ratio reddi potest: & ideo rationes eorum quæ constituuntur, inquiri non oportet, alioquin multa ex his quæ certa sunt subuertentur*. Quæ verba ne sic acceperis, quasi lex aliqua possit sine ratione consistere, hoc enim substantiam ipsam, & definitionem legis euerteret. Sed quoniam vt monet S. Thomas in rebus naturalibus, & humanis haberi non potest euidentia certissima, & nunquam fallens, sed tantum, *vt aliquid sit verum vt in pluribus licet*

1. 2. qu. 96. ar. 1.

deficiat

Digitized by Google

deficiat vt in paucioribus, ideò rationes legum supra dubiam probabilitatis lucem non clarescunt; *probabile* enim definitur passim ab Aristotele *quod plerumque contingit*. At quemadmodum rei euidentia, ceu Bucephalum Alexandri manus, humanam ingenium frenat, ac vincit, ita probabilitas est tanquam campus, in quo mortalium opiniones depræliantur. Idcircò necesse fuit vt homines antiquitatis religione potius quàm rationum vi ad leges probandas adeoque seruandas ducerentur.

Alterum quod adiiciendum occurrit, est, curasse Societatem ne psalmodiæ morem sanctissimum aspernari potius videretur vt inanem, quàm relinquere tanquam suis functionibus insociabilem. Ideoque non illam omnino à se remouit; sed libare id placuit, quo exsaturari non vacat. Ergo in sanctiori triduo maioris hebdomadæ, & in Dominicæ natiuitatis nocte, & in funere nostrorum planam simplicemque psalmodiam vsurpat. Hoc verò satis declarat id nobis eximium haberi, quod vel ad sanctiorum dierum celebritatem, vel ad grauissimam nostrorum necessitatem adhibemus. Cæterum, quando S. Thomas de oratione generatim dicere non dubitauit: *Oratio secundum se considerata non potest esse assidua, quia oportet alijs operibus occupari*; quid ni hoc ipsum causari nobis liceat, ne assiduam habeamus, non quidem orationem (eius enim cultus in Societate diligentissimus) sed psalmodiam, quæ licet præstantissima sit, non tamen adeò necessaria vel ad canentium vel ad audientium profectum, quin possit alijs emolumentis compensari? 2. 2. q. 83. a. 14.

CAPVT XI.

An Societas Iesu aptis vijs ad propositum sibi finem tendat. Et primum de tironum vacatione à studijs eorumque solitudine.

DE fine quem Societas persequitur satis dictum. Sed alius locus occurrit difficilior iuxta atque amplior,

hoc est an aptis, & congruentibus modis illa eiusmodi finem quærat. Nimirum facilè est, & commune aspirare ad bonum, vt pote quod omnia appetunt, sicuti vetus est verbum: ad bonum ritè progredi hoc enim verò rarum multæque prudentiæ. Prudentia namque, vt Aristoteles, & Aquinas docent, nihil in finis destinatione versatur; quantacumque est laborat in ijs cernendis, atque eligendis, per quæ breui, commodèque in finem antea præstitutum collimet. Non ergo prius hæc Societas vel laudari merebitur, vel absolui, quàm liqueat, non vtcumque bonum ab illa quæri, quod omnium est ac per se parum; sed etiam benè, quod paucorum, & maximum.

Ante alia offert se nobis institutio tyronum, quæ & ordine temporis prima est, & momento præcipua. Tales enim ciues habemus quales facimus. Et cum omnes quotquot nascimur, eamdem sortiamur naturam, non alia est potentior causa, quæ tantam morum dissimilitudinem inter homines gignat, quàm altera illa multiplexque natura quæ per educationem nobis insinuatur. Parùm ad hanc Cœli diuersitas valet, si cum educationis diuersitate conferatur: Quando in eisdem regionibus vno eodemque astro afflatis ingentem aspicimus per varias ætates ingeniorum studiorumque conuersionem: Nempe cum primum inibi leges, & disciplina, adeòque institutio gentis aptè mutantur, confestim verum apparet effatum illud: *Sapiens dominabitur astris*. Porrò cum adeò varij hominum ordines tum in profanâ, tum in sacrâ Republica ex vniusmodi fermè Ciuium genere, tanquam plures riuuli ex eodem flumine dirimantur, non alia est ratio cur non solùm moribus, sed affectionibus tam infinitè differant, quàm educationis differentiâ. Ea propter tum Plato tum Aristoteles primariam curam publici moderatoris ad culturam tenerioris ætatis destinauit.

Iam verò non desunt multi, qui tanquam abnormem nostrorum tironum disciplinam, vel vt aduersarij mordent, vel vt beneuoli lamentantur.

Quid enim? inquiunt, An non tirocinium debet esse futuræ vitæ rudimentum? An non eâ gratiâ institutum est, vt mutuo experimento, & sodalitas tironem, & tiro sodalitatem

tem periclitetur, antequam perpetuam vitæ Societatem inter se paciscantur? Quid ergo tam absonum, quàm solidum biennium florentis adolescentiæ à tironibus conteri ea vivendi ratione, quâ nunquam posthac vsuri sint; nihilque interim fieri eorum, quibus facilitandis vniuersam vitam debeant? Sodalitas hæc ad studia literarum, ad officia pietatis in proximos, adeoque ad commercium, ad labores, ad pulverem nata est, impigra, actuosa, tota ferè in alios spectans: & tamen eius si tirocinium contempleris, nihil alienius excogitare poteris ab eiusmodi officijs. Ablegata studia, collocutiones, ac penè etiam aspectus non externorum modò, sed nostrorum interdicti; exercitatio corporis fermè nulla, nihil non solitarium, non cessans, non meditabundum, Charthusianæ scilicet potiùs aut Cistercienſis, quàm nostræ vitæ simulacrum. Non ita Religiosi ordines cæteri, inter quos in eisdem cœnobijs & tirones, & veterani conuiuunt: Itaque hinc hauriuntur exempla virtutis; quæ virtus nunquam satis benè per sola præcepta influit in animum, vt potè in quem longè facilior per oculos, quàm per aures via: inde verò mores, propensiones, interioresque animi labes, si quæ sint, plenius ac certius explorantur, quàm si tirones vni tantum Magistro nouitiorum pateant: Vnus enim quamuis Argus multa in multis non videat necesse est; at plurimi, vel lippis oculis vident omnia.

Accedit, sicut citharam in sonitu, equum in cursu, arcum in ictu, sic hominem in actione dignosci. Absurdissimum igitur est eo tempore quod dignoscendis probandisque tironibus datur, eosdem ab omni actione remouere.

Hæc prima reprehensio est aduersus nostrum viuendi morem, eademque quò blandior, eò insensior; Quippe ex obiecta quadam vtilitatis specie admonitio potiùs videtur quàm accusatio, atque adeò aliquos ex nostris, qui animum non satis attenderint, ad mutationem non ad defensionem mouet. Cæterum, quando & res per se ponderosa est, & ad principia nostræ institutionis attinet; error autem vel exiguus in principio, grandescit in progressione, vt Aristoteles monet; proin sedulo nobis expendenda, non cursim.

Nascitur hæc reprehensio, ni fallor, ex neglecta notatione

illius finis, cuius gratia tirocinium in religiosis ordinibus constitutum est. Cum enim Religio, vt docet S. Thomas, non sit status perfectionis, hoc est qui homines iam perfectos accipiat, ac poscat, sed schola perfectionis, quæ scilicet homines non antea perfectos perficit; ideo antequam aliquis in religiosam familiam adlegatur, triplici de causâ est in tirocinio periclitandus. Primò quidem vt constet, eum perfectionis acquirendæ studiosus & capax sit. Frustra enim te exerceas in palestrâ illius artis, quam condiscere vel non cupis, vel non vales.

Secundò vt informetur quibusdam dotibus necessarijs ad exercenda officia illa, quæ talis Religiosæ Congregationis sunt propria, & per quæ ibi ad perfectionem contenditur.

Tertiò vt experiatur quidquid maximè durum in religiosâ vitâ sibi deuorandum fuerit, cui si concoquendo se forte imparem sentiat, possit primis tanquam deguſtatis ferculis ab eâ mensâ recedere, quàm stomachus auersatur. Hæc nempe emolumenta illa sunt quorum causâ inuentum est tirocinium.

His iam cognitis id primum statuo, haud quaquam tironibus factitandâ opera illa, quæ anteà necesse est vt in Religiosa vita perdiscant. Exemplis commodissimè rem explicabo, Hierosolymitani quidem Ordinis tirones, par est vt se Ordini probent in nauali militia aduersus Christiani nominis hostem; Præliaris enim indoles & fortitudo, præcipuæ illæ dotes sunt, quæ desiderantur in adolescentibus tali Ordini adiungendis; hæ autem dotes augeri in ea sodalitate possunt, omnino procreari non possunt. E diuerso in sacrâ Prædicatorum familiâ non expedit, vt tirones concionando se probent ars enim concionandi ibi addiscitur, non affertur.

Perge: Gregorius XV. Collegium Romæ fundauit propugandæ fidei Catholicæ destinatum; in quo per eximiam Sedis Apostolicæ, purpuratorum Præsulum, aliorumque piorum diuitum liberalitatem ingentibus sumptibus magna cohors enutritur in obsequium Christi, Tartarique perniciem. Hinc forte ibi exercentur in prædicando Euangelio, pertrahendisque ad veram fidem Iudæis? Nihil minus; Sed iis imbuuntur pietatis, doctrinæque seminibus, ex quibus olim

olim possit in hæreseos, ac superstitionis Regnis Christi fides efflorescere: simulque periculum fit, num præditi sint ingenio ac moribus tantæ prouinciæ accommodatis.

Hæc de religioso tirocinio in vniuersum, vt per ea descendam ad tirocinium Societatis.

Duas potissimum res ministeria nostra expetunt à tirone extrinsecus ab eo afferendas, non acquirendas ex religiosâ disciplinâ.

Alterum est eum sortitum esse animam bonam, morigeram, inferioribus commotionibus vel penè vacuam, vel dominantem, in Deo fixam, eique amore & cogitatione inhærentem; cui animæ mortalia vel iniucunda videantur, vel superuacua; ita vt quanquam ijs ieiuna, Cælestium spe ac meditatione satis lactetur, & saturetur. Id enim nisi tiro quadamtenus adducat de suo & continenter in tirocinio augeat, idoneus Societati non erit. Societas quippe ea est quæ in nullo deficit viuentibus ad naturam, in nullo indulget viuentibus ad voluptatem; asperitates Corporis non imponit, illecebras tamen inhibet, mundanis honoribus imperuia, delicijs vel tenuissimis inaccessa: vno verbo talis, vt veteres illi philosophi qui res expetendas indolentiâ corporis metiebantur, fuissent in eo vitæ genere vtcumque contenti, qui verò corporis delectatione, miserrimi. Porrò eiusmodi animâ terrestrium cupidine vacuam nil melius probat, quàm diuturna absentia terrestrium omnium, quæ natura non exigit. Quando nulla causa reddit nobis bonum aliquid æquè necessarium ac amor; quo fit vt quos impensè amamus, *necessarios* nuncupemus. At *necessarium* dicitur quoniam sine illo *nec esse* possumus. Qui ergo integrum biennium hoc est non modicam vitæ portionem læsus transigit longè à consanguineorum consuetudine, ab externorum allocutione à nouorum euentuum notitiâ, à celebritatum omnium aspectu, & cum sit in sacræ contemplationis tanquam insulas deportatus, beatas à se insulas inuentas putet, hic enim vero Societati probat indolem suam nostris institutis factam, & consentientem.

Alterum ministerijs nostris apprimè necessarium, & foris ad nos deferendum, est capacitas, ac solertia doctrinæ acquirendæ,

rendæ, tractandæ, vtendæ. Hoc est ingenium experrectum, acutum, nihil litterariæ defatigationis pertæsum, sermonis affabilitas modestè vinida; insita nescio quæ agendi vis piè sagax, itàque tractandis, conciliandis, & scilicet perficiendis hominum animis nata; corporis valetudo sub nostræ vitæ laboribus, ac studijs non fatiscens, nostrique victus, & cultus patiens. Hæc verò haud omnia insigniter, sed quatenus datur in tot millium sodalium cœtu, non ex Angelorum Choris, sed ex Adami vitiatâ propagine deligendo.

Aliqua tamen horum satis cognita nobis sunt antequam nouus alumnus in tirocinium admittatur, veluti ingenium, comitesque ingenij dotes, quæ in nostris gymnasijs patuerunt. Item anteà de corporis valetudine solet exquiri, eamque deinde comprobat in tirocinio cibi, ac somni modus plane idem ac posteà in vniuersâ vitâ seruandus; additis tum voluntarijs castigationibus, tum loco studiorum assiduis meditationibus, sacrâque lectione, per quas non leui opere probatur corporis robur, tum demum pedestri peregrinatione emendicato peragenda, menstrua in publicis nosocomijs opera, domesticisque laboribus, quos infra memorabo, postulantibus simul animum apprimè humilem, simul corpus si non athleticum, certè non valetudinarium.

Præter hæc duo bonorum genera, tertium porrò est, sine quo Societatis officia peragi nequeunt, veluti doctrina, prudentia, prudentiæque parens experientia. Hæc autem bona vt potè ætatis, disciplinæ, atque industriæ fructus, Societas plerumque in adlectis sodalibus parit, non reperit.

Quod verò in ipso tirocinio eiusmodi bona procreari Societas non studeat sapienter institutum. Alia enim bona in tironibus perficere molitur, quæ potiora, eademque difficiliora, quæque cum hoc tertio bonorum genere commodè adolescere, colique non possunt. Quid enim? da ingenium addiscendi capax, atque auidum, quale apparet in ijs qui in Societatem recipiuntur, da Corporis valetudinem nostræ vitæ non imparem, qualem experimur in tirone, vix dubitandum est, quin is vbi studijs admouebitur, satis profecturus sit. Da innatæ prudentiæ semina, da eloquium, da comitatem, credibile est, cùm accesserit maturitas & experientia, obuen-

turam

turam quoque dexteritatem rebus agendis, capiendisque animis idoneam. At hæc omnia naturæ dona æquè in vtramque partem valent si vel pietati, vel humanis appetitionibus famulentur. Id enim commune est bonis omnibus præter virtutem, vt Aristoteles notat initio Rhetoricorum, quod perinde nocere possint, ac prodesse. Quare id caput rei est, vt tiro imis visceribus pietatem imbibat, mortalia calcet, contumaces appetitus domet, ac tandem, quantum mortalibus datur, extinguat; præsidis dicto parère sic assuescat, vt gaudeat; eique submittat non actiones tantum, sed actionum dominas voluntates, quin etiam voluntatum præmonstratorem magistrumque iudicium. Hic enim verò est tirocinij fructus non pretiosior, quàm operosior, quo fructu vbertim demesso, quod reliquum est religiosæ vitæ, quasi nauigatio parato viatico, facile sustentatur.

Hunc verò fructum, fidenter aio, non ex aliâ culturâ melius existere, quàm ex cessatione studiorum, non ab alio sole melius educari, quàm ab vmbrâ solitudinis.

Primum sic ostendo. Nulla in hominibus gloriationis materia vel maior vel iustior, quàm ingenium, & scientia: per hæc enim belluis præstant, & ad Deum accedunt, & per hæc eadem alter in alterum, vt Aristoteles ait, naturâ, non fortunâ dominatur. Pugnantia ergo sunt, velle vt aliquis eodem tempore gloriationem omnem dediscat, & scientiam condiscat; vt se infra omnes animo demittat, & cunctis excellere ingenio conetur. Ideò, ne illa quidèm manuum opera nostris tironibus conceduntur, in quibus operibus aliquid ingeniosi eminet, ac liberalis, vt ne ex illis graphicè peractis gloriolæ titillatione aliquâ vellicentur. Sed concluduntur in illis exercitationibus corporis, quarum aliæ ad Aristotelis regulam, aut sordidissimæ sunt, aut maxime famulares, quod in alteris maximè inquinatur corpus, in alteris plurimum corpus, minimum ratio atque ingenium adhibetur. Prioris generis sunt, patinas lebetesque qui ex vsu mensæ sordue runt repurgare, in culina ollas extergere, domus pauimentum verrere: posterioris verò generis sunt aquæ terræque pondera deferre, mensam sternere, ac postea nudare. Quod si nonnunquam leuiora quædam manuum opera interponi

necesse

necesse est, ne vel perpetuo animi, corporisque labore conficiantur, vel inerti otio, prauarum cogitationum satelliti, pateat rima; distinentur in ijs opificijs, quæ ad eiusdem Aristotelis normam ignobilissima sunt, quod in eis minimum virtutis desideretur; quale est contexere funiculis flagra piæ verberationis instrumenta. Similiter veteres illi Monachi, eo tempore quo mortalis imbellicitas efflagitabat requiem à muneribus animæ nobilioribus, vt otij tædia simul & insidias arcerent, storeas texere soliti erant, vilissimum scilicet opificium, adeòque humilitatis, non elationis materiem; eas verò storeas iam contextas nonnunquam conijciebant in ignem tanquam earum vilitatis autoramentum. Scilicet cum ex philosophi doctrinâ, quidquid est, efficiendi aliquid gratiâ sit, non aliàs homo nihil se esse putat, quàm vbi vel nihil efficit, vel rem planè nihili.

Hæc est ratio cur Societas ingenti vtiq; sumptu bienne tirocinium educet sine vlla operis fruge, ac ne cum doctrinæ quidem culturâ: nullus enim grauis esse debet sumptus quo emitur virtus, cui tantum vel parandæ, vel exercendæ res familiaris est expetibilis.

Venio ad alteram partem enunciationis meæ, atque ostendo expedire tironibus Societatis solitudinem & secessum illum vel à nostris veteranis, quem isti monitores coarguunt.

Inqua re haud me premit exemplum ab alijs religiosis Ordinibus petitum; quippe illos, vt credibile est, cogit cum veteranis tirones tecto sociare, vel domorum penuria, vel psalmodiæ vsus, cui tirones vt pote cæterùm vacui, præcipuè deseruiunt. Simili enim de causâ nos quoque tirones aliquot semper habemus in domibus professorum, sacrificantibus ministrantes, quam necessitatem à Collegijs remouet scholasticorum ibi degentium copia. De reliquo etiam apud alios Religiosorum Ordines & designata tironibus certa ædium pars veteranis est inaccessa, & mutua colloquutio interdicta; idque peropportunum vt appositè ad virtutem erudiantur. Id porrò vidit magnus Basilius, qui hac de re sic ediserit: *Seorsim ipsis tironibus & locus in quo habitent, & victus ratio quam teneant, assignari debet.* Cuius præcepti huius præsertim causas reddit. Altera est, *ne ex multis, quæ ijs qui adultiores*

c. 15. reg. fus. disp.

ætate

ætate sunt imponuntur, quod in exequendis suis officijs non ità interdum diligentes fuerint (si modo, vt assolet, incidit mentem ipsorum temerè aliud agentem aberrasse) procliuitas quædam maior ad peccandum in animis illorum nascatur, aut sæpenumero etiam sentire de se elatius incipiant, cum in quibus ipsi rectè se gerant, in ijs natu grandiores labi animaduertant; neque enim interest, vtrum sapientia quis an ætate puer sit. Itaque nihil est mirum, eadem plerumque in vtriusque animi vitia reperiri. Alteram nec minus validam ita proposuit. *Simulque*, inquit, *ex huiuscemodi separatione & habitationis & victus plerumque prouidebitur, ne quibus in rebus natu maiores si eas gerant decorum propter ætatem seruatur, ad eas adolescentuli ob assiduum cum ipsis vsum indecore ante tempus affiliant.* Has ergo rationes productas à scriptore qui non minus sanctitate quam sapientia *magni* cognomentum & obtinuit & impleuit, idemque religiosorum pater atque institutor præstantissimus habetur, curæ pretium duco paulò accuratius euoluere.

Prior illarum eò euadit, vt prodesse demonstret veteranorum mores à tironum oculis amouere. Virtutis enim perfectio mente cogitari, verbis explicari bellissimè potest, digito monstrari vix potest. Certè perquam rara intermicat inter humanas noxas; Et tamen plus valet ad imitationem licentia, quàm probitas. Malè igitur obijciunt huius consuetudinis reprehensores, plus momenti habere ad mouendum exempla, quàm verba. Ita est; sed hoc ipsum nobis suadet, vt à teneriore illâ, cereâque ætate audiantur verba, quæ ad omnem excellentiæ apicem sustolli possunt, amoueantur exẽpla, quæ labeculis (nec enim iuuat dissimulare aut absolutissimam in nobis omnibus virtutem ementiri) carere non possunt; itaut, si videantur, & verbis fidem adimant, & disciplinæ vtilitatem corrumpant. Aristoteles profecto cui subscribit D. Thomas, castigauit tanquam nociuos philosophos illos qui omnem planè delectationem damnabant. Cum enim, inquit, vita sine delectatione duci non possit, illi ipsi qui delectationum genus vniuersum disputationibus exturbabant, factis tamen aliquas admittebant; itaque philosophorum factis deperibat emolumentum philosophicæ doctrinæ; quoniam homines ex opere magis quàm ex ore sa-

Digitized by Google

pientium opiniones interpretantur. Præstat ergo, ait Aristoteles, non vniuersè delectationes è suggesto damnare, sed illas tantùm à quibus abstinere possis in vitâ.

Quæ cum ita sint plurimum eneruaretur religiosæ institutionis efficacitas si tirones nonnulla quæ vt inconcessa acciperent auribus, eadem vt permissa, nec infrequentia, oculis vsurparent. Id autem euenire necesse est in quocumque vel castigatissimæ probitatis sodalitio, præsertim ingenti. Vbi enim de culmine virtutis agitur, perinde contingit ac in geometricis illis effatis de circulo quadratoque perfecto, quæ vt vera sint oportet cogitationem à sensibus auocare: nihil enim tale in sensus occurrit.

Ad hoc, non solum verba exemplis, sed verba verbis nonnunquam eneruarentur. Etenim procliue est vt quisque vocibus probet, quæ factis persequitur: ac proindè veterani illi disciplinæ non seruantissimi aliquando ea quæ opere negligunt, dictis eleuant, vel vt inania, vel vt leuicula, certè vt ad virtutem non necessaria.

Rogabit hic, opinor aliquis: nonne consultius foret eam proponere virtutem tironibus persequendam quæ in humanum commercium cadat, non quæ in Ideis tantum Platonicis exspatietur? quæ alijs eiusdem religiosæ familiæ quæri potuit, non quæ humanam imbecillitatem prætergressa, specie potior est ad disputandum, quàm vsu ad viuendum? Consultius id foret vtique, ni actionum humanarum conditio ea esset, vt semper ictus infra scopum caderet. Maxima suadere oportet vt magna persuadeamus.

Adde (& hoc posteriorem illa causam attingit quam ex Basilio protulimus) quod nisi præceptiones à factorum conspectu separentur, non insignem modò & perarduam, sed ne mediocrem quidèm, & consuetam virtutem obtinebimus, & omnia continenter in deterius ruent. Prauorum aut si mauis dicere, molliorum exemplorum ea vis est, vt licet seorsim à multis manet, tota pertingat ad vnumquemque spectantium. Etenim tanta est humanæ naturæ pronitas ad licentiam, vt perinde faciat in vitijs aut venijs, ac Zeusim feciſſe accepimus in venustatibus: quemadmodum ille venustates quæ diuisæ nitebant in multis, in vno Helenæ simulacro

iunxit

iunxit; ita homines, quas labes aut certè à communibus legibus laxamenta, seorsim in pluribus vtcumque permissa cernunt, ijs omnibus sese inquinare nec intutum habent, nec indecorum. Ideò qui postremus fuit veniæ gradus in veteranorum vel liberrimo, vel agentissimo, vel meritissimo, ijs erit primus in tirone si tirones veteranis misceantur. Sunt inueteranis multi vitæ sanctimoniâ conspicui: Esto, dicent tirones; nihil necesse est eos imitari; quando in veteranis pariter multi sunt qui saluâ religiosâ vitâ liberius agunt. Vtinam tam benè comparati essent hominum animi, vt sibi ad imitandum proponerent potiùs quod optimum videtur, quã quod facillimum. At quantum imitatores virtutis infra exemplar subsistunt, tantundem imitatores vitiorum supra exemplar assurgunt.

His duabus causis diuidendi tirones à veteranis, quæ in omnia religiosorum sodalitia conueniunt, tertia quædam adstipulatur Societatis nostræ propria. Vt enim inter nos functiones assignatæ tironibus, vel scolasticis, vel operarijs magnoperè differunt inter se, ità in horarum distributione, atque in cæteris quæ ad communem vitam attinent, magnam œconomiæ diuersitatem requirunt. Quo fit, vt sine multo vel omnium, vel certè vnius partis incommodo conuiuere non possint. Omnis enim bene instituta consociatio siue à natura siue à lege, necesse est vt nulli ex consociatis partibus noxia, vel molesta sit; alioquin & breuis est, & dum permanet, iurgia nutrit non caritatem.

Neque tamen putes recessum illum Tironum planè stentem esse ad officia postmodum exequenda in societate. Religiosis enim viris piæ meditationi vacantibus mirificè quadrat Scipionianum illud, nunquam eos minus otiosos esse, quàm cum otiosi fuerint, nec minus solos, quàm cum soli. De ipso Scipione Cicero ait. *Duæ res quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, otium, & solitudo:* Hoc idem in religiosos valet, qui non negotij inopiâ, sed contemplandi studio interdum se recipiunt in solitudinem tanquam in portum. Quemadmodum leoni somnus, ita religiosis secessus eos spiritus creat, per quos exinde vterque pugnacior, alter syluarum belluas, alter syluescentium animorum belluinas cupi- 3. off.

ditates profligat. Scitè D. Thomas: *prædicatio, & doctrina, prouenit ex abundantia contemplationis*. Et de prædicatione quidem id experientia ipsa clamat. Nulla enim eloquentia violentius se se infert in audientium animos, eosque permiscet, quàm sanctimonia concionantis. Protritum est illud; nemo alios incendit quin ipse ardeat: nec vsquam ingentes morum conuersiones vidimus à facundiâ scientiâque, sed à dicentium probitate confectas: Seu quia nulla eloquentior ad virtutem adhortatio, quam ipsa adhortantis virtus: Seu quia languidius quisque alteri suadet, quod non persuasit sibi. Ex quo manauit peruagata illa politicorum præceptio: si quis princeps alium Principem fallere per legatum velit, legatum ipsum prius fallat oportet: Seu quia Deus sine quo neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, vberius longè dat incrementum si fuerit plantanti rigantique beneuolus. Accedit quòd quicumque non Iesum vnicè amant, ijdem vtique neque Iesum prædicant, sed semetipsos: adeòque, iactabundi artem ostentant, qua nulla pestis deterior, ne fructus excrescat: ita vt Quintilianus ipse nil tam peruersum in Oratoribus clamet, quam ambitiosam quamdam libidinem ostendendæ artis, quæ si appareat, inquit, ars nulla est. Denique amor disertum facit, & parum distant inter se in tam bonâ apertâque causâ duo hæc: percupere vt obtineas, atque obtinere. Sed hæc cupiditas in camino piæ meditationis conflatur, & solo igne caritatis inardescit.

Hæc ad euincendam superiorem partem illius effati, quæ pertinet ad prædicationem: porro idem ostendere de altera parte, hoc est de doctrinâ non videtur adeò expeditum: attamen in ea etiam parte magno Aquinati ratio, atque experimentum subscribunt. Nempe reputare oportet, multa cum sint, de quibus philosophamur, vnam demum esse philosophiam, hoc est contemplationem veritatis. Ideò nulla veritatis contemplatio adeò ab aliâ contemplatione distat, quin ad illam sit gradus. Et quemadmodum pictor qui prælia graphicè effinxit, facilè hortos & nymphas imitabitur, quoniam vna est ars penicillo imitandi; ita ingenium quod de rebus ad pietatem pertinentibus diu atque interiùs cogitare assuescit, facile super physicis etiam, aut metaphysicis medi-

meditabitur, quoniam vna tandem est ars veritatem meditandi. Multiplicem sanè scientiam esse fateor cum Aristotele, sed scientias omnes aio inter se cognatas, amicas, adiutrices. Memorant Democritum cum in Protagoram incidisset puerum etiam tum, vecturasque onerum victus gratiâ corpore suo factitantem, qui fortè lignorum fascem baiulabat; cumque fascem illum graphicè, & quasi geometricâ ratione compositum animaduertisset, rogasse; quis nam ea ligna colligasset: respondente autem puero id à se confectum, optasse experiendi grátiâ, vt lignis disolutis iterum concinnaret: quod cum sine morâ factum aspiceret, indolem hinc philosophicam suspicatus, inuitauit puerum vt secum maneret, suæque disciplinæ se traderet: conditione verò acceptâ Protagoras ab eo in spem magni philosophi educatus est, successu coniecturam probante. Vsque adeò cuncta, quæ in rationis exercitationem cadunt affinia sunt inter se vt lignorum aceruum aptè iunxisse agnitum fuerit tanquam initium aliquod excellentis philosophiæ. Biennium ergo illud quod sedulâ piarum rerum contemplatione, lectione, serijsque colloquijs adolescentes exercet, sine ingenij theatro, atque ostentatione est; sine ingenij tacitâ quadam gymnade, fructuque non est. Certè id ego non sine admiratione sum expertus, quicũque anteà vel philosophiæ, vel politioribus literis studuerunt, eos confestim post illam biennij cessationem longè acutius speculari, plenioresque leporis, ac succi scriptiones edere, quàm anteà feciſſent. Ad summam non omnis præparatio ad opus aliquod factitandum ipsius operis exercitatione continetur. Damnabis ne militem, qui in procinctu pecuniam congerat, arma expoliat, equos coémat, & non potiùs gladiatoriam tractet, hoc est bellum in pace? Damnabis ne Olympionem qui equum in spem palmæ alens pridie certaminis non illum cursu fatiget, sed cibo & quiete reficiat? Nempe quamuis ad agendum apprimè conducat habitus, qui per actus consimiles procreatur, alia tamen sunt ante actum ipsum perneceſſaria, quæ nisi præmiseris, nihil aliud actitando egeris, quàm vt habitum malè, ineptèque agendi contraxeris. Gell. lib. 9 cap 3.

Vt ergo quæ multis explicaui contraham in pauca vno tamquam

tamquam obtutu conſpicienda ; conſtat egregiè allucinari eos qui hanc præpoperam inter veteranos ac tirones vitæ conſuetudinem, nec non litterarum culturam, & noſtrorum munerum exercitationem inuehendam pugnant.

Commercium enim illud quamuis cum hominibus maximâ partem virtute præſtantibus, vtique & exemplo, & alloquio plus noceret, quàm prodeſſet: quando longè acriùs tum in opere, tum in ſermone pellicit ea licentia quæ flagitij ſpeciem non habeat, quàm ſanctimonia illa quæ impunè innocenterque repudiari poſſit.

Cum litterariâ verò diſciplinâ ingens ſui abiectio, ac deſpicientia, & defixa in Deo meditatio, ſine quo tanquam ſucco fūctiones noſtræ in Chriſtiana Republica vel exititiales ſunt, vel vt minimum fatuæ, perſeuerare quidem poteſt, incipere, & ſuccreſcere niſi rarò non poteſt. Nec interim occupationes illæ in quibus tirones diſtinentur, nullius frugis ſunt ad ingenij profectum, & ad doctrinæ olim extituræ prouentum, vt ratio ſuadet, ac ſucceſſus confirmat. Denique ad munera noſtra longè melius inſtruuntur tirones ſi non illa ſtatim capeſſant, ſed per dotes quas in eâ tirocinij palæſtrâ partim probant, partim quærunt, ijs ſe muneribus pares ac dignos & demonſtrent, & reddant; quàm ſi eadem munera à principio malè obeuntes benè obeundi facultatem nunquam adipiſcantur.

CAPVT XII.

Cur Tirocinium Societati, quàm alijs religioſis familijs diuturnius.

SVper hoc loco ſic diſſerunt Societatis reprehenſores. Cum cæteri religioſi Ordines annua probatione contenti ſint, cur ſola Societas biennem inuexit? Si enim annus ſatis eſt ad ſtabiliendum ſolemni voto nexum indiſſolubilem vitæ, quo cæteræ religioſorum familiæ vinciuntur cum veteranis ſuis, quid ni ſatis ſit ad conciliandam coniunctionem

nem illam laxiorem, & solutiorem, qua tironem Societati nectunt vota simplicia post tirocinium? Hæc illi.

Enimuero quicumque aliena reprehendunt, alteri omnino ex duabus causis prauum opus attribuunt necesse est, vel improbitati voluntatis honestum commodi alicuius gratia consultò relinquentis, vel mentis errori, quæ specie recti decipiatur.

Porro illam priorem quis suspicetur in Societate, cui nimirum tirocinij productio, valde sumptuosa, nihil frugifera est? tirocinium quippe cessantium educatio est, non ministrantium. Quamobrem perinde illud protrahere compendij sui causâ Societas potest, ac agricola, qui feracem campum nactus, & quotannis messi parem, eum perpetuò sumptu ac labore colens, alternis tantum æstatibus meteret.

Quantum verò spectat ad iudicij errorem, prouerbium est non vulgatius, quam verius: vnusquisque sapit in rebus suis; præsertim verò nec leuibus, nec inexpertis; Sedula enim perpensatio rei deliberandæ grauitatem sequitur, & diuturna experientia diuturnum vsum: quibus magistris etiam hebetes perdocentur. Mirarer his rationibus per se cuique expositis non obtineri vt aliorum res gestæ apud eos sint indemnatæ, apud quos earumdē causæ in exploratæ; nisi intelligerem quam suaue sit ea damnare, quæ despicere non possis. Nam vt quicumque alios iudicat, se maiorem facit; ita qui iudicando damnat, meliorem quoque se tacite pronuntiat. Hæc in transcursu; iam in viam redeo. Atque aio, quod de contrarijs veterum exemplis, deque huius moris nouitate dicitur, similiter fieri ac plerumque ab imperitis, qui recentia nominant quæ vetustissima. Cum enim frequentes sint rerum conuersiones in hoc vicissitudinum regno, multo plura renascuntur quam nascantur; eademque cum antiquissima sint, recentia tamen appellantur ab ijs quorum notitia recentibus annis terminatur. Non aliter ac si qui hesterna nocte creatus esset, matutinum solem postea suspiciens, nouum in cælo sidus existimaret. Enimuero quantæ antiquitatis, & quam commune apud celeberrimos religiosorum ordinum parentes fuerit nullis confinijs vel certe non annuis tironum probationem definire, Suarius

tom 4. de Rel. lib. 2. cap. 4.

rius disertissimè docet vbi ex Basilio, ex Cassiano, & ex regulis Pacomij à Nicephoro ac Palladio relatis, & ex Iuonis decreto ac Iustiniani *nouellis* ostendit, alios quidem ex ipsis monachorum institutoribus nullum certum tirocinij tempus, alios triennium, alios biennium statuisse. Hæc ad veterum auctoritatem; iam ad rationem. Equidem sic existimo: eam ipsam causam reprehensionis, quæ ab obtrectatoribus affertur aduersus diuturnitatem tirocinij nostri, veriùs idoneam causam esse vindicationis. Percunctor enim, vtra coniunctio longiorem experientiam subsequi debeat; Ea ne, quæ semel confuta, irresoluta necessariò vsque perseueret, an ea quæ sine piaculo quidem ac dedecore dissui non possit, sed dissui tamen vtcumque possit. Posterior, credo. Sanè tirocinij probatio in religiosis familijs idcircò præmittitur vt caueatur pœnitentia, quippe quæ ignorationis ita est soboles, quemadmodum experimenti scientia: At ea pœnitentia acuratius præcauenda est quæ potest esse nocentior, ea verò nocentior esse potest, quæ ità mali operis cupidinem inijcit, vt eiusdem patrandi potestatem reperiat integrã quã quæ nullam: ea igitur pœnitentia nocentior; quippe illam alteram plerumque vt inanem ipsa facultatis defectio vel inhibet, vel restinguit. Quandoquidem dementis esse dicitur de ijs consultare, quæ iam ex nostrâ potestate abierunt. Hanc ergo pœnitentiam operósiùs quàm illam expedit præcauero. At eiusmodi pœnitentiam ex genere suo nocentiorem, quam reliquæ Religiosæ familiæ post tirocinium non timent, nos à nostris exacto tirocinio timemus. Quamquam enim ijs nefas est sua sponte à Societate diuelli; norunt tamen, si dimissionem flagitare instent, impetraturos: qua de re alius erit differendi locus. At si impetrent, & genti labes aliqua illinitur, & grauiùs anima fœdatur violata votorum fides. Iure igitur vt his malis obuiam iret Ignatius, consuetum cæteris Religiosis ordinibus tirocinij spatium amplificauit.

Sed alia nec leuior causa in idem consentit: hoc est operum quæ nostris committuntur, difficultas, & ingens momentum in vtramque partem, seu rectè, siue perperam efficiantur. Quis enim Princeps, quis Imperator, quæ Respublica non requirit diuturniùs alienæ fidei ac virtutis experimentum

Digitized by Google

rimentum, vbi magna, atque ardua, quàm vbi minora, & faciliora demandari contingit? Quod si ille ait: *multos modios salis simul edendos esse vt amicitiæ munus expletum sit*, nec illud Biantis veræ amicitiæ inimicum seruari oporteat: *ama tanquam osurus*: hoc idem valebit in admissione ad ea munera, in quibus erraſſe & probroſum fuerit, & exitiale. Hæc enim non niſi diù longèque periclitatis committi debent. Et verò Societatis officia eiuſmodi ſunt, quorum prauâ tractatione ingens ad nos infamia, ad Rempublicam pernicies redundaret. Nihil enim eſt tam pretioſum, tam carum, tam anxiè cuſtoditum quod noſtræ diſciplinæ ac fidei committere homines vereantur. Quantò autem ſecurius alij noſtris fidunt, eò cautius nos noſtris fidere oportet. Noſtræ enim cautionis notitia ſecuros de nobis cæteros facit: perinde ac Proceres multi nouum ſibi cibum ſine ſuſpicione comedunt, quod eum ex famulorum experientiâ, ac teſtimonio innoxium norint. Accedit, vt dixi, præcipua quædam difficultas vt quis vitæ ac muneribus noſtris idoneus fiat, quæ pariter difficultas diuturnioris exigit tirocinij & diſciplinam & tentamentum. Duo autem ſunt capita huius præcipuæ difficultatis ſupra eam quæ in cæteris Religioſis cætibus inuenitur. Alterum eſt, quod quæ in illis perarantur, tota fermè ſpectant ad corpus, quod vti naturâ conſtitutum eſt vel robuſtum, vel imbecillum, ita vel citò vel nunquam aſperitati aſſueſcit, adeòque annuâ patientiâ ſe probat ſatis. Alterum caput huic finitimum eſt, quod in alijs Religioſis Congregationibus nihil ferè nouum patiendum occurret imposterum: ità vt qui tirocinij laboribus, ac moleſtijs obduruit, obduruerit ſatis ad omnem vitam. Longè alter vtrumque accidit in Societate noſtrâ: eius difficultas tota vergit in animum: animus verò vt per ſe libertate agens non naturâ, ſemperque inſitis perturbationibus inſeſtus, ita vix vnquam ſatis edomitus. Ad hoc, ea ſunt in Societate ferè ida quorum grauitatem tirones cogitare vtcumque poſſunt, experiri non poſſunt. Inprimis enim pati neceſſe eſt frænum illud obedientiæ inter nos indeprecabile & nunquam remiſſum, cùius dutiniam pietatis calor emolliat, temporis longitudo aſperat verius, quàm mitigat: Pronior quippe ad parendum eſt tenerior ætas,

Cic. de amicitia.

quàm longæua, quæ iam ferulæ dextram subduxit, & per doctrinam atque experientiam, ac munera laudabiliter obita imperij gerendi se capaciorem exhibuit, quàm indigentem accipiendi. Quamuis autem obedientiæ necessitas per omnes religiosos Ordines latissimè pateat, longè tamen plura complectitur inter nos, quos vniuersos sine vllo aut laxamento, aut discrimine deuinctos tenet. Qua de re alibi fusiùs.

Prætereà quàm frequentia, quàm lubrica sunt, quæ nostris post tirocinium sese offerunt inuitamenta, tum inanis gloriationis vel in litteris vel in animorum tractatione atque in auctoritate dicendi, tum verò cupiditatis relabendi sensim ex diuinis ad humana; quando ab humanis ita debent animo esse distracti, vt simul ijs interdum re, & opere sint immisti; atque instar hæbræorum adolescentium ita degere identidem inter fumum humani fastus atque inter flammas illecebrarum, vt ne odorem quidèm in vestibus contrahant: quin potius, vti de Mida est in fabulis, omnia peræquè sibi in caritatis aurum tractatione transmutent?

Ad hæc verò tam difficilia tam rara, & tamen nobis tam necessaria ne simul & societatem nostram, & Christianum populum qui se nobis committit corrumpamus, duo insigniter concurrant necesse est, naturæ probitas, pietatis vbertas. Vtraque non qualis modò tironum vitæ sufficiat, sed longè firmior, & copiosior, vt quemadmodum ille apud Gellium ex Herculis pede in impresso vestigio vniuersi corporis proceritatem coniecit, ita nos ex minusculis illis tironum dictis, aut factis, cætera porrò maiora, & difficiliora suspicari ac portendere oporteat. Quis non intelligat quanta hæc sint, & quanto dierum tum documento, tum adiumento egeant vt probentur, vt acquirantur.

A principio quidem hominum penuria, & populorum petitiones impetrabant à Moderatoribus Societatis vt vel ante biennium aliqui nostris officijs ad mouerentur. Sed exitus multorum patefecit, præcoces istos fructus minus habere saporis, ac succi quàm tempestiuos: ideò Societas huic anticipationi in dies difficilior effecta: ad quam non nisi magna ex necessitate perrarò, & perinuita nunc

trahitur

trahitur. Vulgare illud est; nihil tam conferre ad festinationem viæ, quàm moram reficiendis iumentis impensam. Ita nullum tempus, & Societati, & Reipublicæ quantum ad officia Societatis pertinet, magis impigrum est, quam cessatio illâ biennis tirocinij, quæ nostris pabulum, & vires sufficit ad perpetuum, eumdemque peragendum laborum cursum. Mihi quidem mei met oculi sunt testes, adeo alterum illum tirocinij annum non esse superuacaneum, vt primi secundiue anni tirones genere inter se discrepare videantur, tantum hi pietate, modestiâ, omnium denique contumaciam affectionum amputatione illis prælucent. Nimirum quomodo tubera & fungi momento matureſcunt, sed palmæ fructus sæculum petit, ita palmares quædam animi virtutes non nisi prælongo temporis fomento maturantur.

Sed mirum, quàm peruersè ratiocinentur homines de vsu temporis, hoc est illius tanquam pecuniæ, quæ vna nobis obtigit ad felicitatem, atque æternitatem coëmendam. Quæstuosum censent quidquid eius impenditur ad quærendas vel corporis artes, vel ingenij disciplinas; inane quod virtutibus animi parandis dicatur, quasi graminibus quæ sponte sua, & sine vllo culturæ impendio nobis innascantur. Ex qua etiam peruersitate fit, vt multi proceres exquisitius deligant, & liberalius conducant magistrum illum, à quo filij equos regere, quàm illum, à quo mores ac vitia refrænare docentur. Cum tamen facile sit equos comparare mansuetos, & sine artis peritiâ sessori tutos; animum verò sponte cicurem sortiri, qui nisi multo studio edomitus fuerit in præceps non trahat, rarissimum, & neque thesauris venale, neque sceptris arbitrarium.

At longe secus rati sunt Pontifices sapientissimi qui hanc biennem Societatis probationem sæpius ac diserte cõprobarunt: Tum verò sacrosanctum Tridenti Concilium cum vniuersè mandasset vt religiosi ordines tironem expleto probationis anno vel in professos adlegerent, vel expellerent, subicit: *Per hæc tamen non intendit Sancta Synodus aliquid innouare, aut probibere quin Religio Clericorum Societatis Iesu iuxta pium eorum institutum à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possit.* sess. 25. c. 16.

Digitized by Google

Vtrá ergò à communi iudicio discrepantia reprehensibilior, Societatis ne quæ peculiaribus titulis ab vsu præsenti cæterorum Ordinum in hac parte discedit, quod vniuersè plus minusue alij in alijs faciunt; an eius, qui hanc Societatis institutionem damnet, quam innumeri Pontifices, & tot Catholicæ Ecclesiæ in Tridentino Senatu post longam rei experientiam magna consensione probauerunt?

CAPVT XIII.

De molliori tironum nostrorum educatione quam aliqui nobis obiectant vbique etiam de communi victu Societatis.

HOc pariter vnũ ex illis est in quo cum aduersarijs aliqui nostrorũ cõsentiunt. Pronũ quippe est seueritatẽ exigere pro eo vitæ statu quò nunquã relabi possis: ideò nil cõsuetius quàm vt senes de minorũ licentiâ conquerantur, in eosq; interdicta, & castigationes clament. Disputant ergo nonnulli, delicatiorem esse tironum nostrorum educationem, quam vt congruat iuuenibus in spem Apostolici muneris institutis, & ita Sedi Apostolicæ deuouendis, vt vel sine viatico debeant ad omnes Mundi partes conuolare. Hæc enim quanti laboris sunt, & quantarum virium? Et tamen verissimum est illud Senecæ: *non possumus quod diu noluimus*. Ideò illi apud Virgilium vix dum natos gelu & vndis durabant ad martiales labores: ideò Lyricus monet vt puer qui ad militiam formatur angustam pauperiem pati condiscat, & sub dio vitam agat. Adolescentia enim blandiùs tractata virilem ætatem eneruat: nec potest corpus tum ferre laboris ac molestiarum accessionem, cùm roboris decessionem patitur. Præter hæc animus ipse haud postea facile aggreditur eas asperitates, & commodorum detractiones, quibus in primâ illa religiosæ vitæ alacritate non assueuit. Quanti ergo esset & rudioribus cibis, atque vbique gentium parabilibus tironum stomacos consuefacere, & fame, frigore, vigilijs, laboribus eorum corpora non tam domare, quàm roborare? Cum tamen

men in præsentiâ delicatius habeantur in victu & in concessione voluntariæ castigationis, quàm veterani. Hinc nascitur tanta valetudinis imbecillitas in Societate, ac tanta eorum penuria qui labores institutioni nostræ proprios aut velint, aut ferant. Sic multi.

Ad huius accusationis depulsionem geometrarum ritu duo à sic disputantibus postulare necesse habeo quantum ad cibaria pertinet: nam de reliquis asperitatibus seorsim explicabo.

Alterum est, vt concedant, disciplinæ nostræ præcipuos cardines niti communione illa vitæ per quam omnium exæquatur victus, & cultus. Hæc enim in religiosis Ordinibus tãti est, vt quamuis propter multa quæ ad eam necessaria deficiunt non ab omnibus seruetur, ab omnibus tamen pleno ore collaudetur, optetur: ita vt nomen ipsum *cænobij, cænobitarum* à vitæ communione apud Græcos deductum sit. Qua super re alibi de industriâ edisseram: interim id assumo quod nemo inficiari audet.

Alterum quod postulo est, multos esse adolescentes pietate, moribus, ingenio eximios, qui benè quidem corpore valeant, sed athleticè non valeant; quique propterea simplicem priuatorum escam circumcisis delicijs omnibus ferant, sed villicorum graues cibos concoquere, aut Anachoretarum ieiunia tolerare non possint.

Ex his duobus positis emergit consecutio; vt vel eiusmodi adolescentes à Societate sint excludendi, vel eiusmodi victus asperitates à tirocinijs nostris ablegandæ; nec tertium aliquod inter hæc duo inueniri potest. Quomodo enim si plures equi quadrigam vehunt, necesse est vt cæteri validiores ad vnius imbecillioris vires gradum attemperent, ita mensæ communio exigit, vt ea vescendi vel paruitas, vel duritas, quæ validiores non offenderet, eatenus tamen mitigetur, quatenus debiliorum indigentiæ satisfaciat. Hanc vt indifferentiam victus (qua victus nullus valentior ad caritatem ac disciplinam sustentandam) Societas seruet, ipsos etiam laicos adiutores eodem pabulo nutrit, quàmuis ij sint quorum plures longè vulgarius domi suæ pascebantur, quique cum in Societate ad labores corporis destinati sint, præstaret vt ad eos per

grauio-

grauioris, ac difficilioris alimoniæ vsum itroborarent. Vociferabitur hic fortasse quispiam, omnes omnia posse si velint; neminem, modò valetudinarius non sit, atque adeò Societati ineptus, reperiri, quin si ab adolescẽte durius habeatur, duritate illâ non tam offendatur, quam confirmetur; Naturam vniusmodi esse omnibus, paruo expositoque contentam; vitiosæ assuetudinis detrimenta esse, quæ vitio naturæ imputamus. At verò qui sic disputant, rusticè disputant: ingenij enim est inhumaniter desipientis, eam in alijs indigentiam non credere, quam in se ipso non sentias. Quasi verò physicorum, aut medicorum libri quidquam frequentius dicitent, quàm naturâ summè varias esse, ac dispares habitudines, vires, atque affectiones corporum, illaque propterea inæqualiter pascenda, exercenda, curanda. Et sane seueriores isti, qui ferream corporis constitutionem in cæteris non modo requirunt, sed asseuerant, examinent, rogo, sit ne aliquid peculiare cuius vel vsu, vel abstinentia indigeant ipsi præ alijs in corporis procuratione. Vix vnum vel alterum numerabis cui hoc quadamtenus non contingat. Quod ergo in aliqua re ipsis accidit, quid ni possit alij accidere in multis? Sed cum hominibus tam illiberaliter deerrantibus frustra est rationibus congredi: tunc tantummodo iudicij sanitatem acquirunt, cum corporis amittunt. Si enim valetudinarij esse ceperint, nihil est tam molliculum quo natura humana ex illorum sententia non egeat: id imitantes, quod de Anco Romanorum Rege memorat Liuius; qui Rex dum integrâ valetudine vsus est, cuiusque diuinitatis irrisor, idem afflictâ postmodum valetudine ad aniles superstitiones descendit, vt conualescceret.

Non deerunt alij qui aliter rationi nostræ obluctentur, rati neminem in Societate recipiendum, qui rudiori victui & à nobis frequenter in missionibus perferendo assuescere non possit. Sed siqui ita sentiunt, enimuerò non intelligũt quàm improuidum sit talem Rempublicam formare, vt quicumq; aliquo certo careant naturæ dono, licèt alijs præstantioribus donis excellant, vtiles eius ciues esse non possint; longissimè enim distant hæc duo, perfectissimum quid esse, idemque perfectissimis vbique partibus indigere: quemadmodum alie-

alieniſſima ſunt inter ſe, optimum eſſe corporis habitum: eundemque non niſi optimis benè ali. Non ita profectò ingentem hanc Rempublicam, quæ mundus appellatur, infinita Dei ſapientia effinxit; nulla enim res eſt quæ quamquam alijs bonis deſtituta, modò alicuius dotis commendationem præſeferat, ad huius vniuerſitatis decorem, vtilitatemque non conferat: non ità Chriſtus Eccleſiam ſuam: in qua nulla hominum ratio, nulla corporis, ingenij, fortunæ conditio eſt, quæ præclari ciuis partes obire non poſſit, quantumuis cætera deficiant, vnâ non deficiente virtute.

Haud ignoro non ſimiliter hoc in paruis, magniſque Vniuerſitatibus obtineri poſſe: quò enim vniuerſitas aliqua latiùs patet, eò pariter latiùs patent in eâ varietates officiorum, quæ per alias, aliaſque præſtantias adminiſtrantur. Id vnum enuncio, cum inter mortales plurium bonorum complexio infrequens valdè ſit, ſapientis legiſlatoris eſſe ità ſuam Rempublicam inſtituere, vt ſi potiora non deſint, eorum vtilitas per inferiorum bonorum vacuitatem non perdatur. Cum igitur nullum ſit in Societate miniſterium, nullaque prouincia quin egregiam animi probitatem cum ingenio vt minimum non obtuſo hebetique coniunctam deſideret, multæ verò, illæque præcipuæ ingenium expetant perinſigne, inconſultum planè eſſet, ſuper hæc pancraticam quamdam, vt ita loquar, corporis habitudinem in admittendis exigere; ſine qua nemo quantumuis ingenioſus ac probus, idoneus nobis habeatur.

Porrò autem id animaduertere oportet, etiamſi quicumq; Societatem ſolemni ritu profeſſi ſumus, voto nos obligauerimus cuiuſcumque miſſionis capeſſendæ ad ſummi Pontificis nutum, tamen hic valere diſtinctionem illam S. Thomæ videlicet quod multa neceſſaria ſunt religioſis omnibus in præparatione animi, quæ tamen re ipsâ plerumque à multis nedum ab omnibus, peragi nec poſſunt, nec debent. Exemplum haud longiùs accerſam: vouemus omnes, vel nullo accepto viatico miſſiones obire; Quot nam, rogo, ſunt quibus contingat id facto exequi? Scilicet intelligunt Summi Pontifices non expedire vt negentur quantum commodè fieri poteſt humana præſidia ad diuini verbi ſeminationem, ne id

alio

alioquin non tam in Deo fiducia, quàm Dei tentatio videatur: Non ergo eadem sunt, omnes aliqua obligatione teneri quantum in ipsis est, & omnes à moderatoribus adigi ad eam explendam. Missionis profectò functio præclarissima est, eaque nostrorum maximè propria; non tamen ab omnibus, imò ne à pluribus quidèm re suscipienda. Alia innumera sunt nobis officia, & scilicet communiora, ac perneceſſaria, quæ administrantes humanis diuinisque donis locupletes exigunt, firmitatem corporis, & asperiorem vitam non exigunt.

In primis verò nihil Societati communius, quàm iuuentutis edocendæ procuratio; Ab hoc enim nemo fermè nostrorum per plures annos eximitur, & multi in illâ vniuersam ætatem conterunt; neque alia vtilitas magis Principes, ac populos commouit vt magno vtique impendio Collegia Societatis in suis vrbibus adoptauerint, ac fundauerint, quam vt adolescentium gymnasia à viris pietate ac doctrinâ spectatis administrarentur. Neque huius ministerij præcipuum momentum ad externos tantum spectat, sed scilicet ad nostros. Sicut enim in humano corpore pes, manus, oculi actione propriâ funguntur, qua in vno ex his membris ab aliquo morbo labefactata, reliquæ tamen integræ perseuerant; at quædam membra sunt minus quidem aspectabilia, sed potiora, quæ cunctis artubus vires & præsidia sufficiunt veluti cor, cerebrum, iecur, quibus vitiatis omnia vitiantur, ac pereunt; non secus in qualibet vniuersitate contingit vt munera quædam sint, ex quibus tanquam è radicibus germinant cætera quæ magis oculos mouent, ita vt illis labefactatis hæc continuo exarescant, & non è contrario. Neque verò aliorsùm pertinuit comparatio illa percelebris Menenij Agrippæ, populum exterioribus artubus, Senatum stomacho assimilantis, cui stomacho quamuis in speciem ocianti ni cæteri artus cibum parando inseruiant, cito ipsi contabescent. Ita demum se habent in Societate præceptores doctrinâ præstantes. Et enim omnium nostrorum munerum lingua, non manus ministra est. Lingua verò interpres est mentis, & hoc vnum loquendo præstat vt audientibus loquutoris scientiam communicet. Quin & virtus quæ ad voluntatem spectat, è

scien-

scientiâ tamen parente nascitur ; cum velle nihil possimus quod ignoremus ; & plerique omnes id maximè velint quod sibi maximè ad felicitatem intelligunt expedire. Vnus ergo fons bonorum omnium quæ per Societatem dimanant, doctrina est quæ à doctoribus spargitur in vniuersos.

At enim, dices, non tamen munera omnia quæ gerimus insignem scientiam efflagitant. Ita est ; sed nisi Societas præceptoribus scientia insignibus abundet, ne mediocrem quidem scientiam habebit in cæteris. Hyeme ad ignem accedis certè non vt comburaris, sed vt mediocriter caleseas, & tamen hanc ipsam caloris mediocritatem sine ope calidissimi corporis non obtineres. Remoue solem è Coelo, hoc est igneũ plane sydus ; cuncta non modò tepescent, sed plane frigescent in terris. Nimirum sic accidit, vt alicuius dotis mediocritas non habeatur in multis, quin eiusdem dotis excellentia conseruetur saltem in paucis. Vsitatum quippe est vel ex materiæ subiectæ vitio vel ex ipsâ institutione naturæ, vt effecta multum ab efficientis causæ præstantiâ degenerent.

Intelligitur ex ijs quæ dixi, quanta sit excellentium præceptorum necessitas, quantumque pretium in Societate.

Præceptoribus autem numero potiùs quàm pretio decedunt concionatores, quo munere nullum apostolicum magis, nullum difficilius, nec ampliorem donorum complexionem postulans ; nullum si ritè administretur feracius, idemque Catholicæ Ecclesiæ gloriosius. Porro in Republicâ illâ Mundi dominâ nil præclarius habebatur, quam appositè pro ciue apud Senatum, vel Quirites causam dicere. Quid ergo? quantæ, dignitatis ac laudis in hac sacrâ Republicâ quæ vel in Cęlum pertinet, censeri debet intra regales vrbes apud florem nobilitatis & doctrinæ, hoc est apud eos ad quorum iussa & exempla cæteri se componunt, contra dæmonum technas eloqui disertè atque obtinere pro Christo?

Prætereo reliqua munia nec pauca illa quidem, nec ignobilia ; sed quid de moderatoribus dicam? An non ars illa quam tractant artium regina, & quæ alijs artibus tanquam ministrantibus vtitur, ea demum est qua totius sodalitatis probitas & fœlicitas continetur? Quemadmodum ne Vulcania quidèm arma si à Therside adhiberentur benè pugna-

Digitized by Google

rent, ita nec Heroum quidem congregatio imprudentem rectorem nacta benè conuixerit. Quantarum verò dotium sit hanc artem, quam vnusquisque sibi facile arrogat, affabre exercere, adeò viderunt sapientes, vt Plato nullum in terris præclarius Dei simulacrum agnouerit, quam Regem bonum.

Iam his muneribus, tam eximijs, & ex quibus alia nascuntur fouenturque, quicumque iunguntur in Societate, nihil attinet vt montanarum missionum tolerantem corporis firmitudinem gerant; nihil opus est vt furfuroſum panem concoquere possint; vt ex solis oleribus, ac leguminibus sat succi viriumque trahant ad sanitatem ac labores. Sicut enim omnis eiusmodi operum fructus vanesceret, si ipsi lautè, voluptuosè, molliter degerent, ità nihil deperit si temperatè quidèm & parcè, non tamen austerè duriterque vescantur. Et verò quam pauciſſimos inuenies, qui simul illis quæ commemoraui, muneribus, simul his alimonijs idonei sint. Munera enim illa ingenium volunt acutum ac perspicax, cuius excellentia, si Aristoteli credimus, cum acri tactione copulari solet, hoc est cum illa principum qualitatum temperie, quæ à qualibet minimâ earum exuperantia commouetur ac læditur. Qui autem eiusmodi temperie affecti sunt crassis ac difficilibus cibis opprimuntur, non aluntur. Accedit, multum ad ea, de quibus dixi, officia ritè persequenda conducere honestam vsque à pueris educationem, in qua materno cum lacte sensa quædam virtutis decorisque sorbuerint, & cereus animus ex auditione domesticorum sermonum imaginibus quibusdam pulchris lectisque sensim altèque fuerit imbutus. At, qui nascentes honestam educationem sortiuntur solent & à naturâ, & à nutricatione delicatiorem corporis habitum ducere, quem per vehementes castigationes infirmiorem, non valentiorem efficies, vt Sanctorum plures, atque in primis Bernardus expertus & testatus est. Potest quidem virtus, & debet ea recidere quæ sensus concupiscit, natura non exigit; vt cupedias, condimenta, ciborum varietatem, copiam, delectum, aliaque ad irritandam potius famem quàm ad explendam inuenta; sed à ciuili ad rusticum victum descendere inoffensa valetudine naturæ opus est, non virtutis.

Vt ergo in pauca conferamus: cum Societatis tirocinia plu-

plurimum conſtent eiuſmodi alumnis qui vel grauitati ciborum, vel longis ieiunijs non ſupereſſent, cumque ex eiuſmodi adoleſcentum repudiatione multum boni ornamenti que Societati intercideret, facilem leuemque cibum decreuit omnibus, quando omnes expedit eodem victu accipi tractarique.

Nec tamen victus ille adeò leuiculus eſt ac mollicellus, vt ſi ſtomachos inueniat naturâ validos, eos per deſidiam eneruet. Nam & maiorem anni partem bubula fundamentum eſt menſæ, & braſſicas, rapa, legumina non infrequenter comedimus.

Neque cum eo genere homuncionum mihi res eſt quibus perſuaſum eſt, opipare ſplendideque nos paſci altilibus lectiſque placentis: Quaſi verò nobis, hoc eſt non perditi tandem pudoris famæque viris, tam ferreum os eſſe poſſet vt pernegaremus id quod ſi eſſet pateret vtique, non dicam octodecim millibus qui Societatem incolunt, non dicam tot alijs qui Societatem reliquere, ſed vniuerſo macello vbicunque degimus; Quaſi Summi Pontifices, alijque Principes, quibus abditiſſima quæq; perſpecta ſunt, ſæpenumero in noſtri victus rationem accuratiſſimè non inquiſierint. Sed nonnulli tam ſtolidè acuminis laudem affectant, vt hebetes haberi timeant, ni omnia ſecus atque apparent ſuſpicati, nihil vſitatum, cuncta arcânorum, offuciarum, admirabilitatum plena tragicè interpretentur. Haud ſatis intelligentes, tum cùm enunciant, res plerumque aliter eſſe atque apparent, ſe pugnantia enunciare. Cur enim, amabo te, res ita apparere dicitur, niſi quia talem habet ſpeciem, cum qua plerumque copulatur vt res ita ſe habeat? Si enim cum eâ ſpecie quam res oſtendit, plerumque copularetur contrarium, non hoc ipſum, ſed contrarium apparere diceretur. At id probabile eſt, quod plerumque contingit idque improbabile quod eſt huic aduerſum, vt frequens Ariſtoteli aſſertio eſt. Ergo qui iudicant rem eſſe quomodo apparet, probabiliter iudicant, qui ſecùs, non probabiliter. Sed aduerſus hoc hominum genus præ nimio acumine hebeſcentium, diutius quam par erat digreſſus, in viam redeo.

Hos ergo quibus de noſtro victu talis obfirmata ſententia

est, nihil alloquor, vt pote vel iudicio naturâ vitiatos, vel concepto in nos odio turbidos, vtrouis modo rationibus imperuios.

Iam vt ad institutum sermonem reuertar, haud exquisitiore mensâ tirones nostri accipiuntur, quàm priuati ciues in seueriſſima quacunque Republicâ & ad bellicos labores iuuentutem enutriente. An talis esca natiuas vires franget, cum tot viri nobiles qui domi suæ longè lautius molliusque aluntur, si benè comparati sunt à naturâ, cunctas posteà militiæ incommoditates validissimè perferant?

Hactenus de tironum victu. Restat vt de alijs castigationibus corporis nonnihil attexamus: In his enim discrimen corporum viriumque inæqualium, quod in victu haberi non potest, & haberi potest, & verò habetur in Societate. Cum enim tirones vniuersè prohibeantur ab omni voluntariâ corporis afflictatione iniussu magistri, ne per immodicam atque inconsidera tam imitandorum Christi cruciatuum alacritatẽ corpus quasi iumentum non tam dolent quàm necent, cruciamenta illa sic omnibus conceduntur, vt tamen cum robustioribus liberalius agatur. Nam & his diuturnior, ac frequentior cilicij vsus, ferreæque catenulæ nudam carnem cõpungentis & crebriores verberationes nec incruentæ. Cum verò quotannis tirones pedestrem peregrinationem aliquam emendicatò conficiant, qui validiores sunt, remotius mittuntur mensem integrum peregrinaturi. Quin etiam in maceratione cibariâ corporis quatenus communis mensę lex patitur qualecumque habetur virium discrimen; Nam robustoribus sæpe numero permittitur vt panem atrum comedant, vtque primarium ferculum, qui fundus est prandij vel cænæ, illibatum relinquant. Sanè nullũ argumentũ validius esset quò illi qui tirocinij nostri blanditias exaggerant, palinodiam canerent, quàm si quod animo vtcumque euoluunt, re per mensem vsurparent. Vidi enim homines qui antea ligonibus obcalluerant, eiusmodi vitam vt anteactâ asperiorem repudiantes.

Cæterum in his omnibus afflictationibus concedendis per quam consideratè agitur; & meritò. Tirones enim ferè omnes & liberaliter in patrijs domibus enutriti sunt, & vt ingenio

nio præstant, ita corporis habitu molliore sunt quam dure, & plurimam partem infra decimum sextum annum; in qua ætatula ne robustiores quidèm corporum constitutiones satis ad incommoda se se obfirmauerunt. In primis autem perpetuus ille intentusque mentis labor in meditando, audiendo, legendo, colloquendo de rebus perquam serijs vtque sensui contrarijs, ita illum vel ipsâ cogitatione cruciantibus, vehementiora insuper corporis cruciamenta non admittit. Nempe tantum ab est vt cautio Societatis hac in re quasi blandior damnanda sit, vt potius viderim plures tirones ingenio & pietate singulares, ex facilitate moderatoris ad eorum efflagitationes in afflictando corpusculo adeò modum excessisse, vt vitam vel in tirocinio, vel sub tirocinium amiserint, succisa ingenti spe maximorum fructuum; Alios verò inualetudo talis inuasit vt per omnem ætatem sibi ac Societati graue onus, & inutile superfuerint, nisi quantum inutilis nunquam habendus est is, quo tanquam athletâ Deus spectator vtitur ad exemplum patientiæ, atque ad meritum coronæ. Quo effectum est vt tironum magistri quantum peritia ab vsu profecirint, tantumdẽ semper de illâ quam commemoraui permittendæ castigationis facilitate remiserint.

Ad extremum nihil nobis conquerendum est quod ea tironum educandorum mollitudo, quam isti appellant, Societati deinceps inopiam faciat virorum deuorandis missionum molestijs animo & corpore parium. Haud enim ad hanc diem Societas tali inopia laborauit Testes compello & sacros Antistites & Catholicos Principes, qui nunquam irrita rogatione subsidia hæc animarum à Societate quæsiuerunt. Id fidenter mihi asserendum puto, ex nulla religiosa familia etsi multis partibus numerosiore, quàm sit Societas, plures existere aut qui quotannis alacriter lustrent erudiantque rudiores, neglectioresque, adeòque asperiores Catholicorum plagas, aut qui vbi hæresis, vel ethnica superstitio debaccatur, exauctis infinitis viarum incommoditatibus veræ fidei proseminandæ studio ærumnosissimè viuant, non aliâ humanâ spe quàm mortis ærumnosioris in singula momenta imminentis, & identidem irruentis.

Perspicuum est ex ijs quæ dicta sunt, tirones Societatis

nec

nec ita blandè accipi in corporis procuratione, ſicut reprehenſores noſtri dictitãt, nec durius educari poſſe ſalua & meditationis ſedulitate & valetudinis integritate, nec ex eo viuendi ritu robur corporis flaccescere: nec inde Societati penuriam ſuppetiarum ad noſtras miſſiones importari.

CAPVT XIV.

Examinatur poſtrema criminatio circa tirones ſuper eorum admiſſione inuitis conſanguineis: Vbi quam felix in Societate ſit vita.

HIc eſt poſtremus locus, ſed omnium maximè communis, vnde manant criminationes in tirocinia Societatis; Hæc enim non tam religioſa ſodalitia dicuntur eſſe, quàm piratica nauigia abripientia lectiſſimam pubem ex ipſo parentum ſinu. Quanto ciuilius eſſet, atque ad fouendam caritatem opportunius neminem admittere ſine parentum, aut conſanguineorum venia? Rem magni conſilij eſſe mundo nuncium remittere, & perpetuam naturæque repugnantem viuendi rationem inire. Ideò eius rei confectionem haud cõmittendã deſultoriæ adoleſcentulorũ voluntati, ſed maturitati parẽtũ. Hi enim cõſideratius explorabũt, voluntas ne illa ex leuitate naſcatur an ex Dei vocantis inſtinctu. Et multo[m] ſane leuitatem in ingreſſu declarat par eorundem leuitas in diſceſſu ſibi ſuiſque probroſo. Denique religioſi Ordines iuuandæ non deflorandæ Reipublicæ ſunt inſtituti. Si enim ipſi decerpant ſibi ex ciuili communitate omnem quaſi pubeſcentem virtutis ac doctrinæ ſpem, quid reliquum erit reipublicæ ad ampliſſimos Magiſtratus, atque ad alia munera, niſi reiectaneum quid ignorationis ac vitiorum?

Hæc diſputatio duas habet partes. Altera ſpectat ad id quod expedit nobis re vtrinque perpenſa ad trutinam diuinæ gloriæ. Altera ad id ſuper quo externi ſuo quaſi iure nos accuſant.

Quantum attinet ad primam, næ ego ſic exiſtimo, vix vnquam

quam à nobis quemquam inuitis parentibus admittendum. Et quidē ita conſueuimus, nec aliā puto religioſā familiā eſſe, quę in admiſſione ciuilius agat. Cur autē nihilominus hę querimoniæ magis nos quā cæteros petāt, nihil attinet explicare. Fateor tamen noſtrorum nonnullos aliquando pijs adoleſcentibus flagitatoribus neglectā parentum repugnantiā facile indulſiſſe; in his verò pietatem exoſculor, prudentiam fortaſſe deſidero, & mecum deſiderant ſupremi Societatis moderatores. Siquidem & ſi hominum ex libidine obloquentium obtrectationes cōpeſcendi nec poteſtas ſit nec neceſſitas, alta tamen odia offenſioneſque tametſi immeritas familiarum, & maximè præpotentium vel ingenti verſura redimere nobis præſtat: Non enim homines iuuare poſſumus (quod vnicè agitamus) ſi homines iuuamen à nobis repudient. Conſuetum verò eſt hominibus, vt à quo ſe vehementer læſos credunt, ab eo iuuamen nec ſperent poſtea, nec velint; imò verò vt non à ſe ipſis modò ſed ab alijs illud repellere ſtudeant, vel quòd quiſque putat eum cibum alteri nociturum quo ipſe turbatus eſt, vel quod à nemine quis amari tanquam beneficum vellet quem ipſe vt maleficum odit. Cum ergo parentes à quibus reluctantibus liberi (qua re nihil homini carius) abſtrahuntur implacabiliter iraſci ſoleant; ſiue ſatis cauſæ ad iraſcendum habeant, ſiue non habeant, perinde eſt ad impedienda officiorum noſtrorum exercitia atque emolumenta. Non ergo debet Societas cum tanto ſuo diuinæque gloriæ detrimento vnius aut alterius adoleſcentis bonum promouere. Quamuis enim mala facienda non ſint vt inde eueniant bona, tamen bona ſæpe omittenda ſunt ne inde eueniant mala.

Alia ratio cum prædictā conſentit: Nimirum e re Societatis eſſe, vt tantum adlegantur qui minimum illecebræ habeant in rebus humanis ad gradum reuocandum; hunc enim reuocare expeditum eſt, non tantum vt in cæteris Religioſis Ordinibus ex tirocinio vbi recens propoſitum, & contentior cæleſtium meditatio atque ab humanis diſtractio ſolent animos obfirmare conſtantius; ſed etiam poſtea per multorum annorum curriculum, in quo vix fieri poteſt ne multa incidant quæ iuueniles ſpiritus turbent, ac priſtinæ libertatis

amorem

amorem irritent. At nulla ipsis acrior illecebra ad humanam libertatem repetendam, quàm si à parentibus in quorum sinum regredi meditantur, pro obiurgatione complexus & laudem expectent, vti expectant quicumque exinuitis parentibus diuulsi sunt. Libenter enim quisque recipit, quod inuitus amisit. Tunc porrò ipsi perindulgentes in filios, ne hos vt instabiles, nos vt circumuentores damnat. Nec verò filij sunt æquiores erga nos: Nempe Societatis desertores, etiamsi nescio quâ tanquam quæstione veritatis compulsi Societatem plerumque in vniuersum commendent, tamen quantum sine aperto mendacio licet; commendationm criminationibus inquinant; quilibet enim vt se & apud alios, & apud se ipsum absoluat, facile quod sequitur probat, quod fugit improbat.

Tertia demum causa eademque potissima, quæ mihi persuadet id nobis consentaneum esse ad fæliciorem nostrorum munerum perfunctionem, est: quoniam parentes longe facilius liberos nobis formandos committent nisi non tam meliores quàm nullos sibi à nobis remittendos suspicentur. Cuius suspicionis securos reddere vnicè possumus per hunc morem constantissimè seruatum vt sine parentum veniâ nemo recipiatur.

Non eos tamen loquor filios, qui iam grandæui, nec amplius nostris præceptoribus operam dantes per ætatem ac prudentiam sibi ipsis consulere satis possunt nihil de puerili leuitate suspecti: Hos enim repelli ex obfirmatâ parentum discrepantiâ quid aliud esset quàm fores domus Dei ventitantibus, ac pulsantibus ad aliorum libidinem obstrui? Item non adeò parentum venia requirenda est, vt si filius integros annos in eadem voluntate perstiterit, eumque parens domi suæ diu multumque probauerit, & nihilominus veniam inexorabilis neget, debeat tam dignus candidatus ex intemperato quodam parentis inimicoque amore repulsam pati. Nisi fortè pater is esset, cui vel familiæ dignitas, vel amplissimus magistratus singulare obsequium iure vindicaret.

At quamuis hoc temperamentum adhibeatur in admissione liberorum dissentientibus patribus (dixerit quis) in eadem tamen Societatis detrimenta incidimus si eos quantumuis

iustis-

Digitized by Google

iustissimè iniussu parentum admittamus. Non est ita.

Et primò perincommodum nobis esset si parentibus constaret, se nolentibus nunquam fore vt eorum liberis religiosæ fores pateant. Magnum enim calcar ad peccandum præuisa peccati vtilitas; Cum e contrario nemo velit esse inius tus sine quæstu. Ea est ergo paterni affectus impotentia, vt multi parentes qui nunc filijs veniam discessionis piè concedunt, pertinaciter obsisterent, ni frustra se pertinaciæ noxam ac dedecus contracturos intelligerent. Quemadmodum non rarò hac vnâ de causâ omnium iudicum suffragijs iustitia obtinet, quia vel cum paucorum dissensione obtineret. Iniustitia enim neminem sua specie allicit, nisi dotem lucrosi euentus ostentet; At si vnius calculi discrepantia satis esset ad respondendum, *non liquet*, vix vnquam esset iustum adeò apertum vt in magno iudicum cœtu liqueret.

Neque verò, vt redordiar à primo ex illis incommodis quæ numeraui, manantibus ex cooptatione filiorum inuitis patribus; si parentum sine fine reluctantium clamores negliguntur, magnum aliquod imminet detrimentum. Nam & hi pauci tandem sunt in Republicâ, & omnium vocibus reprehensi. Quocircà vel citò cum filijs ac Societate amicitiam redintegrant, vel si indignationes implacabiles retinent, nocendi apud alios auctoritatem non retinent. Quare edentuli tanquam canes innocenter latrant.

Quantum verò spectat ad alterum ex tribus malis, quæ numeraui, hoc est ad periculum leuioris desertionis, porrò in filijs qui constantiam suam adeo luculenter probauerunt, non nisi infrequens accidit animi commutatio. At enim aliquando accidit: Verum est, sed *prouidentiæ nostræ*, quæ, *incertæ sunt* raris & improbabilibus euentis consulere nuquam possunt.

Ad extremum vt de tertio dicam, hoc est de suspicione parentes cohibente à credenda nobis prole, nemo qui rationabilis fuerit, difficilem se præbebit in filijs nostræ disciplinæ commendandis, quod sciat, si filijs altè atque immutabiliter insederit religiosæ vitæ propositum, nullo temporis aut suasionis machinamento flexibile, eos tandem impetraturos.

Digitized by Google

Quid enim si indecoras nuptias peruellent? quid si in flagitia proiecti atque irreuocabiles vitam vna cum famâ prodigerent? Hæc & alia sexcenta sunt, quæ vel ad humanæ vtilitatis regulam damnosiora longè habentur in filijs quàm religiosæ vitæ complexus; & tamen sic ijs arbitraria sunt, vt si tenaces inhonesti proposíti fuerint, nullo conatu parentum auerti possint.

Aperui iam quid in rem nostram esse arbitrer super ascisscendis liberis iniussu parentum. Restat pars altera, in qua proposui examinandum, quanto nam iure à nobis externi exigant, vt vel nunquam, vel certè non sine maxima tarditate ac circumspectione sit aditus ad cænobia nostra filijs inuitos parentes relinquentibus. Enimuerò meminisse debemus hoc differre inter se ius paternum, & herile, quod herile inductum est in bonum heri, at paternum in bonum filij. Filius enim propriæ fœlicitati viuit, seruus alienæ. Patri tamen filius subest; quia hoc ipsum ad filij fœlicitatem conducit quod ille parentis ductum sequi debeat; vtpote per ætatem atque experientiam prudentioris, & per naturam amantissimi. Sicut enim expedit Reipublicæ gubernari à Principe, qui tandem ipsius Reipublicæ minister est, ab eaque conductus ingenti mercede ad labores imperandi; vtque expedit puero gubernari à pædagogo, qui præcipiendo famulatur; ità multo magis expedit filio gubernari à parente, cuius regimen innatus amor & fidelius reddit, & accuratius. Cæterum summa videretur officiorum peruersitas si patri liceret ea inhibere filio, quæ ad filij fœlicitatem ex suo genere pertinerent. Id ergo adeò parenti non licet, vt quamuis nubere sit periculosæ plenum opus aleæ, quod in primis exquisitissimam deliberationem petit; tamen, quia sociam vitæ suo ingenio attemperatam habere magna pars creditur humanæ fœlicitatis, ideò ne ciuiles quidem leges aliquid exegerunt à filio supra hoc, vt parentẽ consuleret; nõ verò vt ei consilianti obtẽperaret. Quid ergo vbi deliberatur de religiosa vitâ adoptanda? an non certa fide nobis cõstat religiosũ statũ esse per se meliorem aptiusq; conducere ad æternam fœlicitatem, quam vllum alium ex ijs exquibus ad religiosam vitam transitus datur? Sanè haud aliud erit quàm peruersis naturæ legibus paren-

parentem abuti filio tanquam mancipio, si, quò propriu affectum exsaturet, eripiat ei tam probabilem tesseram sempiternæ fœlicitatis. Audi D. Thomam, hoc est virum qui hunc iniquissimum matris ac fratrum amorem longo carcere fœdisque pudicitiæ tentamentis expertus, suos habuit pro tyrannis de quibus per sanctimoniam triumpharet; ipse enim sic enunciat. *Post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea quæ pertinent ad dispositionem sui status, præsertim in his quæ sunt diuini obsequij, & magis est obtemperandum patri spirituum vt viuamus, quàm parentibus carnis, vt Apostolus dicit ad Hæbreos 12.* & infra explicans differentiam inter seruum & filium ita loquitur. *Seruitus est in pœnam peccati inducta; ideò per seruitutem aliquid adimitur homini, quod aliàs ei competeret, vt scilicèt libere de sua persona possit disponere: seruus enim, id quod est, domini est. Sed filius non patitur detrimentum ex hoc quod subiectus est patri, quin possit de sua persona liberè disponere transferendo se ad obsequium Dei, quod maximè pertinet ad hominis bonum.* Ita S. Thomas de iure illo patribus à natura concesso, cuius violationem isti tam vehementer inculcant. 2. 2. qu. 189. ar. 6. in corp. ad 2.

Quod verò dicunt, rem esse multi consilij humanis omnibus se abdicare, ideoque non facile id adolescentis iudicio committendum, placet non alijs verbis refellere quàm eiusdem D. Thomæ. *Diuturna deliberatio, & multorum consilium requiritur in magnis dubijs, vt philosophus dicit in 3. Ethic. In his autem quæ sunt certa, & determinata, non requiritur consilium. Circa ingressum autem Religionis tria possunt considerari. Primò quidem ipse Religionis ingressus secundum se; & sic certum est quod ingressus Religionis est melius bonum; & quidem de hoc dubitare quantum est in se derogat Christo, qui hoc consilium dedit. Alio modo potest considerari religionis ingressus per comparationem ad vires eius qui est Religionem ingressurus, & sic etiam non est locus dubitationis, quia illi qui Religionem ingrediuntur, non confidunt in sua virtute se posse subsistere, sed auxilio virtutis diuinæ secundum illud Isaiæ 4. Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pœnnas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Si tamen sit aliquod speciale impe-* 2. 2. qu. vlt.

dimentum puta infirmitas corporalis, vel onera debitorum, vel aliqua eiusmodi, in his requiritur deliberatio & consilium cum his de quibus sperant quòd profint, & non impediant: vnde dicitur Ecclesiast. 37. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia, quasi dicat, non. Vnde sequitur; Non attendas his in omni consilio, sed cum viro sancto assiduus esto: in quibus tamen non est diuturna deliberatio habenda: Vnde Hieronymus dicit in Epistola ad Paulinum. Festina, quaeso te, & haerenti in salo nauiculae funem magis praescinde, quàm solue. Tertio autem modo considerari potest modus Religionem intrandi, & quam Religionem aliquis ingredi debeat, & de talibus potest haberi etiam consilium cum his qui non impediant.

Quid luculentius vt intelligatur, nullius, nedum longæ consultationis esse per se religiosæ vitæ susceptionem? Quod si aut inualetudo, aut aliud peculiare impedimentum remancipitem reddat, vtique tamen id nec diuturnâ deliberatione pensitandum, neque verò cum ijs quos iure suspicaris libenter retracturos; sed cum viris religiosis ac pijs: idemque super certâ religiosi ordinis electione seruandum.

Quid ad illud aliud: Multorum inconstantia leuitatem consilij præcedentis accusat; Non ergo id semper ex Deo, cui obsequi præstet? Antiqua sunt hæc, & ab eodem D. Thoma iam repulsa. Sic enim habet in articulo nuper laudâ-
ad 2. to. *Nec propter hoc ostenditur non esse ex Deo, quòd aliqui retrocedunt. Non enim omne quod à Deo est, est incorruptibile, alioquin creaturæ corruptibiles non essent ex Deo, vt Manichæi dicunt. Neque etiam aliqui qui habent à Deo gratiam, possent illam amittere, quod est hæreticum.*

Sequitur illud, quod exaggerant, probrum familiæ si semel ingressi recedant. Sed cur si hoc probrum timetur, idem sæpenumero quæritur? postquam enim filij repugnante patre religiosam vitam complexi sunt, pater non rarò satagit vt ad profanam reuoluantur. Non ergo hæc erat obsistendi causa: cui profectò causæ si quidquam ineft ponderis, nihil magnum aggredi prudenter liceret hominibus. Percurre per multa. Qui militiam capesiit, potest per magnam infamiã terrore percitus terga vertere: mercaturã gerẽtibus decoquendi periculũ imminet: aulæ quot parãt discrimina honoris

vel

Digitized by Google

vel innocenter amittendi? Connubium ipsum, res illa adeò filijs à parentibus exoptata, nonne decus familiæ muliebri leuitati committit? Ex his omnibus & fœdior imminet genti macula, & periculosior, quando sæpè à fortunâ extra arbitrij potestatem. An igitur hæc omnia vitanda? Verum quid iuuat dissimulare? Norunt homines si res ad æternam fœlicitatem dirigatur, indubiam esse probitatem consilij religiosam vitam eligentis. Sed humana hæc & aspectabilia validiorem habent ictum: & arctius se compelli queruntur mortales, si consilia componere debeant solùm ad immortalia. Miserorenimuerò, Scilicet, si Cælo nascimur, profectò aut eius tantum adeptio expetenda est, aut certè omni pondere grauior habenda quàm reliqua; ita vt hæc quamtumuis aggeres, quacumque tamen vel minimâ illius particulâ præponderentur, similiter ac de angulis, quos vocant *contactus*, comparatis cum ortogono geometræ demonstrant: Indulgeo tamen vt etiam in huius deliberatione consilij humana vtilitas ius aliquod suffragij vsurpet, quin etiam omne, dixissem, nisi turpe videretur eum putare quempiam ex lectoribus meis qui Christianam fidem ad cogitandum nobis datam esse velit non ad agendum. Et certè si sensus aliquis posthumæ filiorum beatitatis parentem tangat, quantumuis etiam caduca non aspernantem, auersari vix poterit eam vitæ rationem, in qua sanctissimus esse possis, nequam esse non possis, in qua regiam sternunt viam ad virtutis fastigium & domesticæ leges, & sociorum exempla, & cohortationes mutuæ, & indefessa moderatorum industria. Hac enim in viâ si currere pigeat, non progredi certè vix poteris; In qua denique licet leuiores lapsus nec nulli sint, nec infrequentes, tamen adeò à lethalis noxæ præcipitio distamus, vt nomen ipsum horrori sit; nullaque semita earum, quæ ad illud appropinquant, non sit vituperationibus, ignominijs, pœnis, tanquam sentibus obsita, adeoque inuia. Sane in humano conuictu nihil vsu potentius est ad vtramque partem. Plerique omnes ita viuunt quomodò cæteri solent quibuscum viuunt. Hæc enim causa est cur inter humanas sodalitates cum summâ vnitate naturæ tanta tamque constans sit disparitas morum; curque quod alijs non modò facile sed gratum, idem alijs intole-

tolerandum exiſtat; viu ſcilicet diſpare vnum idemque opus illis demulceant, his aſperante. Quod cum ita ſit, equidem quoties viuendi ritum in Societate conſidero, toties arbitror nullam eſſe inter mortales numeroſam hominum rationem, in qua ſi quis vitam expleat, minus verendum ſit ne cælesti beatitudine deſtituatur. Quotquot enim in Societate viuimus duo habemus ad æternam ſalutem maxime procliuia. Alterum eſt perſeuera diuinæ legis cuſtodia, alterum eſt, nullæ arctiores domeſtici iuris compedes, per quas in lubrico ibi verſemur, vbi cæteris ea lege ſolutis planior ac tutior ſit via. Noſtræ ſiquidem leges nec prædurae ſunt, neque ſubditos ſuos vlla peccati obligatione deuinciunt. Quod ſi Societati tanta eſt, vt vere eſt, ab Inferis diſſociatio, tamque facilis gradus ad Superos, quanti nam ſolatij parentibus eſſe debet in ea conditione natum ſuum cernere, vt præſentiant, quantum mortalibus licet, ſe adoptiuum Deo, non Satanæ mancipium genuiſſe?

Sed age, humanam vtilitatem conſulamus. Appetis ne filio vt felix viuat quantum datur inter mortales? profectò. Sed felicitas ad ſapientum vel Ethnicorum calculos aut in ſola virtute poſita eſt vt placuit Stoicæ ſeueritati, aut ſimul in ſapientiâ & actione virtutis, non deficiente tamen exteriorum bonorum præſidio quantum ſatis eſt ad virtutem exercendam, & ad naturæ paruo contentæ functiones ritè adminiſtrandas, atque ad moleſtias arcendas; vt Platoni, Ariſtoteli, cæteriſque Peripateticis viſum; quorum ſententia vt mitior, ita & communior. Nam de opinione Epicuri, qui nullum bonum extra corporis voluptatem collocabat, dicendum mihi non puto; cum illis enim parentibus loquor qui hominem ſciunt ſe procreaſſe, non ſuem.

Et ſanè ſi quempiam humanarum rerum peritum extra perturbationum æſtus collocatum interrogaueris, nemo eſt quin eam quam ex regulâ Peripateticorum effinxi præ cæteris vitæ conditionibus fælicem eſſe reſponderit. Splendidiora neſcio quæ, flammarum ritu, ſpecie proſpicientes capiunt, re contingentes torquent, itàque vtroſque qua falsâ iucunditate qua verâ moleſtia diſcruciant. Hoc ſemel ſtatuto, pergè porrò. Vides ne ſtatum aliquem vitæ in quo procli-

uior

uior aditus acquirendæ ſapientiæ, impenſior diſciplina formandæ virtutis, tempus omne ad vtraque officia magis ſedulo collatum? Non credo. Quantum verò ſpectat ad bona exteriora, quamuis non ille nos fortunæ riuus inauret qui vulgo creditur; imo licet ſæpè, vt æquum & conſentaneum eſt, non nomine & voto tenus, ſed re pauperes nos eſſe ſentiamus, tamen adeò breuis eſt noſtræ neceſſitatis modus, tantaque Dei bonitas & caritas populorum, vix vt vllum hominum genus eſſe rear, cui tanta rerum neceſſariarum ſecuritas ſit, quanta nobis; vnos ſi moderatores excipias, quos ſollicitudo, & cura omnium premit. De reliquo paucos numerabis ordines hominum, quibus hominibus crebrior quam nobis inopia earū rerū non ſit quas conditio ipſorū efflagitet.

At obedientia inter nos arctiſſima. Erras: frequentiſſima, non arctiſſima: arctatur enim tantummodo quicumque vim aliquam patitur, ac moleſtiam. An arctam vocaueris obedientiam, qua Cœlites obtemperant Deo, licèt nullum ſit temporis punctum ab eius exercitatione vacuum? Arctiori profectò, hoc eſt moleſtiori obediendi obligatione vrgentur illi, qui aulæ, qui militiæ, qui denique cupiditatibus ſeruiunt. Obedientiæ vſus nuſquam ſuauior, niſi mea experientia me fallit, quàm in Societate, quia præcipiendi ritus nuſquam ciuilior.

Adde quandam, vt ita dicam, corporis indolentiam, quando hic aſperitates nullæ ſunt niſi ex voluntariâ virtute: quod verò voluntarium illicò non aſperum; quod ex virtute non miſerum. At dices, voluptates item corporis nullæ. Nullæ quidèm præter eas, quæ ſecundum naturam ſunt, adeòque & ſecundum virtutem, & ſecundum fœlicitatem à natura quàm à cupiditate ſapientius quæſitam. Nimirum eas modò voluptates admittimus, quæ per ſe naturales functiones comitantur, non quarum luxus eſt artifex. Hæ ſiquidem ſolæ probantur à S. Thoma & corpori ſimul animoque ſalubres exiſtunt: veluti ſomnus ac cibus, ex diurna defatigatione, non ex ſtraguli mollitudine, ex ſtomachi inanitate, non ex ſaporis raritate delectans. Porrò exquiſitiores illæ voluptates, quæ nobis abſunt, eædem & ſapientum calculo, & cuiuſcumque benè inſtitutæ Reipublicæ legibus

ab-

ablegantur tanquam fœlicitatem perdentes non cumulantes, & à morbo gratiam mutuantes, morbumque ipsum demulcendo fouentes; nec proinde ad benè viuendum vtiliores quàm suauitas illa insignis, qua hydrops potando titillatur, vt cum Platone Aristoteles & philosophi omnes ethnici obseruarunt.

Animi verò voluptates, quæ ab eius sanitate non à morbo iucundiores fiunt quæquè fœlicitatem propriam componunt hominis, qua ratione hic supra belluas assurgit, magnæ quidem in Societate, sinceræ, assiduæ. Nihil enim suauius animo quam duo hæc, Discere, Docere, propter quæ duo collata est homini duplex illa præstantia, per quam secernimur à naturâ ferarum, Ratio, & Oratio.

Illud superius hoc est, Discere, id præcipuè est (vt Aristoteles initio Metaphisices notat) quod tantopere sensus nostros nobis commendat, atque in primis visum, vt pote & plura, & magis assidue nos edocentem.

Ab hoc autem posteriore, hoc est à delectamento docendi vsus orationis pretium habet; silentium è contrario tristitiam, etiam vbi nullis rebus per orationem conquirendis indigemus.

Vtrumque delectamentum in Societate assiduum pariter, atque in suo genere eximium. Nam discimus quidem semper & nostro & sodalium ingenio, ac tanquam in frequenti emporio ita constituti sumus vt ibi singulorum lucris vnusquisque ditetur; nec sanè vulgari merce, sed ipso sublimium disciplinarum flore. Nec minus assidua, aut eximia hic docendi iucunditas. Nanciscimur enim gymnasia non numero, quàm indole discipulorum præstantiora: qui discipuli dum doctrinam eorum mentibus à nobis insperſam reddunt cum fœnore, efficiunt enimuerò vt multa & condiscamus simul, & doceamus.

Quid dicam de amicita, cuius iucunditas tanta est, vt natura præ omni animantium genere mutuam indigentiam inter homines posuerit quò humanam societatem, quam necessitatis molestia conglutinasset, amicitiæ dulcedo condiret? Amicitia verò in hac sodalitate perquàm suauis; quippe inter sodales virtute, nobilitate præstantes, & remotâ ab his, quan-

quantum inter homines potest, qualibet materiâ contentionis, quam excitare solent honores & munera ex pugnantibus vel competitorum cupiditatibus vel suffragatorum studijs. Nec parùm momenti est tranquillitas animi nil sibi conscij, nil metuentis, nil inhiantis.

Cumulat hanc bonorũ congeriẽ valetudo corporis quamquã non semper firmissima, integra tamen, vt potè immunis ab illis morbis, quos immoderatæ vel deliciæ, vel afflictationes, aut vehementiores animi perturbationes important.

Enimverò hunc viuendi statum, vt inter mortales, infelicem appellantibus vel præ morbo palatum non sapit, vel ex hac solicitas quæritur, quam in terris cogitare quidem possumus, potiri nisi in Cœlo non possumus.

Scio multos genitores offendi, quòd filijs Societatem ingredientibus præcisam videant spem omnem honoris ac fastigij: at simul etiam dedecoris, & sordidæ repulsæ discrimen amotum, at simul etiam subtractas ambitionis spinosas curas. Certè quicumque sapiunt, vitam nihil timentis, nihil sperantis, dixerunt cæteris beatiorem.

Dixerunt, inquies: at pauci eamdem amplexi sunt. Quid tum? Rauci etiam temperantiam in victu seruant, quamuis hæc non modo ad virtutem, sed ad voluptatem sit vnicè idonea, ob eamque rem ab ipso Epicuro summopere commendata. Scilicet præclarè ageretur cum hominum naturâ, si quæcunque vt meliora ratio proponit, eadem opere persequeremur: Nempe eximia illa species quæ sensum capit, sæpè quamuis mentem non fallat, actionem rapit.

Nec tamẽ omnis gloriæ fructus ex filio Societatẽ ingresso gẽti desperandus. Relinquo illam gloriam quæ ex insigni sanctimoniâ exurgit, cuius causa tot inclytæ per Europam familiæ plus decoris à religiosorum vmbrâ quam ab vllius Regiæ splendore deriuarunt; Quid enim splendidius, quàm suorum simulacra vel à Regibus adorari? Relinquo hæc, inquam, quoniam ratissima. At haud quaquam rara scriptorum gloria in iis religiosis sodalitijs, quæ studia litterarum impensè colunt; eiusmodi verò gloria & principali, & militari diuturnior, ac post mortem latior, vt probat euentus. Et ratio in promptu est, quoniam scriptores à se, cæteri à scriptoribus

ribus nominis immortalitatem habent. Innumeras utique familias inuenies & quidem honestas, quarum notio patriæ suæ terminis concluderetur, nisi eos dedissent Societati sodales, quorum nomina librorum monumentis ære perennioribus Europam vniuersam peruolitant.

Deinceps, sicut erat propositum, dicamus super eo Reipublicæ detrimento, quod nobis vehementer obiectant, quasi in hac adlectione ex publicis iacturis priuatim locupletemur. Sed verè quid absurdius quàm Reipublicæ iacturam vocare si adolescentes indole præclari eam vitam perpetuò amplexentur, in qua omnes suas curas, cogitationes, horas in Rempublicam conferunt, non aliam admittentes mercedem, quàm cibaria? Qualia verò cibaria? Dicam rem non tantum nobis omnibus, sed & externis religiosorum Ordinum curatoribus magistratibus, quin & quibuscumque nos paulo interius callentibus notissimam. Quid quid nostrum singulis alendis, vestiendis insumitur septuagena quotannis scuta Romæ non excedit, quæ ne vilissimò quidem circumpedi enutriendo immodica viderentur. Quam ergo mendosè disputant, qui nos tanquam compendio nostro studentes & Reipublicæ noxios accusant, quod ingenij probæque indolis florem ac medullam ex Catholicâ pube legamus? Quasi verò (exemplum hoc vsurpauit triumphalis Orator Magnus Henricus, dum in Senatu pro nostro in Galliam, reditu causam dixit.) quasi verò, inquam, malè de Republicâ mereretur Imperator, qui in exercitus patriam defensuri delectu proceriores ac validiores centuriaret: Quasi de Sole terris querendum sit quod subtiliores elementorum partes attrahat, in imbris rorisque vsum terras fæcundaturi. Quod nam, rogo, compendium hoc nostrum est, nisi vt per idoneos alumnos publicæ vtilitati seruiamus? Fundatur per hocne nobis imperium? armantur legiones? occupantur vrbes? Dignitates, ac magistratus ne sacros quidem, & alijs religiosis ordinibus licitos admittimus, nisi pontificio imperio compulsi. At multum auctoritate, & veneratione Societas pollet. Sit vt velis: Deme alicui vires, quales certè nobis non sunt, auctoritas ac veneratio nulla quæritur aut retinetur nisi à virtute. Nempe superbum est homi-

hominum genus: neminem reuerentur quin reuerentiam sibi aut violentes per potentiam extorqueat, aut merito per virtutes efficiat. Hunc autē querere honorē qui virtutis tanquam effectus, & vmbra est, adeo reprehensione vacat, vt eum dispernari ac repudiare vir religiosus non debeat, sed illum quidem honorem, qui ex vulgari hominum opinione vilioribus bonis falsò tribuitur. Audi S. Thomam *Sicut philosophus dicit 4. Ethic. honor proprie & secundum veritatem non debetur nisi virtuti. Sed quia exteriora bona instrumentaliter deseruiunt ad quosdam actus virtuosos, ex consequenti etiam eorum excellentia bono alicui exhibetur, & præcipuè à vulgo quod solum excellentiam exteriorem recognoscit. Honori ergo qui Deo, & sanctis omnibus exhibetur propter virtutem ex dicitur in psal. 138. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, renunciare non competit religiosis qui ad perfectionem virtutis intendunt. Honor autem qui exhibetur exteriori excellentiæ abrenunciant ex hoc ipso quod secularem vitam derelinquunt.* 2. 2. qu. 186. art. 7. ad 4.

Vtinam vox moralium conspiraret in eiusmodi honorem, qui ex virtute ac publicis beneficijs efflorescit: Tunc enimuerò fœlix erit genus humanum cùm donis fortunæ despectis id vnum in pretio erit, quo dives est virtus, hoc est fœlicitatis publicæ procreatrix.

Sequitur id quod addunt: *Si omnes ingenio ac moribus egregij cœnobia incolant*, non habebit humana Respublica quos aptè magistratibus cæterisque grauioribus curis adhibeat. Sed perantiquum hoc dictum refutare placuit Sancto Thomæ non alijs quam Hieronymi verbis, qui sic commodè respondet ad Vigilantium Anachoretas & Monachos eadem ratione incusantem. *Quantis à te lingua viperea morsus sanctissimus patiantur quibus argumentaris & dicis; Si omnes se clauserint & fuerint in solitudine, quis celebrabit Ecclesias, quis sæculares homines lucrifaciet, quis peccatores ad virtutes poterit exhortari? Hoc enim modo, si omnes tecum fatui sint, sapiens esse quis poterit? & virginitas non erit approbanda; si enim virgines omnes fuerint, & nuptiæ non fuerint, interibit genus humanum. Rara est virtus, nec à pluribus appetitur. Patet ergo quod hic timor stultus est, puta sicut, si aliquis timeret haurire aquam ne flumen deficeret.* 2. 2. qu. 189. art. 7. ad 2.

Digitized by Google

Quæ responsio vt vberius explicetur, intelligendum est, duo esse genera eiusmodi operum, quæ si fierent ab omnibus vel à plerisque, pernicies importaretur humanæ Reipublicæ. Alterum genus ea complectitur, quæ tantam habent illecebram, vt si liceant, omnes aut plurimos trahant; Veluti concubitus vagus, aut furtum, & similia horum in quibus labor nullus simulque plurimum delectationis aut commodi. Hæc verò etiam si talia sint, vt semel patrata non nisi parum nocerent, vel in quibusdam circumstantijs etiam Reipublicæ prodessent, nefaria tamen grauiter esse debent, alioquin si vel nihil inhonesti præferrent, vel leui tantum macula contingerentur, exitialem Reipublicæ frequentiam haberent. Atque huc spectat præclarum illud Aristotelis documentum, impensè curanda vel minima, ea si minima sint, ex quorum curâ pendent ingentia.

Altero in genere illa sunt, quæ sine communi exitio fieri quidèm à cunctis aut à pluribus nequeunt; sed non eum habent illicem, vt quamtumuis concedantur, rapiant facile homines in desiderium sui. Huc verò pertinent artes omnes ac functiones humanæ societatis. Quid enim si vniuersi terram excolerent? nemo ædificaret, nemo texeret; nudi & improtecti solibus atque imbribus pateremus. Quid si vniuersi litteris operam darent? nemo artes ad viuendum necessarias exequeretur. An ergo vel agrorum, vel litterarum cultura interdicenda? Nihil minus. Nec enim eiusmodi artibus tantum inest oblectationis, commodi, facilitatis, vt statim ac liceant, omnibus alijs artibus solitudinem facturæ sint; imò potius laborum plenæ, non tot tractatores inuenirent, quot ipsæ indigent ad Reipublicæ bonum nisi mercede qua pecuniæ qua honoris dotarentur. Atque ex hoc fonte in primis ratio petenda est, cur cælibum vita præstet coniungali. Quãquam enim si alteram omnes eligere deberent, hæc esset præferenda, vtpotè quæ mortalium genus immortale conseruat; tamen haud periculum est, ne forte cælibi vita permissa coniugalis vniuerse deseratur. At contra si hæc esset honestior vix reperiretur vllus vitæ cælibis cultor, qui solutus maritalibus & paternis officijs; diuina totus curaret, sublimia contemplaretur, multaque ageret ad Reipublicæ fœlicitatem

per

per opportuna, & animum connubij curis expeditum deposcentia: ideo rite constitutum est à Deo, vt cælibem esse quàm coniugem sit honestius.

Vt hinc ad propositum redeam, religiosa vita non adeò blanditur sensibus, vt si eam persequi laudabile sit, plerique omnes sint in illam inuolaturi. Nempe vt Hieronymi verba repetam: *Rara est virtus nec à pluribus appetitur*. Igitur si expediat ipsam minime iacere in summa tanquam viduitate sectatorum, par est vt ab honestate gratiam illam deriuet, quam non habet à voluptate. At illud primum est verum, tum de vita religiosa in vniuersum, tum maximè de illa, quæ totam se dicat publicæ vtilitati; Hæc enim non cælestem modò, sed humanam qualemcumque fœlicitatem Reipublicæ mirificè iuuat, adeòque sine communi detrimento alumnis orbari non potest, vt supra demonstrauimus: Verum ergo & hoc postremum; scilicet par esse, vt etiam ad humanæ rationis regulam honestum habeatur eiusmodi vitam sequi.

Quas ob res querimoniæ istæ parentum aduersùs religiosos Ordines, & nostrum in primis, quòd ipsis diffidentibus eorum liberos admittant, nec vllo diuino humanoue iure nituntur, nec vel cum æterna, vel cum hac qualicumque caduca liberorum fælicitate, neque verò cum Reipublicæ bono consentiunt; sed ex inordinati cuiusdam importunitate amoris ebulliunt, perinde ac matrum lacrymæ in nuptæ filiæ discessu; quibus misereri quidem humanum est, obsequi fœmineum ac stultum.

CAPVT XV.

An ritè Societas discesserit ab aliorum ordinum more dum expleto tirocinio consecrat suos per vota simplicia dissolubilia, & non æquè mutuò obligantia.

HActenus de tirocinio Societatis. Sequitur vt videamus, an post tirocinium ipsa opportunis modis finem suum quæ-

quærat. Inter quos id quod primum idemque præcipuum, & maximè agitatum occurrit, est ratio quædam singularis vouendi, per quam tirones nostri in veteranos assurgunt. Non enim protinus per solemnia vota Societati perpetuò colligantur; sed suscipiunt tantum vota simplicia, per quæ ipsis quidem nefas est à Societate discedere, aut quemlibet vlteriorem gradum sibi à moderatoribus designandum detrectare, seu ad solemnem professionem aduocentur, seu ad conditionem adiutorum, de quibus gradibus singillatim in loco exponam; At contra Societati concessum est eos dimittere, atque eiusmodi votis exsoluere. Quæ vota simplicia quamquam laicis etiam adiutoribus communia sunt, tamen à nobiliori parte *vota scholasticorum* vocantur, quoniam scholastici nostri ante peracta studia & probationes post litterarum studia præscriptas, hoc genere votorum tenentur.

Hæc institutio, in qua, tanquam in propriâ atque, vt aiunt, *specifica* differentia omnis fermè substantia nostri Ordinis versatur, hoc ipso quod hunc definitè Ordinem constituit ac format, singularis in ea sit oportet: peruulgata enim ex vox illa philosophorum. *Idem est quo constituimur, & quo ab alijs distinguimur*. Omne autem singulare, quasi indefensum aggressores inuitat.

Aduersùs igitur hanc formam initiandi veteranos nostros variè à varijs pugnatum. Nam aliqui apertè inimiciores quàm re nocentiores, essentiam religiosi status, vel certe iustitiam inesse negarunt in hac ratione vouendi, quos ego aduersarios breuiter hoc capite confutabo. Alij porrò eò magis malefici quo se magis beneuolos profitentur, prudentiam & emolumentum Societatis in hac parte desiderant: quorum rationes proximo capiti sepono.

Quidam ergo inficiati sunt per eam vouendi formulam, quam prædixi, verè ac propriè religiosos fieri, sed tantum ex quadam similitudine, ac priuilegio Pontificis, quemadmodum qui adoptatur in filium, non verè filius est, sed ex quadam fictione iuris tanquam filius habetur.

tom. 4. de Relig. lib. 3. c. 3. & sequenti. At contrà sic disputantes non semel à Sede Apostolica pronunciatum; & quando hunc locum Suarius noster fusè iuxta doctèque enucleauit, ne actum agam, de illo per otium discepta-

discepture non libet. Id vnum aio: vt pleraſque mendoſas rationes, ita & eam quam contra hæc vota memoraui, peccatum eſſe ignoratæ philoſophiæ. Quod vt oſtendam neceſſe habeo aliquid paulò communius animaduertere. Hoc eſt duo eſſe rerum, adeòque nominum genera: quædam à naturâ, quædam à lege. Quæ à naturâ ſunt, per legem fingi poſſunt quidem, re ipsâ creari non poſſunt. Ita *contractus, poſſeſſio*, & ſimilia horum à lege finguntur, non fiunt; & propterea temperato vocabulo, tum cum à lege finguntur, *quaſi contractus, & quaſi poſſeſſio* nuncupantur. A naturâ enim eſt, vt contractus per mutuam voluntatem conficiatur, vtque aliquis poſſideat rem illam, quæ res ita corporalis eſt, ac ſolida, vt verè à nobis teneatur tanquam noſtra non animo tantum, ſed actione corporis: fingit ſimiliter lex eſſe conceptum ante nuptias, qui poſt nuptias verè conceptus eſt: fingit filium eſſe, quem quis verè non genuit, ſed optat fuiſſe ſuum filium. Quoniam hæc omnia ita eſſe, ad naturam pertinet, non ad legem. At illa quæ legis ſunt, à lege non finguntur ſed fiunt; & ea in primis ſunt, quæ pertinent vel ad formulam, & ad ſolemnitatem illarum exteriorum actionum, per quas aut nos obligamur, aut alios obligamus, vel ad effectus eiſmodi ſolemnitatum veluti ad priuilegia, immunitates, & alia id genus, quæ à lege certis hominum claſſibus per aliquam ſolemnitatem conferuntur. Ita legis eſt non naturæ, vt quiſpiam hac vel illâ formulâ fiat Senator, Conſul, liber, ſeruus, quodque ij quibus eiuſmodi nomina lex attribuit, hac aut illâ poteſtate aut immunitate, alias ampliore alias angustiore decorentur, aut hac vel illâ obligatione teneantur. Hoc pacto pro legum arbitrio immutantur ritus efficiendi Senatorem, aut Conſulem, vel manumittendi mancipium; immutantur Senatorum, aut Conſulum iura, ac priuilegia, mancipiorum, aut manumiſſorum obligationes; & tamen remanent nomina, & perſonarum ſtatus qui per hæc nomina ſignificantur: neque id efficitur per aliquam legis fictionem, ſed per veritatem, ac proprietatem. Quando non natura, ſed ipſa lex fuit eiuſmodi rerum ac proinde nominum artifex, procratrix, atque arbitra.

Quorſum hæc tã multa? quia ſolemnitas voti eſt aliquid pẽdens

dens à lege Pontificia, vt Bonifacius Pontifex diserte pronunciat. Item Pontificiæ legis sunt *Religiosi* nomen, & priuilegia, atque onera nomen illud consequentia. Cum itaque antea sancitum esset, vt solis solemni voto professis nomen illud deberetur, adeòque status, & priuilegia nomen illud comitantia, postea non minus Pontificia lege fieri potuit, vt aliâ quapiam formulâ quis nomine atque immunitatibus vniuersis religiosus euadat. Similiter enim vti dicebam & solemnitates illæ veteres, quæ ad inducendam libertatem, vel seruitutem poscebantur, sublatæ iam sunt, nec tamen idcirco ficta libertas, vel seruitus nunc efficitur.

cap. vn. de uot. 6.

At, inquiunt, verè *Religiosus* non est, qui non indissolubili planè vinculo sit religatus. Falsum est. Fuit hæc veterum quorundam opinio, cui S. Thomas fauit, quòd ei videretur Clemens III. Summus Pontifex *in cap. cum ad monasterium, de statu Monachorum* ita sensisse. Hanc verò non tam *sententiam*, quam *opinionem* S. Thomæ vocat Caietanus Thomistarum facile Princeps. Quemadmodum enim Doctor ille sanctus ita opinatus est, non ductus propriâ ratione aliquâ, sed pio illo quo semper excelluit in Summi Pontificis auctoritatem obsequio, dum id ei Pontificis verba sonabant, ita næ ille contrarium enunciasset, si edita fuisset eo viuente Bonifacij Pontificis constitutio, quæ contrarium apertè docet. Quapropter, etiam voto solemni adstrictos posse Pontificiâ voluntate solui, iam Sedis Apostolicæ vsu receptum est, & sentiunt hac ætate fermè vniuersi.

Quid ergo? si religiosus esse quis potest per obligationem Pontificiâ potestate solutilem, cur non etiã per obligationem solutilem ab alijs ita concedente Pontifice; dummodo is qui obligatur, quantum in se est, omnino se mancipet Deo? Ea enim denique notio ac significatio huius vocabuli *Religiosus*, propria est vt ipse S. Thomas declarat. *Religio*, inquit, *est quædam virtus per quam aliquis ad Dei seruitium & cultum aliquid exhibet, ideò antonomasticè religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant diuino seruitio quasi holocaustum Deo offerentes.* Sed per hoc nihil prohibet, quin Vicarius Dei possit vel per se ac magnâ de causâ ita mancipatos quasi manumittere, vel etiam sancire vt aliqui eorum per alios manumitti

2. 2. qu. 185. a. 1. in corp.

possint

possint ex causis etiam non adeò magnis (modò iustis ac validis) & in primæuam libertatem reponi; simul verò nil prohibet, quin idem Vicarius Dei homines Deo eâ formulâ mancipatos vt etiam ab alio quàm à Pontifice quasi manumitti queant, eisdem priuilegijs atque immunitatibus ornet, quibus à Sede Apostolicâ ornati sunt qui ita Deo se mancipant vt non nisi grauissimâ ex causâ & à nemine præterquam à Summo Pontifice sint dissolubiles.

Fons autem, & quasi caput huius doctrinæ inde petendum est, quòd *Religiosus* propriè dicitur is qui ita se donat Deo vt non remaneat amplius sui iuris sed tradat dominium sui cuipiam Dei vices gerenti. Hæc porrò dominij translatio ac traditio est actus legitimus qui antea non peragebatur nisi per vota solemnia, nunc verò peragi potest in Societate per vota simplicia & dissolubilia ita statuente supremo Ecclesiæ legislatore. Ideò non fictè, sed maximè verè ac propriè vota hæc nostra religiosos efficiunt.

Nimirum igitur, vt paucis concludam, qui scholasticos nostros nolunt esse religiosos, vel merum nomen eis negant, vel rem nomini subiectam. Si merum nomen, rusticè atque ineptè agunt; quando ius & norma loquendi est aliquid publicum non priuatum; Respublica verò vniuersa, & sacræ Reipublicæ moderatores supremi tali eos vocabulo dignantur: Si rem nomini subiectam, rursus interrogo, an solum negent hæc duo: indissolubili à religiosis moderatoribus nodo eos esse Religiosæ familiæ adstrictos; & ad dominium retinendum, vel acquirendum inhabiles; Et si hæc duo tantum negent, ritè negari vtrumque concedimus: vel præterea negant, omnia alia cùm in Deum ac Religiosum Ordinem vincula, tùm priuilegia eis verè proprieque conuenire, quæ reliquis religiosis conueniunt; & procul dubio malè ac temerè negant, quando summi Pontifices, quorum est ea vincula & priuilegia statuere, ita planè statuerunt.

His ergo facile confutatis, occurrunt alij contractum eiusmodi qui votis hisce nostris continetur, quasi iniquum criminantes; Non enim, inquiunt, habetur æqualitas, hoc est iustitiæ fundamentum, vbi alter contrahentium aliqua obligatione deuincitur, alter nulla. Iduerò accidit in hoc con-

tractu; vouentes namque, si Societas velit, in ea permanere coguntur; Societas contra, vt ipsi maximè velint, eos retinere non cogitur. Equidem nullam audiui rationem primò aspicientibus magis validam, intus excutientibus magis cassam. Incipiamus.

Potest ne aliquid iniustum esse cuipiam, si hæc omnino quinque conueniant: Quòd volens id fecerit; non deceptus, non vlla vi compulsus, non vt commutet sed vt donet, nullàque magistratus lege interdicente? non credo. Hæc enim quinque ea demùm sunt, quorum absentia effectrix est cuiuslibet iniustitiæ in contrahendo. Iniustum est si quis nesciens quid agat, adeòque non volens (nec enim volumus quod nescimus) gemmam ex. g. quasi vitrum esset, alteri tradat: Iniustum præterea est si quis aliqua ratione deceptus rem suam vendat, aut donet; quoniam vnicuique naturale ius inest ne in commercio circumueniatur. Iniustum est quòd aliquis metu iniuriæ sibi inferendæ ad paciscendum adigatur. Ad hæc iniustum est si quis vel ex indigentiâ, vel ex aliâ quapiam affectus exuperantiâ commutet rem pretiosiorem cum viliore, non donandi animo, sed mercandi: *commutans* enim *iustitia*, quæ dicitur, æqualitatem flagitat dati & accepti. Denique iniustum est si quis contra legis præscripta paciscatur; legis enim in primis est contractus moderari.

Extra hos casus iniustitiæ contractuum rimam vllam esse posse non video.

At nullus ex his casibus rem nostram attingit. De reliquis quatuor superuacaneum esset dicere. Quantum verò ad commutationem attinet, certè ij qui votis se obligant, non id agituant vt vendant, vt mercentur, sed vt Deo ac Religiosæ familiæ se donent, nihil mercedis aut pretij quærentes nisi Deum ipsum æternò tempore possidendum. Nulla ergo iniustitiæ labes in hoc: nisi forte donationem quamlibet ex suo genere iniustam esse existimaueris; & scilicet eam donationem quæ fit Deo, cui non tam donamus, quam reddimus: ita vt eo solo nomine, si Sanctum Thomam audimus, non sit opus iustitiæ, sed virtutis à iustitia distinctæ, hoc est religionis, quod Deo tribuimus, quia Deo semper minora referimus quam debentur, itàque nunquam attingimus

æqua-

Digitized by Google

æqualitatem illam quam iuſtitia molitur inducere.

Perge verò; finge, contractum hunc ita eſſe vltrò citroque obligantem, vt nihil liberale habeat, nihil gratuitum; non idcirco inæqualitatis, & iniuſtitiæ vitio laboraret. Rogo enim, iniuſtus ne contractus ſit quo milites ab Imperatore ſcribantur; Nemo id affirmat. Et tamen integrum eſt Imperatori exauthorare militem durante bello, militi autem recedere non eſt integrum. Similiter, contractus Societatis officij, qui Romæ vulgatiſſimus eſt, habetur ne iniuſtus eo nomine quod per illum Socius ipſe lædatur? Nemini id in mentem venit; potius aliqui dubitarunt ne ſit iniuſtus damno illius, qui dominus officij eſt quique in Socium admittat pecuniæ datorem. Et nihilominus officij domino pecunias reddere ac Societatem dirimere ſemper licet, Socio quifructus præcepit pro certo tempore, ante finem illius temporis idem non licet.

Quin etiam adeò falſum eſt in eâ obligationis inæqualitate peccatum ineſſe, vt ſi penitiſſime rem introſpiciamus, nullus fieri poſſit contractus, quin alter quadamtenus obligetur dum alter adhuc plenè liber eſt ad vtramque partem. Rem ſic demonſtro. Contractus mutuâ contrahentium conſenſione perficitur. Opus eſt ergo vt alter ante alterum conſentiat, ſimulque alteri proponat, num illi placeat in idem conuenire. Porrò eo temporis puncto quo id proponit, ipſe quidem obligatur in rem alteri propoſitam, ſi alter eam velit, cum tamen interim alteri liberrimum ſit, vel conditionem accipere & contractum firmare, vel eamdem reſpuere, adeòque nihil contrahere. Cur ergo iniuſtus fuerit hic contrahendi modus: *Volo in veſtro Religioſo Cœtu manere, eiuſque leges ſeruare donec ita me geſſero vt vobis placeam; idque ſanctè promitto; quo tempore viciſſim Religioſa familia omnia mihi ſuppeditet quæ ad corpus, vel ad animum pertinent, eſcam, veſtem, domum, pharmaca, præceptores, libros, honeſta etiam laxamenta, item animi formatores, pietatiſque incentores, & quaſi nutricios: ita vt nihil mihi deſit ex opportunis ad honeſtatem vitæ, & ad ingentes in Chriſtiana virtute progreſſus. Vbi verò non amplius vobis placuero, integrum vobis ſit me dimittere, & in antiquam libertatem reſtituere.*

Inæqualis vtique contractus videri posset, si alter plus daret quàm acciperet; at contractus inæqualis non est, si alteri liberum fuerit in contractu permanere, vel eum dissoluere. Cedo mihi, an iniustus fuerit vetus ille contractus, quo liberi se vendebant in seruos. Nullus contractus apud veteres frequentior. An non dominus obligabatur in alimoniam serui, si vellet eum perpetuò retinere, secus si placeret dimittere, cum tamen arbitrium seruo nullum esset relinquendi dominum? At quis seruorum tam commodè, tam honestè habebatur apud dominum vel mitissimum vel liberalissimum, sicut nostri Sodales qui Societati se tradunt.

Præterea si res resecetur ad viuum, vtique falsum est, mutuam obligationem neutri parti arbitrariam inter Scholasticos & Societatem non intercedere. Nec enim Societati fas est vel immeritos, & ad libidinem eos dimittere, sed tum demum, cum ipsi malè se gerunt, & quidem grauiter, vt censeantur bono publico non esse idonei. Quod non modò ita se habet in Scholasticis, sed etiam in tironibus: His enim fas est sine iniuria Societatis recedere, cum tamen Societati sine causa eosdem amandare sit nefas nõ solum caritati, sed etiam iustitiæ contrarium. Quod sane Religiosis familijs vniuersis commune esse pulchrè ostendit Eminentissimus Cardinalis de Lugo præceptor meus. Cum enim semel admissi, non sine dedecore amandentur, ea censetur vtriusque contrahentis mens ac voluntas, vt illam admissorum honori plagam infligere, ni satis causæ interueniat, non solum illiberale sit, sed iniustum

Disp. 9. de Iustit. in Appendix n. 57. & sequent.

Quocirca si aliqua inæqualitatis species in hoc versaretur, potius Societas, & Religiosi ordines vniuersi læderentur in contractu quem ineunt dum tirones admittunt. Sed in eo labitur aduersa ratio, quod voluntatem pro iurisdictione promiscuè sumit, quasi in manu ac voluntate magistratus sit, facere omnia ea super quibus ad illum pertinet sententiam ferre: quæ tamen duo longissimè distant. Non ergo ad Societatis voluntatem Scholastici dimitti possunt, sed penes Societatem iurisdictio est decernendi, num illi digni sint qui dimittantur. Hoc autem latissimè pertinet per omnes illos contractus, in quibus ita quis cum altero paciscitur vt eidem

se se

se se subijciat. Sic enim qui beneficiarius sit Principis, castrũ ab eo accipit, fidem illi vicissim obligat, nec priuari potest castro ad Principis voluntatem: sed tamen Principis iudicium est, num ita deliquerit, vt castro priuandus sit. Quod si in reliquis causis, in quibus innocentis damnatio damnanti lucrosa est, potest nihilominus damnandi iurisdictio esse penes eum qui lucrum reportat, addubitare certè non licet, an eiusmodi iurisdictio esse possit in Religiosa Congregatione, hoc est in judice nihil suspecto de iniustitia, cùm propter cætera, tum apertissimè, quia non sine magno detrimento virum abijceret sibi idoneum, quem magno sumptu aluit, atque erudiuit. Quis enim sanæ mentis sanguinem ex venâ mitteret nihil vitiatum, atque innoxium, & ad vitæ ministeria proficientem?

CAPVT XVI.

Num prudenter, & appositè ad suum finem Societas instituerit hunc vouendi ritum expleto bienni tirocinio; vbi multa de quodam libello, qui Ioanni Marianæ tribuitur, ex quo desumuntur rationes obiectæ: Et in vniuersum, an prudenter, modestèque ab alijs Ordinibus in suo instituendo Ignatius discesserit.

MOrem hunc quo Societas statim à tirocinio tam lento nexu suos obligat veteranos, reprehendunt alij, vt supra narraui, non tanquam obligatis iniquum; sed tanquam eidem Societati detrimẽtosũ: In primis verò libellus quidam in manibus est, qui Ioannis Marianæ nomen præfert, hoc est scriptoris è Societate non ignobilis, & supra mediocritatem eruditi. In quo libello auctor monitorem se magis, quàm aduersarium gerit: scriptionisque suæ ceu finem non Societatis vituperationem, sed emendationem prætendit. Ibi porrò tum multa ex Ignatij placitis, atque institutis repudiantur, tum illud maximè de quo loquimur super votis è tirocinio ad gymnasia transeuntium.

Num liber ille verus fuerit Marianæ fœtus, an potius magna

gna ex parte ſuppoſititius, & ſparſim vitiatus, corruptuſque, non liquet. Mihi verò non tanti eſt ſuper hoc articulo diſceptare; Nam procul dubio quantumuis Marianam refragantem non haberemus, alij non deerunt nihilo quidem Mariana minores in legum iudicandarum ſagacitate, quibus multa non probentur ex noſtris. At Mariana vir fuit nec rerum noſtrarum imperitus, aut oſor, quippe in Societate à pueritiâ ad extremam ſenectutem ac mortem perſeuerans, nec auctoritatis à prauis moribus eleuatæ: vixit enim innocentiſsimè. Quid tum? Eſt ne aliquid conſuetius in quacumque Republicâ, quàm vt multi ex ciuibus aliqua improbent in patrijs legibus moribuſque? An idcircò vnius, aut paucorum diſſenſio leges illas & mores expungit, ac ſatis damnat? Commodè Seneca *de vita beata* illud in diſcesſionibus ritè vſurpari obſeruat, *hæc pars maior eſſe videtur*. Si enim conſentientibus omnium calculis leges eſſent à principio ſtatuendæ, omniumque patrocinijs deinceps defendendæ, exleges vtique viueremus. Ne ipſius quidèm naturæ, quæ tandem alio nomine Deus ipſe eſt, inſtituta & ſanctiones omnibus placent, multis cum Plinio ambigentibus, melior ne mater ea fuerit, an triſtior nouerca: Ioanni Marianæ, alijſque perpaucis clam fortaſſe eadem muſitantibus, quæ ex Mariana prodierunt in vulgus, quàm multos habet Societas quos opponat, & literis longè clariſsimos, & vitæ ſanctimonia venerabiles, & prudentiæ famâ, vſuque rerum agendarum longè Ioanni Marianæ præcellentes, qui omnia alia exiſtimarunt de prudentiâ Ignatiani inſtituti, morumque quos Societas induxit ac ſeruat? Mariana quidem Magiſtratum vel extra Societatem, vel in Societate nullum adminiſtrauit, ſine quo vix intimè poteſt & Reſpublica ciuẽ, & ciuis Rempublicam noſſe. Neque inſolens eſt, aliquos cæteròqui ingenio doctrinâque conſpicuos, ita ſibi ipſis furda quadam fraude blandiri, vt Phaëtontem vocent quemcumq; rectorem viderint eius quadrigæ, cuius habenæ nunquam ſibi commiſsæ, nunquam à ſe tractatæ: eâ de causâ non tam certos homines, quàm vniuersè magiſtratum perosi, à quo ſe tanquam repudiatos tacitè dolent. Quod de Marianâ non temerè ſuſpicabitur, quicumque animaduerterit,

eum

eum in memorato opusculo varium, alioqui atque obscurum hunc tamen locum sæpiùs, ac vehementiùs vrgere; antiquis Patribus in Societatis regimine minus deterri: omnia in pueris esse, ijsdemque natu minoribus consuetà: nempe senum querimonia. At, quemadmodum prædixi, religiosæ vitæ seruantissimus fuit Mariana. Fuit sanè; Sed non quicumque innocenter mores temperat suos, idem prudenter legem ponere valet alienis. Multum quidem distant, quæ virum bonum, quæque bonum legislatorem efficiunt. Mitto quod ad integram solidamque innocentiam non omnia sunt posita in cohibendis sensuum motibus, luxuque ac delicijs arcendis, quod præstitisse religioso priuato satis est ad famã probitatis. Multi enim vel hæreticorum, qui non Ignatianam, sed Christianam religionem oppugnarunt, insigniter sensuum cupidines domuere. Certè Mariana non in solam Societatem turbidus, atque irrequietus apparuit, sed ea scribere non dubitauit aduersùs Catholici Regis sancita ac placita, vt in eius librum *de Monetis* tanquam exitiosum publicæque tranquillitatis turbatorem animaduersum fuerit acriter à Philippo III. Hispaniarum Rege mitissimo, eodemque optimo.

Non igitur tam demissè sentio de Ignatij sanctissimi, ac sapientissimi legislatoris auctoritate, nec non de tot millibus ex Ignatij posteris, qui omni virtutum laude suspiciendi Ignatianum institutum mirificè complexi, deamarati, atque exosculati sunt, non denique, quod maximum est, de tot Summorum Pontificum prudentiã, atque oraculo diuinitatis interprete Ignatij leges non comprobante solum, sed collaudadante, vt mihi pugnandum sit tanquam pro aris ac focis, quò euincam prædictum libellum, qui Marianæ assignatur, apocryphum esse. Nimirum per omnes ætates multi Marianæ tum in nostrâ Societate, tum in qualibet religiosâ familiâ, adeòque in qualibet Republicâ subnascentur, qui non tam se ad publicas leges exigere, quam Rempublicam vniuersam ad sui iudicij ac desiderij modulum reformare superba quadam caritatis specie contendant.

Age igitur, & cuiuscumque tandem sit liber ille, rationes quas prætexit, examinemus, in hoc quidem capite; illas

quæ

quæ hanc simplicium votorum susceptionem spectant: alias porrò in alijs.

Præmittit ille quædam satis communia: nullam esse huius mundi partem, conuentum nullum, rem nullam ab errore ac vitio prorsus immunem, ideò nec mirandum, nec pudendum si nostro etiam in regimine aliqua peccantur. Omnia certa, sed ad scriptoris conclusionem prorsus inania. Nec enim mihi persuasum est, per institutionem nostram adeò numeros omnes prudentiæ, ac perfectionis absolui, vt si quis Angelus è summis choris allaberetur ad nos, nihil corrigendum adinueniret. Nego tamen tui vel nostri iudicij esse labeculas tot viris oculatissimis adhuc inaspectas dignoscere, adeoque emendare. Alioquin, quoniam omnia humana imperfecta, audebis etiam Tullianas orationes, Virgiliana carmina, Augustini, aliorumque Summorum Patrum doctrinas capitulatim reprehendere, corrigere, ac pro arbitratu recoquere: audebis tu quidem, sutor vltra crepidam, Phidiæ, ac Praxitelis signis, Raphaelis Titianique picturis manum inferre. Denique nihil erit in orbe terrarum adeò excelsum ac venerabile, in quod ius dicere, cuique modum imponere verearis. An quia nullum est corpus in exquisitissimâ humorum temperie collocatum, nihil tibi diffides, quin athleticè valentibus medearis vt melius conualeant? Omnia humana quadamtenus vitiosa, fateor, sed ea cæteris vitiosiora, quæ minus sapientes minusque accuratos habent effectores. Cum ergo tu, quisquis es, innumeris partibus vincare sapientiâ illâ, quæ tum in Ignatio, tum in Societate vniuersa viguit ad hanc diem, cumque longe minus temporis studijque impenderis tuis hisce perpaucis pagellis exarandis quàm impenderit tota Societas per integrum sæculum suis legibus & decernendis & expoliendis, quanto vitiosius esse credibile est exemplar istud cogitatum à te vno, approbatum à nemine, quàm illud quod Ignatius tantâ prouisione tantoque studio elaborauit, quodque à supremo Societatis Consilio continenter perficitur?

Addit, ab Homero iuuenes vocari indoctos ac stultos: Esto. At neque Ignatius, neque Socij, neque ij qui nostri instituti fuerunt opifices, annorum inopiâ laborabant; quin

eorum

eorum plerique persenes erant. Verum (repeto hic quod initio huius operis indicaui) in hoc multi allucinantur, quod iuuenes, ac recentes pro ijsdem sumunt. Iuuenibus quidem senes sapientiores sunt, quia vixerunt quidquid ætatis vixerunt iuuenes, & aliquid amplius. Quo factum est vt longioris experimenti disciplinâ condocefierent. At è contrario recentes senes prioribus senibus sapientiores eadem ratio demonstrat, quoniam cum vtrique æqualiter vixerint, recentibus tamen innotescit quid suâ, quid maiorum ætate contigerit; prioribus verò breuior notitiæ terminus circumscriptus; nec enim illis posterorum euenta diuinare licuit.

Pergit laudans illud Columellæ: *Vsus & experientia dominantur in artibus, neque vlla est disciplina, in qua non peccando discatur.* Sed hoc testimonio duo potius confirmantur nostro reprehensori non multum commoda.

Primum est, artes meliores esse ætate nostra, quàm præteritis; longior enim vsus & experientia præcessit, & nos maiorum peccatis doctiores euasimus.

Alterum est, parum huius artis in Mariana fuisse, vt potè qui nullo vsu atque experientia instructus est ad tradenda regendorum hominum præcepta; nec enim vnquam rexit, nec eum rectores in partem consilij atque administrationis multum adsciuere, quod sæpè balbutiens conqueritur. At cur dum adeò effusè veteres institutores Religiosorum Ordinum supra neotericos extollit, non potius illud ex eodem Columella perdidicit, quo scriptor egregius opus illud suum aurea tanquam coronide concludit: *Nec tamen canis natura dedit rerum omnium prudentiam, nam etiam quicunque sunt habiti mortalium sapientissimi, multa scisse dicuntur, non omnia.* Cur non in ipso Columellæ proemio perpendit refutationem illam existimantium; *vbertate nimia prioris ætatis defatigatum, & effoetum solum nequire pristina benignitate præbere mortalibus alimenta*: quam persuasionem rutis ille magister haud quidem rustice refellit, quod *neque fas est existimare humi naturam, quam primus ille Mundi genitor perpetua fœcunditate donauit, quasi quodam morbo, sterilitate affectam: neque prudentis est credere, tellurem, quæ diuinam atque æternam iuuentam sortita, communis omnium parens dicta sit, quia & cuncta pepe-*

rit semper, & deinceps paritura sit, velut hominem consenuisse Si enim hæc de frugum parente humo, hoc est de corporum vilissimo, & ex quo ipsa *humilitas* dicta, credere nefas est, an id existimare licebit de ipso animorum parente Deo, qui quasi effœtus iam senex filios nunc gignat superioribus mente & consilio imbecilliores?

Progreditur dissimulanter perstringens Ignatium (de cuius tamen instituti vniuersitate perhonorificè loquitur) quòd non cæteros Religiosorum conuentuum fundatores imitatus sit: hi enim omnes, inquit, alicui adhæsere ex veterum Monachorum institutoribus, quem sibi proposuerint tanquam exemplar paucis mutatis, adeòque non auia loca peragrarunt nullius ante trita solo, quæ sæpè inuia, semper incerta, atque identidem prærupta, sed vias iniuerunt aliorum periculo comprobatas. Cum tamen Ignatius adeò à prioribus discrepare quæsierit, vt ne nomina quidèm alijs communia retineret. Hæc ille.

Sed ratio istæc in multis labat. Primùm namque non magis carpit Ignatium quàm primos illos præclarissimos religiosorum ordinum duces, qui multò latius discessere à communium clericorum vitâ, quàm ab aliorum Cœnobitarum. Ignatius.

Præterea negabit quispiam, tutius esse magnum aliquod exemplar ita imitari, vt ab eo in quibusdam (nec sanè minusculis; alioqui nouus religiosorum Ordo non existeret) recedatur, quam omninò aliud ædificium architectari. Quid enim? An tibi expeditum videretur nouam hominis naturam effingere, quæ retentis quibusdam humanis membris, alia tamẽ diuersa gerat ac ille homo qui nũc habetur? Scilicet periculum erit, ne si humano capiti equinam ceruicem iunxeris, variasque plumas induxeris, deridiculo sis, vt Venusinus ominatur. Et quod in homine posui, ad equum, ad canem, ad ceruum transferri potest. Alia enim planè ab his animalia cogitari atque effici nihil vetat, sed aliqua eorum membra retinenti, aliqua peruertenti in procliui erit, vt pro emendatiori opere monstrum exeat. Quod de opificijs naturæ hoc est supremæ architectæ dixi, hoc idem valet in repertis humanorum artificum, ij si præcellentes fuerint, eaque

non

non affecerint tantum, sed accuratè sedulòq ue perfecerint. Porrò inconsultius reor Bonarrotæ tabulam imitari mutatis multis, aliis seruatis, quàm dissimillimam excogitare ac delineare. Videlicet cum pulchritudo ac probitas opificiorum tota versetur in aptâ proportione partium, quis non videat, quàm prorsum sit vt aliis inductis partibus, quas egregius faber, vti credibile est, repudiauit, prisina pulchritudo in abnormem deformitatem degeneret? E diuerso cum res noua penitus extruitur, nil mirum si aptè cadat, quandò præstantissimi opifices, quæ fecerunt, bellissimè quidem fecerunt, sed multa adhuc bellè fieri possunt ab ipsis infecta, propter limites vel humanæ scientiæ, vel vitæ. Nempè vt commodè loquitur in hanc sententiam Columella, is quem Mariana initio laudauit: *In magna silua boni venatoris est indaganter feras quamplurimas capere, nec cuiquam culpæ fuit non omnes cepisse.*

Memini cum de noui templi structura Romæ consultaretur, multique auctores essent, aliquod ex laudatissimis deligendum vt exemplar, ijs tamen ablatis prauitatibus, quæ in eo communiter reprehenderentur, alios scientiores illicò interceßisse, ratos, vitia illa non artificum fuisse, sed terrestris materiæ, quæ perfectissimam formam non admittit; adeòque tanquam minima de malis non ex inertia, sed ex solertia fuisse suscepta, vt potè quæ declinari non nisi per grauiora vitia potuissent. Haud aliter in alijs artibus. Sane videmus neminem in scribendo valdè placuisse, qui aliorum quempiam, etsi optimum, sequendum sibi proposuerit, plusque delectari homines Statiano quam Siliano carmine, licet illud à Virgiliano, hoc est à præstantissimo plurimùm, hoc minimùm aberrare curauerit. Vt enim aliquando vnius litterulæ commutatio sententiam non euertit modo, sed priori opponit, ita nonnunquam si ex optimis aliqua demas, pessima efficies. Certè diuinam Aeneida quamuis adhuc impolitam, & ab auctore flammis addictam, mutatione carminum aut vrborum expolire nemo ausus est; nemo vsque adeò confisus est sibi, vt Appellæam Venerem absolueret; alia verò poemata, aliasque Veneris imagines effingere minores non dubitarunt.

Digitized by Google

Quocircà tantò consultius, ac modestius egisse videtur Ignatius, quantò latius ab aliorum Ordinum institutione discessit, tanquam nouum conditurus, non veteres emendaturus. Et hoc idem fecisse comperiemus alios religiosorum cœtuum conditores, si res de industriâ executiatur. Sed hoc in præsentiâ demonstrare longioris esset euagationis.

Neque tamen illam Ignatius creare maluit, quàm gignere; scilicet materiam ac partes non suo marte producendas ratus, sed ab alijs conquirendas, nihil extra iuncturam induxit de suo. In primis verò plura mutuatus est ex Ordine omnium antiquissimo, atque ab ipso Christo instituto, hoc est ab ordine Clericorum, & Apostolorum, intelligens illud vitæ genus ad animas Deo lucrandas longè aptissimum, quod mortalium seruator constituit in illis hominibus per quos breui mundum vniuersum lucratus est. Hanc ergo viuendi normam Ignatius passim sectatus, nihil ab ea deflexit, quantum temporis ac morum præsentium conditio patiebatur, vt inferius demostrabitur.

Hęc summatim sunt quibus opusculum illud vniuersè connititur, vt instituto Societatis æstimationem minuat, inuidiam augeat.

De hoc autem simplicium votorum ritu sic disputat, vt quinque omnino perincommoda ex illo deducat.

Primum est, multos ad profanam vitam reuolui, quibus nisi abitus pateret, omnem abeundi cogitationem simul cum potestate deponerent.

Alterum est, non paucorum eximia ingenia atque indoles hac de causa vanescere; Cum enim à Societate desciuerint, deinceps in Reipublicæ muneribus eam retinent notam, qua, maculosæ tanquam gemmæ, semper vilescunt.

Tertium est, ea occasione eandem Rempublicam repleri mendicis Clericis non sine multâ Episcoporum querela. Si enim è Societate dimissis conferuntur sacerdotia, vtique horum successus alios porrò ad fortunati criminis imitationem inuitat; Si negantur, fames adigit ad emendicandum.

Quartum est, multos fraudulenter eatenus in Societate perseuerare donec inempto victu literis imbuantur; exactis verò

verò ſtudijs è veſtigio recedere, vt non Chriſto, ſed ambitioni deſeruiant.

Quintum denique eſt, vberem conqueſtionum ſegetem hinc pullulare inter nos; videntur enim Societatis moderatores interdum non tam meritis, quam affectibus aut delectum, aut tempus profeſsionum metiri.

His ita diſputatis, concludit, optimum fore, non quidem vt hic ritus in Societate funditus deleretur, ſed vt profeſſuri à congregationibus prouincialibus eligerentur, minore vtique deligentium inuidia, quippe in plures incertoſque diuiſa, ſimulque iuſtiore delectu, vtpote ijs commiſſo qui propiùs adeòque interius ſingulorum ingenia, moreſque callerent. Hæc ſunt quæ in illo opuſculo ſuper hac vouendi conſuetudine diſſeruntur.

CAPVT XVII.

Confutantur rationes prædictæ, aduerſiſque rationibus vtilitas huiuſmodi inſtitutionis demonſtratur.

SAnè hoc intereſt inter philoſophum, & ſophiſtam, vt ſophiſta de rebus omnibus in vtramque partem facile diſſerat, nimirum ad ſpeciem, ac multitudinem; philoſophus verò alteram ex partibus eligat quam tueatur; quippe ſapientibus, & ad veritatem loquuturus. Etenim in rebus omnibus mala bonis permixta ſunt, nam ſi quid nihil boni teneret, non eſſet ex Deo, ſi nihil mali, non eſſet infra Deum. Itaque Sophiſta, cum aliquid laudandum aſſumit, bona oſtentat, malis diſsimulatis: idem verò cum aliquid vituperare aggreditur, eloquitur mala tacitis bonis. Hinc decantata illa febris, peſtilentiæ, iniuſtitiæ, rerum denique deterrimarum encomia, bonorumque aduerſantium conuicia. At philoſophus, & quicumque ingenuè ac ritè actionem aliquam, aut rem propoſitam examinat, ita rei bona vniuerſa cum vniuerſis malis confert, vt perſpiciat vtra præponderent.

rent. Næ id mihi tum in præsenti quæstione tum in opere vniuerso faciendum. Et verò quantula fuisset Ignatij prudentia si res adeò probas elegisset, vt labes earum nulla dubiam reddidisset electionem? Porrò vbi parum bonum elucet, ita stultos iuxta ac sapientes rapit, vt ne libertas quidem volendi, non modò prudentia tum dominetur. At quemadmodum sagacis gemmarij est pretiosum lapidem, scabrum quamuis atque impolitum agglutinatoque cœno sordentem colligere, atq; æstimare; ita sapientis legislatoris est institutiones aliquas, tanquam in puluere incommodorum quibus asperantur iacentes, propter eximiam aliquam, ac latentem vtilitatem, ceu proficientes amplexari.

Quis neget in hac nostrâ vouendi formulâ aliquid incommodi ineſſe? nempe alioquin excordes, ac stolidi nimio opere forent cæteri omnes, qui eamdem non amplecterentur. Caput ergo quæstionis est, num ea incommoda commodis alijs ex eo profectis rependantur. Age igitur atque vtraque ponderemus.

Do tibi, multos ideò à Societate separari velle, quia possunt: Nego tamen, ex his nisi rarissimos fuisse nobis idoneos. Cum enim illis non liceat inuita Societate recedere, Societas quidèm nemini perseuerantissimè dimissionem flagitanti est inexorabilis; at quadam subitanea perturbatione animi discessum petentibus moras nectit, per monitiones medetur; sacrum recessum, piasque animi exercitationes indicit; donec ratio, quam impetus ille tanquam de sede deiecerat, in antiquam possessionem remigrauerit. Quod si quis non ex improuisâ commotione aliqua, sed meditato consilio, adeò nec Deum timeat nec homines vereatur, vt spretâ votorum obligatione, deuorata desertoris ignominia profanam libertatem pertinacissimè repetat, hic enimuerò non talem sortitus est animum, qualem Ignatius in suis alumnis exigebat, qualemque ministeria nostra deposcunt. Qua super re duo mihi enuncianda sunt magis vera quam obseruata.

Primum est, multos quidem simpliciter esse qui post susceptа vota Societatem relinquunt, sed eosdem esse perpaucos comparatè ad numerum perseuerantium. Vix enim centenis constantibus vnum aut alterum abeuntem oppones. Verumta-

rumtamen plures videntur esse quam sint, ceu contingit peregrinis, vel mancis inter populares, & integros; videlicet quia notantur digitoque monstrantur.

Alterum est, ex quibusque discedentium denarijs vix singulos esse, quorum constantia Societati profuisset, adeòque, quorum abscessum nostrâ non ipsorum tantum causâ doleamus.

Vtramque enunciationem non temerè, nec dubitanter profero, sed *post* diutinam experientiam, ac notationem certissimè affirmo. Ex quibus duobus id tertium conficitur; iacturam ex hoc vouendi instituto nobis illatam haud grauiorem esse, quàm ex quibusque millenis vnius aut alterius, qui nostro cum emolumento permansisset.

Venio ad alterum incommodum, quo frangi, & arescere dicuntur proba multorum ingenia de reliquo Reipublicæ profutura, quòd ex relicta societate vitium famæ contrahant immedicabile. At si huic rationi pondus inesset, perperam medici, atque in primis Galenus tam impensè crebroque commendaret ægrotis sectionem venæ: quantus enim, ros ille animalis naturæ, sanguis, emissus putrescit ac fracet, qui seruatus aut effloruisset in carnem, aut irroborasset in ossa, aut elaboratus esset in spiritus, hoc est in ærarium vitæ, atq; armamentarium ingenij? Quis nescit simul cum excrementis multas egeri portiones cibi, quæ viuentis formam induere potuissent? Nimirum ita se res habet. Expedit, in corpore ciuili iuxta ac naturali eos patere aditus, per quos ita multa noxia pelluntur, vt simul tamen aliquid elabatur quod vtiliter retineretur. Alioquin ne à tirocinio quidem liber exitus expediret, quando ne inconstantia quidem tironis extra notam.

Verum per quam pauci sunt isti, quos alioquin suâ sponte frugiferos, vna desertæ Societatis nota tanquam adurit. Potius enim ea nota Rempublicam admonet debitæ circumspectionis in his admouendis ad publica munera, vtpote qui licet foris niteant, introrsus tamen vitiosi plerumq; marcescunt. Cæterum si aut innocenter iustâq; de causâ discesserunt, aut ex culpâ quidem pulsi, postea tamen se se correxerint, non propterea quod à Societate desciuerunt, succum omnem

Reipu-

Reipublicæ alendæ idoneum ammittunt. Alij enim paræcias curant; Alij magistratibus præsunt; Alij principibus viris cum laude inseruiunt: lac illud virtutis & doctrinæ, quod à Societate suxerunt in salubre Reipublicæ nutrimentum impendentes.

Sed hæc ratio vocat me ad tertiũ illud caput in quo dicebatur, per hanc libertatem abeundi è Societate oppleri Christianam Rempublicam Sacerdotibus emendicatò viuentibus Id porrò quam falsum sit experimento docetur. Vix enim in hac amplitudine Romanæ Vrbis, quæ & sexcentos è nostris facile nutrit, & vndecumque confluentes clericos, tanquam Christianæ Religionis Regia, complectitur, vel vnum mihi ostendes, qui sacris in Societate initiatus, & exinde egressus mendicet. Cuius rei causa in promptu est. Societas enim ijs coalescit, quorum plerique si domum redeant, non inopes consanguineos sint reuisuri. Præterea nemo in Societate sacris ordinibus initiatur quin Rhetoricam, ac deinceps Philosophiam edoctus, & postea Grammaticam, atq; humaniores litteras triennium professus, deniq; Theologiæ studium vel integrũ vel saltẽ maiori ex parte iam sit emensus. Viri autem talibus doctrinis locupletes vel in extrema rei familiaris direptione diuitias suas secum portant cum Biante: patrimonium adepti longè fidelius & securius, quam quod extra hominem est, & fortunæ casibus seruit, atque exules derelinquit.

At, si Sacerdotia, aliaque opulenta munera his conceduntur, prosperum & felix crimen noxio exemplo cæteros pellicit. Enimuerò, lector, antequam eiusmodi rationem depello, id te monitum volo: qui personã Societatis induta sic edisserunt, in magnam inuidiam Societatem inducere moliuntur; quasi nos opimis successibus abeuntium intabescamus. Quod adeò falsum est, vt plerique horum non alijs præsidijs quàm nostris ad honestam conditionem emergant. Innumeri certè sunt, quos cum à Societate diuulsi essent, vnus Pater Mutius Vitelleschus eiusdem Societatis Generalis Præpositus infatigabili opere adiuuit, quò alij sacerdotia, alij cathedras, quin etiam insulas obtinerent; quod ipsi compotes voti grata recognitione non diffitentur. Nec enim

enim id nobis quæritur, vt qui à Societate discedunt, tanquam incæsti, aut de Cœlo tacti, vel contagione quadam afflati vitentur ab omnibus. Id porrò & disertis Ignatij verbis, & nostrarum Congregationum decretis, & perpetuo Societatis vsui maximoperè pugnat. Nimis quippe infæliciter nobiscum ageretur, si talibus alumnis Societas constaret, quibus honesti Sacerdotij victum suffecturi spes constantiam religiosæ vitæ concuteret: qua refutatione ratio illa aduersa funditus cadit. An non plerique dum Societatem amplexantur copiosæ fortunæ domesticæ repudium dicunt? Væ nobis si multos haberemus quos sola cibariorum securitas nobis conseruaret.

Illud quidèm nos offenderet, si fortè tanquam de industriâ deligerentur ad opipara atque honesta munera Societatis desertores, quasi præmium ex crimine referentes. De reliquo etiam si humanâ tantùm decempedâ res optandas metiremur, quis non intelligat decorum nobis censendum, si quemadmodum ex animantium purgamentis plantæ nutriuntur ac pubescunt, ita ex ipsis eiectamentis Societatis reliqua Respublica commode foueatur ac vigeat.

De hoc satis: tempus est vt dicamus de illo quarto, hoc est de fraude, quam asserunt frequentem eorum qui Societati simulate adhærescunt, donec doctrinam sine victus impendio surripiant.

Equidèm, hos adeò non frequentes esse scio, vt vlli ne sint, animi pendeam. Quamquam enim ea est Societatis vita, quæ sperantibus Cælum, & virtutem diligentibus mirificè dulcescit, eadem tamen sic tota in Cœlum spectat, tam religiosè honestum colit, vt hæc duo aspernantibus inamarescat. Sanè leuius duxerim in pistrinis quæsito viuere, quàm sine Dei ac virtutis respectu bienne illud tolerare tirocinium, in quo sic voces, gestus, motus, incessus, obtutus, omnia denique vitæ officia in singula momenta ad alterius nutum exiguntur, nullum vt mancipij genus excogitari possit quod tam assiduè, tam exquisitè ad amussim herilis voluntatis componatur. Exacto autem tirocinio quamuis minutiora illa mandata valdè rarescant, tamen & diuinæ legis custodia vel in minimis scrupulosissimè requiritur, & tanta desidera-

tur in domesticis regulis disciplina, tanta erga moderatores obedientia; tam seuerè castigatur subnascentium cupiditatum in omni rerum genere lasciuia quælibet atque exuperantia, adeò Societas (quod ille de veterum Romanorum educatione refert) non studia modo curasque, sed remissiones etiam ac lusus verecundia quadam temperat ac sanctitate, vt cuicumque tanti sit cibariorum quæstus, is enimuero illorum pretiosus emptor potius quàm fraudator mihi vocandus. Porrò fluxa res fictio est, eaque tum maximè quæ vniuersum vitæ finem, scopumque mentitur. Ad hanc enim deprehendendam tot patent rimæ, quot actiunculæ prodeunt in vitâ. Sanè, quemadmodum oculis, ita & menti colores: apparentes ijdem ac breues: veri ijdem, ac stabiles. Scitè Socrates non aliam esse docebat artem qua quis bonus videretur, nisi vt verè bonus esset. Omnis rubor ex purpurisso, omnis candor ex cerussa cadens ac pene horarius. Certa est physicorum vox, eademque totius philosophiæ fundamentum, ea quæ cunctis diu eodem modo videntur, talia esse qualia videntur. Alioquin de apertissimis quibusque meritò dubitaremus. Vix ergo euenire potest vt quispiam nulla Dei religione præditus, sic tamen plures annos factitium gerat quidquid elucet, vt multorum contentium oculis imponat, & ijs quidem nil caligantibus, nil conniuentibus. Sanè furta hæc, quæ isti tam beneuoli in Societatem conqueruntur admissa, Societas ipsa non sentit.

Auctor dial. de caus. corr. eloq.

Minimè omnium vrget illud extremum; hoc est, locum dari multorum vociferationibus, quod professionum electio ad voluntatem sæpè, non ad meritum fiat. Hæc conquestio latiùs vagatur, & per omnem vel præmij, vel pœnæ distributionem pertinet. Quid enim crebrius inter mortales quàm vt quicumque vel plectitur, vel infra vota præmijs afficitur, clamet, arbitrium, ac beneuolentiam præ iustitia dominari? Nec tamen vllus adeò desipiet, vt ob id pœnas & remunerationes duxerit ablegandas, hoc est geminos cardines publicæ fœlicitatis.

Illud verò, quò euadebat tandem aduersi opusculi disputatio, & quò vnicè spectant omnia ista quorumdam semum studia, prouisiones, monitiones; scilicet, vtilius fore vt hoc non

in

in vnius Præpositi Generalis potestate sit, sed prouincialibus Congregationibus, hoc est seniorum cœtibus committatur, alium locum attingit, & quidem potissimum, & inferius de industriâ examinandum super absolutâ illâ, ac plenissimâ Generalis Præpositi potestate, quam Societatis pars maior & melior semper sanciuit & propugnauit, quam eamdem aliqui è Societate semper oderunt atque agitarunt.

Interim expendamus, vtrum in hac laxiore formâ vouendi, detrimenta quæ numerauimus, alijs bonis ex eâ manantibus præponderentur.

Id mihi paucissimis conficere liceret si auctoritatibus agere vellem. Nam Societas quidèm haud vnquam optauit vt sui scholastici vincirentur sibi per individuum nexum alijs religiosis consuetum. E contrario multos ex alijs religiosis quotidie audimus, qui hanc nostram facultatem dimittendi sordes & purgamenta suspirant. Hæc ergo optatior, adeòque optabilior, ac melior. Sed rationibus, non sententijs differamus, vt non tam credere debeamus, quam iudicare.

Duo præcipuè sunt illa bona, per quæ fœlicitas cuiuscumque congregationis existit. Concordia partium inter se, earumdemque vis atque opportunitas eiusdem finis consequendi. Vt breuius dicam: eiusdem boni efficiendi facultas simul & voluntas. Per hæc enim duo habetur emolumentum illud præstantissimum, cuius gratiâ quælibet consociatio ac nexus institutus est, vt quando res omnes procreatæ per se imbecillæ sunt ac mancæ, ita tamen per alias adhærentes valeant bonum aliquod promouere, ac si per se proprijs viribus illud possent. Huic autem vtilitati duæ sunt pestes inimicæ, nimirum vel partium inter se discordia, vel talis habitudo, vt aliqua earum non tam iuuare possit, quàm impedire bonum illud quò aliæ intendunt. Vtrumlibet ex his malis, si in aliqua partium insanabile sit, consultissimum est vt societas dirimatur. Hæc est ratio, cur & segetum atque arborum luxuriem opportunis vulneribus agricolatio castiget; & ex animalium corpore secentur à medentibus membra putrescentia, *ne pars sincera trahatur*; & in Republica mali ciues curante magistratu alij per exilium, alij per carcerem, alij per mortem ex communi consortio segregentur. Nem-

pe si acutè inspiciamus, non solertius, nec vtilius, frequentiusue laborant generatim artifices in componendis bellè ijs, quæ antea erant diuisa, quam in diuidendis ac recidendis quæ incommodè iungebantur. Ideòque natura res tantum cœlestes indiuiduo nexu compactas voluit tanquam commemoratis à vitijs immunes; terrestres verò vniuersas, vt pote eiusmodi prauitatibus obnoxias, quà facilius, quà difficilius sectiles fecit. Ibi verò diuisionis facultas in primis necessaria, vbi procliuior est vel discordia, vel vnius partis ad communem finem importunitas.

Cur hæc ita præfatus? quoniam hosce ad duos morbos corpus Societatis præ alijs congregationibus etiam religiosis habitudinem habet maximè pronam; adeòque facilè interiret, nisi identidem purgationis ac sectionis præmunientes medelas adhiberet. Nimirum virtus illa incontaminata, quam inter acerrimas peccandi illecebras Societas requirit, vti præstantissima est, ita perardua & rara. Vitiosa enim Adami progenies ad licentiam propensa, præscriptis contumax, refractaria, cupiditati quàm honestati obsequentior, peccantium quibuscum versatur prauitatibus adhinniens, seueras illas pietatis, decoriq; leges quarum Societas seruantissima est, intoleranter sustinet.

Neque verò probatio, & institutio illa biennis tirocinij indolem alumnorum aut satis aperit, aut satis perficit. Siquidem ætas ingredientium tironum etiam tum ferulæ ac pedagogi patiens, inter tot probitatis exempla, & ab omni laxioris vitæ illicio remota, facilè componitur ad seueriorem disciplinam. At pubescente cum annis & superbiâ & petulantiâ infausto adultioris ætatis comitatu, collocatoque homine inter mortalium ab eo curandorum noxas, ac tanquam in valetudinario Reipublicæ, vtique nec difficilius, nec infrequentius est alienis exemplis sanos perire, quàm alienâ ope ægrotos sanari. Mirum ergo quales morum, atque ingeniorum in deterius commutationes apparent; vel quod semina quædam improbitatis, quæ anteà latebant, germinare incipiant, vel quod non benè confirmatæ virtutis virgulta maligno illo afflatu exarescant. Quid tum facto opus est? Per vimne fodales retinendi, atque ad probitatem cogendi?

At

At probitas in eo est rerum genere, quas nemo habet inuitus. Minis quidem ac supplicijs debemus multorum scelerum præterm issionem; at virtutem procreare voluntatis est, non formidinis. Id quidem & per se patet, & leui negotio conficitur. Virtus enim eiusmodi hospita est, quæ non diuersatur nisi apud amantes sui. Amor autem nec imperium, nec violentiam nouit, & naturâ ingenuus nunquam redigi potest in seruitutem. Ergo nemo nisi sponte virtutem admittit. Quare nostrorum moderatorum non est virtutem nolentibus intrudere. At, qui virtute careat, non potest non malus esse in eo cœtu qui vnicè virtutem colit, & omnia virtute metitur. Vt enim, si benè corpore valeas, cuncta vitæ munera cum voluptate peragis, vesci, ambulare, colloqui, lectitare; contrà si ægrotaueris, omnia hæc dolenter. Ita præditum sanitate animi, hoc est virtute, vniuersa honestatis officia delectant: at cui animus virtute mancus ægrescit, honesta omnia operosa, tristitiæ, intoleranda, itaut puniri quidem à nobis queat, ad nostram regulam emendari non queat. Imò verò ne puniendi quidem sæpè facultas erit. Non enim paterna Societatis gubernatio aut secures admittit, aut latomias, aut gyaras, aut virgas, sed pœnas adhibet quarum ictus vniuersus non tam in sensu, quàm in æstimatione versatur: qui frontem perfricuit, omnia vindicis Societatis tela hebetauit. Humiliori mensæ accumbere, vel humo insidentem comedere: e suggestu super mensam reprehendi, in tirocinium ad reficiendas pietatis vires ad tempus remitti; hæc denique maxima sunt inter supplicia nobis vsitata, quæ si quispiam contempserit, modo grauissimi cuiuspiam sceleris patrator non sit, nihil habet vltra quod à Societate pertimescat. Is verò, quis non intelligit quantum loquelâ, exemplo, cuncta denique actione vitæ sit Societatis officia labefacturus? Vt enim licet cætero corpore valas, minusculo digito tantum dolitante nullam vitæ operationem ritè præstiteris, ita minimus quisque ciuilis corporis articulus si malè habeat, incredibiliter reliquorum membrorum vsum impedit, & corrumpit.

Huc accedit, multos esse quibus mediocriter peccandi, aut etiam liberius degendi licentia satisfacit, qui si eò adigantur,

vt

vt nisi absolutè probi sint scelesti esse debeant, summum scelus summæ virtuti præoptent, ac tanquam conclusæ feræ, si fuga desit, in stragem ruant. Quocirca his ni bonâ venia pateret exitus, ita illum per crimina patefacerent, vt vel in Lernam illam Christiani Orbis Geneuam se se proriperent, vel patibula, triremes, engastula criminibus prouocarent. Vetus proverbium est, inimico fugitanti aureum pontem substernendum. Neque vllum naturæ beneficium magis exoptatum à medicis, quàm vt illa noxijs humoribus missionem concedat, exitum patefaciat.

Præterea non tantùm virtute defecti vtiliter eximuntur à Societate, sed etiam alij complures qui vel capitis imbecillitate, vel alio quopiam interueniente morbo insanabili, aut omnino, aut seruatâ disciplinâ Societatis, vident se, si in illâ permaneant, semper otiaturos, sibi graues, proximis inutiles, & quod aliquos non perfectissimos angit, ignobiles, atque obscuros. Hos enim, ni dimissionem petant, Societas quidèm amantissimè retinet; at si abire præoptant, non resistit. Nullius enim frugis ij nobis sunt, nisi ad illud virtutis fastigium assurgant, vt ærumnas in domo Dei mundanis illecebris ac leuamentis anteponant. Quicumque verò tam præclarum exhibet virtutis exemplum, non minus per hoc Societatis fini allaborat, quam cæteri vel doctissimi, vel robustissimi per immortalia scripta, vel per transmarinas missiones.

Ex huiusmodi exemptionibus opportunè festinatis quantum exitij Societas declinet, & ratio ipsa per se suadet, & euentus docet. Quampauci enim sunt ex tantâ nostrorum multitudine, qui grauiore aliquo maleficio Rempublicam perturbent, quique in tribunalibus quæstioni subijciendi, publicisque custodijs constringendi sanctum religiosæ vitæ nomen dehonestent? Quàm pauci qui vel à Catholicâ fide, vel à religiosâ disciplinâ, atq; obedientiâ audacter deficiant? Scio hæc mea legenti statim subiturum vnum aut alterum inter nostros vtriusque flagitij exemplum. Quid tamen? hoc ipso enunciatio mea confirmatur, non labefactatur. Scilicet perrara sunt ac mira quæ notantur inter homines, quæ numerantur. Commodè Horatius, *Populus numerabilis, vt pote paruus.*

paruus. Cur Solis Lunæque defectus tam exactè memoramus? Quoniam in lucidissimis syderibus infrequentes. Et sanè huiusmodi exempla inter nos rarissima sunt; in vnaquaque regione quicũq; illa recensere voluerit, eadem planè tria quatuorue recensebit. An non hoc summæ raritatis est argumentum? quæ raritas inter tot millia non solitudinibus tanquam aggeribus septa, sed cum omni vitiorum, ac periculorum impetu continenter belligerantia, huic vni expurgationis præsidio accepta debetur.

De reliquis innocentiæ partibus qua Societas candescit, nihil dicam: id vnum reputare lectores velim; quidquid illecebrarum in formâ ac venustate habet vterque sexus, securè nobis concredi vel ab osoribus atque obtrectatoribus Societatis; in quâ, cum puerorum gymnasia maiorem partem à sodalibus adhuc iuuenta seruidis procurentur, quis non miretur tam insolitas esse non dicam noxas, sed etiam minusculas ipsas suspiciones noxarum, frequentem scilicet calumniæ potius quàm culpæ progeniem? Plerique illorum qui hæc legent, florem ætatis in nostris scholis consumpserè, nec pauci adhuc in Serminarijs, quæ administramus; vbi perpetuus nobiscum alumnorum conuictus. Recogitet iam vnusquisque quam innocenter secum sit actum, atque ex se de reliquis coniecturam sumat. Quod si forte quispiam vnus ex innumeris humanitus aliquid accidisse recordetur, consideret enimuerò quàm lubrica sit eiusmodi res, quamque fuerit vel seuerissimis Anachoretis & formidolosa, & interdum inuicta. Certè nisi gelidus hic timor inhonestæ pulsionis seruentes multorum spiritus tepefaceret, nisi hanc pestem antequam erumpat, velut in bello incendiarias naues, amoueremus, tantam fidem Reipublicæ seruare nostrum non esset. Memini equidem Vrbanum Octauum Pontificem maximum, eumdemq; morum innocentiâ in omni ætate conspicuum, atque humanarum rerum apprimè callentem, vltimò senio admirabundum ex me sciscitari, qui tandem succederet nobis, vt inter tot faces tanta seruaretur continentiæ temperies.

Vides, lector, num per hæc emolumenta, quæ summatim memoraui, abundè redimantur incommoda illa, quæ à

nostrâ

nostrâ vouendi ratione oboriuntur. Enimuerò sordibus non offendatur necesse est, quicunque fullonem à linteis, conuerritorem à pauimentis arcet, ne vtraque deterantur.

CAPVT XVIII.

An opportunè Societas latinitatis & humaniorum literarum disciplinam asciuerit, proponuntur obiectæ rationes.

SEquitur alius locus, isque peramplus, ac multiplex de studijs Societatis, quibus quoniam Scholastici statim à nuncupatis votis admouentur, aptè iungendus videtur cum nuper dictis de votis scholasticorum. Et quando non tam agitatur Societas ex ijs quæ discit, quam ex ijs quæ docet, inter quæ primum, & maximè commune idemque illi valdè proprium est studium latinitatis atque humanioris literaturæ, idcirco de hoc ante alia differendum instituimus.

Et idipsum profectò est alterum ex illis, quæ Mariana seu liber Marianæ assignatus reprehendit ceu Reipublicæ iuxta, nobisque noxium. De Republicâ quidèm disputat, in hunc modum. Qui ex nostris literas humaniores tradunt, adolescentes plerumque sunt, imperiti, inexercitati, qui triennio huius functionis illiberaliter exhausto, cum aliquid eiusmodi artis tenere incipiunt, tum illam relinquunt. Ex quo fit discipulos in ætate illâ cereâ, credulâque, adeòque documentorum, quæcumque fuerint, ad omnem vitam tenacissimâ, multam contrahere barbariem, multamque loquendi, ac scribendi peruersitatem, rusticitatem, abusionem, eò deteriorem, quò minus postea lituræ facilem. Antequam hoc munus Societas capesseret, multi erant quos lucri & Cathedrarum amor aut spes reddebat infatigabiles in eo studio per omnem ætatem; quorum alij latinitatis candore, alij dicendi vbertate, alij eloquentiæ telis, alij poëticis leporibus insignes, easdem dotes ad puerilem ætatem transmittebant. Nunc verò eas artes nemo ad docendum colit, quoniam

cura

cura hæc vniuersa Societati addicta. Magno vtique Reipublicæ malo; quod si homines agnouerint, auctor belli omnatur, breui nos ex huius disciplinæ procuratione exturbatum iri. Nobis verò, inquit, quanti impendij est optimam ætatis partem in re adeò tenui conterere! At caritas suadet vt improuidam puerorum ætatem, & in vtrumque flexibilem, vtcumque tractandam accipiamus, quò simul doctrinæ, ac probitatis elementa teneris animis imprimamus. Quid tum? inquit: latius patet hæc ratio; an idcirco mechanicas etiam artes profitebimur, adeòque & sutoriam, & resarcinatoriam; vt hoc modo pueros etiam illos qui literas negligunt, probis moribus informemus? Inclyta quidem Cassinensis Familia quot olim habebat domos, totidem exhibebat humanioris literaturæ gymnasia: In præsentia nihil tale; Aliquid ergo ingentis incommodi experta est, quo non id curæ pretiũ esse intellexerit. Cur igitur illa onera nobis imponimus, quæ alij prudentiâ, & sanctimoniâ præstantes deposuere? Ad extremum non affirmatè curam hanc nobis exuendam concludit, sed potius auctor est, vt viri humanioribus literis excellentes in honore habeantur, ne si interiores tantum disciplinæ apud nos in pretio sint, ars illa quam omnium maximè communiter, & frequenter profitemur, negligatur ac iaceat, & quod huic proximum est indecorè nobis, inaniter discipulis vsurpetur. Sic isse.

In postrema parte, quisquis es qui mones, consentio, & scilicet Societas consentit. Hæc enim & vsque à principio magnopere honorauit in sodalibus suis politiorum literarum præstantiam, & post Marianæ obitum ritè sanciuit vt non tantum superiores disciplinæ, sed etiã humanior hæc literatura gradum faceret ad solemnem professionem quatuor votorum. Qua remuneratione nulla in Societate æstimabilior: Nam sine hac sodales semper à Societatis corpore exemptiles, adeòque anxij, & solliciti, atque eo loco sunt in Societate (vt Senecæ similitudine vtar) quo sunt *in Castris auxilia, & armaturæ leues, vt nimirum seruiant, non imperent*; nisi forte subdito quodam imperio, nec ad præcipuos Societatis magistratus assurgente. *de beata vita c. 8.*

Et sanè, vt de reliquis regionibus taceam, quicumque viderit

derit, quanti semper fuerint hic Romæ etiam apud nos Strada, & Gallutius superioribus quidem doctrinis affatim exculti, sed vno humaniorum literarum studio præclari, haud queretur eas literas apud nos ex contemptione iacere.

Quod verò idem auctor eiusmodi munus à nobis administratum & Reipublicæ, & nobis damnosum dicit, id porrò capitulatim excutere instituo.

CAPVT XIX.

Ex republica esse humaniorum literarum disciplinam nobis commendari probatur primùm consensione populorum, & fructu.

HAec etiam quæstio vno ictu profligabitur si rem ipsam exquirere contenti, nihil rationes expendamus. Interroga vniuersas ferè Christiani Orbis partes (Repetam enim exprimo capite generalem illam quam prætexui Societatis defensionem) non tam verbis, quàm factis tibi respondebunt, præceptores nostros in politiori literaturâ tradendâ reliquis antecellere. Nam ad nostros præceptores magnâ vbique frequentiâ confluunt, eosq; magnis impendijs emunt; quando plerique populorum ac Principum hâc maximè gratiâ, Collegia nobis inædificant, dotant, instruunt. In aliorum gymnasijs magna plerumque solitudo ante ostium. Quòd si horum aliqui eloquentiâ, atque eruditione nobiles in clarissimis Academijs magno stipendio retinentur, multam porrò celebritatem audientium habent, discipulorum exiguam. Plerique ad ipsos conueniunt, sicut solemus ad exoticarum mercium officinas, aut ad solemnes vrbium mercatus, circumspecturi potius, quàm contracturi.

Nobis vnis pueritia & adolescentia tractandam se præbet, atque edocendam. Faciunt, inquit, sed fallunturs. Insanientis ista vox est, non differentis. Quod enim populi, quod magistratus, quod Principes vnanimi consensione vt proficiens, post diutinam experientiam laudant, probant, amplexantur,

xantur, quorum tamen aliqui non sunt nostrum amantissimi, id bonum esse quicũq; neget, necesse est vt cum scepticorum hæresi pariter neget, vllum versari in hominum genere criterium, quo bona ac mala diiudicentur. Certè si tantis patrocinijs causa nostra defenditur, nescio quod nam aliud sit legitimum forum cuius damnationem timeamus: Semper enim licebit vetus illud; *ad populum prouoco*. Reducum emptorum frequentia summum est artificis encomium. Quis audeat pistorem, sutorem, sarcinatorem inertem dicere, ac prauum, cuius opera, & crebriùs, & cariùs, quàm cæterorum diuenduntur? Pulchrè martialis de Lucano.

Sunt aliqui, qui me dicunt non esse Poetam,
Sed qui me vendit Bibliopola, putat;

Tullius ipse nullum certius edixit boni oratoris discrimen, quam populi concursum, & plausum. Quis nostrum apellæas tabulas proprijs oculis diiudicare potuit? nullus, opinor; & tamen Apellem Deum picturæ, quod aiunt, indubiè credimus, quia vetustatis vniuersæ credimus opinioni.

Antiquissimè quidem Aegyptus magistra disciplinarum fuit; tum Græcia; deinceps Massilia, subinde verò Lutetia, Salmantica, Complutum. Cur putamus discipulorum frequentiam ita ex vna in aliam regionem commigrasse, nisi quia præceptorum excellentia eodem commigrauerat? Vt enim phrigiones qui subtiliter acupingunt, modò ad exortiuas, modò ad occiduas feneſtras accedunt, non temerè, non mutationem propter ipsam quærentes, sed quia modò illinc, modò hinc lux clarior immittitur; ità qui literis laborant, doctrinæ lumen, vbi se clarissimè prodit, confertim sequuntur.

Quod si non tantum ex consensione hominum, sed ex fructuum copiâ, ac præstantiâ colonos duxeris æstimandos, exputa quantum his centum annis, hoc est postquam Societas manum operi admouit, humaniora studia processerint in qualibet Europæ regione; quantò elegantior, ac succi plenior soluta oratio, quantò plus leporis, festiuitatis, granditatis, acuminis in carminibus emineat. Ex quo intelligitur quanti sit humaniorum literarum riuulos, quos deriuamus, ex eodem fonte manare vnde scatet philosophia; sine cuius

demum latice, tanquam sine sale fercula, omnia fatua, nihil conditum.

At enim paulò ante quàm Societatis professores huic operi incumberent, an non Pontani, Sannazarij, Fracastorij floruerunt, hoc est renascentis latinæ Poëseos præcipua decora; an non Bembus, Iouius in soluta oratione, qui heroici temporis elegantiam e situ, ac cinere suscitarunt? Magnum telum aduersùs me intentas: quando & isti quorum nominibus me vrges, per se ornatissimi sunt, & insuper antiquitatis veneratione aucti; ita vt locus hic respondenti lubricus sit, periculique, atque inuidiæ plenus. Verissimum quippe Ouidianum illud.

Laudamus veteres, sed nostris vtimur annis.

Plus opere audemus ætati nostræ tribuere, quàm linguâ: volutamus recentia, commendamus antiqua: commodè Martialis, *Laudant illa, sed ista legunt*. In quam prisca omnia præhabendi consuetudinem passim inuectos legimus illos ipsos, qui ex hac eâdem posthumum fauorem obtinent, vnde viuentes materiam duxerant querelarum.

Primùm verò, vt distinctè rem dispiciamus, agam de Poësi, in qua difficilior est nobis quæstio: tum porrò de soluta oratione. Sed enim vt qua arte petor, eâdem vtar in aggressores, placet inuidiam ex nobis in illos regerere. Adeòque aio, haud ità affirmatè negandum, postquam elegantioris literaturæ disciplinam Societas administrat, latinos Vates in Europa extitisse pares illis quos tu commemoras: saltem alios à nobis, nec à nostris excultos. Et ne videar amicitiæ plus quam veritati deferre, tres laudare libet sectâ, & religione à nobis dissidentes: Iacobum Buccananum, Vgonem Grotiũ, Danielem Hinsium, quorum singuli & linguæ candore & poeticis amænitatibus ita nitent, & identidem omni figurarum alacritate sic exardescunt, vt non minus aut celebritatis aut laudis quàm priores illi reportasse videantur: nisi quantum & qui iuniores iidem minores vt nominari sic haberi consueuerunt, & patriæ distantia ac religionis aduersitas eidem apud nos & notitiam minuit, & fauorem demit.

At horum excellentia Societati non debetur. Esto; eos quidem Societas non sibi vindicat; id tamen habeo, haud pro certo

Digitized by Google

certo assumendum parnassias latinorum laurus degenerasse, vt exprobras, postquam cultricem Societatem habuere. Cæterum non illum tantum ignem soli acceptum referimus; quem inde Prometheus deduxit solaribus radijs excitatum, sed alios etiam, alioſq; ignes ab illo deinceps propagatos: neque si Virgilius Græcis præceptoribus operam non dedit, nec Athenas vidit, illico efficies, eum quantuscumque est è Græcorum laboribus non extitisse.

Vis tamen alios collaudem, eosque nostrâ officinâ depromptos, & tamen nobis externos? Certè non ego Virginium Cæsarinum seperioribus illis posthabuerim latino carmine, quamuis ab illis vsque ad grandæuam ætatem compto, cum is miserâ perpetuâque inualetudine non vltra trigesimum annum progressus, nec sua satis meditari potuerit pariens, nec parta per otium expolire; Quâ etiam interuenientis importunitate mortis factum est, vt Cæsarini opera quippe typis non edita, sint pluribus inaspecta. Sed hoc fortunæ discrimen est, non doctrinæ; nec tantillo minor quam fuit Virgilius fuisset, si ad suprema eius mandata Poema Poeamatum diuinissimum conflagrasset.

Neque illaudatus abibit mihi Maffeus Barberinus, ingenium illud simul ad humanarum rerum tractationem, simul ad omnes literarum amænitates natum, cuius ille beneficio ac merito ingenij regalibus virtutibus comitati in Vrbanum Octauum Pontificem Maximum assurrexit. Porrò in eius lyra tum alia plura commendanda, tum illud maximè, quod Pindaricam non magis carminum, quàm rerum varietatem latino Parnasso, quin veriùs & laudabiliùs Carmelo primus adscripserit, & ne illud quidem per effrænatas, euagationes vt multi, sed *licentiæ sumptæ pudenter*. Quantæ autem laudis hoc fuerit, licet alia deessent in eius carmine, quæ certè non desunt, is demum intelliget, qui aut suo marte, aut ex Aristotelis aliorumque magnorum doctrinâ nouerit, quanti ingenij pretijque sit adinuenire vel rudia & ab alijs expolienda. Ni fabrum aurarium, aut gemmarium Soli præponas, quòd illi perpoliant, quæ hic rudia genuit ac scabra.

Neq; verò tam facilè infra omnes illos quos mihi ostentas, Antonium Querengum collocauerim, in quo nihil insincerum,

rum, nihil inflatum, nihil dissolutum, nihil imperspicuum, nihil incultum, nihil redundans, multa identidem lepida, festiua, magnifica: vno verbo non alio veriùs iure minor est illis quos tu recenses, quàm quod eorum non tam æmulator quam imitator. Hos ex nostrâ Italiâ mihi intimè notos & cultos, omniumque literatorum præconijs laudatissimos produxisse sufficiat inter externos latinos vates, qui nostra gymnasia coluere. At quando in eum locum adactus sum vt nostra laudare ad defensionem sit, non ad gloriam; aurium spero fastidium aberit, si cum Poetis illis clarissimis aliquos nostrorum comparare non verebor. Age, quid tibi videtur de Bernardino Stephonio, cui non modò aptè quadrat gloriatio illa Ouidiana:

Nunc habeam per te Romana Tragœdia nomen,

Sed alia excelsior, quod scilicet per ipsum Romana Tragœdia nomen atque honorem acceperit apud recentium theatra. Certè vt reliqua Stephonij opera, quorum plera. que non prodierunt, omittam, Crispus eo excepta est nationum omnium plausu, vt frequenter data, frequentius lecta, quamuis non prorsus inculpata, vt humanis omnibus contingit, semper tamen, & vbique voluptatem, atque admirationem sibi parauerit; ita vt nullum carmen illorum vatum quos mihi obiectas, æque in manibus sit atque in ore omnium.

Perge: Pulcharellum licèt animi gratiâ & ad leniendam ægrimoniam infirmæ valetudinis comitem cantitauerit, quâta omnium probatio sequuta est? Possem hic Tarquinium Gallutium elegiaco præsertim carmine nobilem, possem Vincentium Guinisium pellucidum, conditum, elaboratum, possem Alexandrum Donatum enumerare, cuius Constantinum nisi densior vmbra è Statianis Syluis in eum cadens inobscurasset, vtique Societas Epicum Poema ostentaret recentium latinorum nulli secundum. Sed ne Italus ipse Italicis nimiũ tribuere videar, producã è Germaniâ Baldẽ è Polonia Sarbieuiũ, è Gallia Iuninũ, qui Horatianâ lyrâ modulatissimè recẽtiũ omniũ cecinère. Nec ego Famianũ Stradã ex præcipuo vatum Choro inducendum reor quòd carmina sua iusto volumine non ediderit. Quales enim Musas coluerit,

rit, habes in Prolusionibus Academicis, vbi adeò fæliciter veterum Epicorum non tam stylum imitari, quam melos ipsum ac spiritum è sepulcro reuocare videtur, tantoque legentium plausu celebratur, vt ea viri grauissimi sanè complures, & reipublicæ magnis procurationibus impliciti memoriæ mandare non sint aspernati. Addam non dissimulanter quod sentio: nec iactantiæ criminationem pertimesco, quando quicumque me non ex næuo aliquo, & crepundijs, sed corpore omni cognoscunt, vt est in prouerbio, planè intelligunt neminem præ me longius abesse ab eorum dementiâ, quibus non nisi domestica probantur & præferuntur. Aliquem ego nunc video in hac Romanâ Academiâ bonarum artium doctorem, cuius carmina licet in aliqua fortasse dote vincantur à commemoratis illis ex præterito sæculo, tamen si omnium ratio subducatur, eum illis fortiter opposuerim. Antequam super hoc dicto condemner, iudicem deligi peto neutrius propensionis, hoc est cui anticipatum non sit noua priscis semper minora; quique præterea non id tantum quod memoriæ est, sed id quod ingenij in humanioribus literis habeat, hoc est innatæ semina philosophiæ, quæ vna artium omnium est præceptrix, & iudex. Sed hic de quo loquor, vt alicubi Tacitum tacito nomine laudans Quintilianus dixit, *olim nominabitur nunc intelligitur*. *lib. 10. cap. 1.*

Quid tamen si tibi darem nil æquale Sannazario, Pontano, Fracastorio auditum postea inter latini Permessi cycnos? Confestim ne conuiciisse credideris hanc institutionem in deterius abijsse apud nostros? Ergo Menippo Stratonicensi, aut Molonj Rhodio Tullium in Rhetoricâ posthabebis, quando Tullius quidem ex ipsis, nemo autem ex Tullij disciplinâ extitit Tullio par. *in Brut.*

Quæ ratio si quid cogit, vtique & Platonem Aristotele, & Albertum Diuo Thoma, & Petrum Perusinum Raphaele Vrbinate maiorem cogit. Vides quàm mendosa illa sit, quàm infirma, quàm præter communem existimationem te rapiat. Sed vitium eiusce rationis fugiens, & cœcum deprehendere placet, ac patefacere. Triplicem ferè habent magistri classem alumnorum in quibus non planè operam perdunt.

Prima eorum est qui mediocriter proficiunt.

Altera

Altera eorum qui citra admirationem excellunt.

Tertia illorum qui immortalitatem ac reuerentiam apud posteros consequuntur.

Porrò si primis, alterisque Respublica deficeret, inertis magisterij argumentum esset: cum enim Natura numquam effœta sit, & continenter noua ingenia tum mediocria tum præstantia morientibus sufficiat, vnius institutionis vitio vel communium vel insignium literatorum inopia contingeret: modo non ea inciderent tempora, quæ gladios, præ calamis tractare cogunt. Tunc enim vt Ennius cecinit à Tullio laudatus.

Pro Murena.

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.

At verò mirabiles illi, & præclarissimi alumni, quos in tertia classe constitui, non tam disciplinæ sunt quam fortunæ. In qua re præceptores dixerim similes illis qui terram tractant; hi enim fruges quidem procreant, argentum verò, atque aurum haud quaquam arte satum producunt, sed forte repertum educunt, nec tam excolunt, quàm expoliunt.

Primùm enim non omnis ætas ea fert ingenia, quæ quantumuis aptè erudita, valeant fastigium illud perfectionis conscendere. Præterea non semper aut Reipublicæ status, aut rei domesticæ angustia, aut adolescentium propensio, aut educatorum cura præclaris naturæ dotibus adiungi patitur præsidium artis: cum tamen altera sine altera non magis possit in sublime conniti, quàm vel Aquila sine geminis alis; quod sapienter Horatius, cæteriqui Magistri pronunciarunt. Quapropter & aliquando contingit vt inter cœcas ineruditi planè sæculi tenebras lumen aliquod literaturæ preclarissimum sponte sua exoriatur, quale fuit Franciscus Petrarca Italicæ Poeseos in summa illius ætatis rusticitate miraculum; & è contrario interdum in magnâ minutorum sydcrum copiâ illustrem noctem potius habet literaria Respublica quàm diem, quia sol nullus elucet. Ita propemodum accidit Romæ paulò post Augusti Cæsaris ætatem. Nunquam enim vberior Poetarum prouentus; inter quos tamen multi boni, nullus optimus. Quin etiam illud ipsum laudatissimum Augusti æuum reuera sterilescere potius, quàm fœcundari bonas literas heroicâ progenie vidit. Maro siquidem, ac Tullius

lius (vt Catullum, Saluſtium, & ſimiles tranſeam) natu grandiores Auguſto fuere; his verò Auguſti ſæculum admiratores imitatoreſque innumeros edidit, parem neminem. Quamuis ergo verum ſit Horatianum illud; doctrinâ vim inſitam promoueri; non tamen ſi aliqua ætas ſcriptoribus maximis orbata, confeſtim id magiſtrorum inertiæ imputandum, ſicut porrò imputanda foret mediocrium, aut etiam quadamtenus eminentium penuria. Et ſanè vſque adeò his affluit hoc ſæculum quo elegantiorum artium traditio noſtris impoſita, vt ſuper hac affluentiâ vel Auguſtæam ætatem in certamen prouocare non dubitem. Nullum videas oppidulum, in quo non multi latinè ſciant; Nullam vrbem adeò tenuem, cuius non aliqui ciues ſatis intelligant difficiliores veterum Poetarum & latinas muſas mediocriter perſequantur; Nullam Ciuitatem paulò nobiliorem, vbi multos numerare non poſſis qui grandiori tubâ canunt, cultioreſque lauros gerunt, quam aliqui eorum quos proximè lapſum ſæculum traſeuntes digito demonſtrabat. Et ne forte externos veteres inciuilius videar aſpernari, noſtros loquor. Bencius ille noſter Mureti Præceptoris gloria, Stradæ inſtitutor, Romanæ literaturæ olim decus ac deliciæ, quantulus nunc eſt cum carminibus illis ſuis, quæ hac ætate nemo mediocrium Poetarum ſibi adſcripta pateretur.

Quod ſi à me rationem exigere inſtes, cur hoc poſtremo ſæculo cæterà pererudito, latina Poeſis reſilire potius viſa ſit, quàm aſſurgere; meo quidem iure vtar ſi hoc Cœli ætatumque varietatibus adſcripſerim; ſed vt agam liberalius, rationem huius varietatis non probabilem modò, ſed apertiſſimam profero. Interim venia mihi ſit paulò altioris initij.

Percuntabar paucis ante annis à non nemine ex noſtris longæuo Setini Collegij incolâ, quid ſit, cur plaga illa nobilis olim ex vinorum præſtantiâ, nunc vltimæ notæ potiones gignat eaſq; defruto inſuaui pariter atq; inſalubri medicandas.

Reſpondit vir experrectus atque eruditus, cauſam rei eſſe, quod quidam colles Baccho peropportuni, vitibuſque olim conueſtiti, poſtea in Mineruæ patrimonium ceſſerint, oleaſque nunc alant. Hæc ille; quæ vera ne an falſa, non curo, quando ex philoſophorum pronunciato *in exemplis*

non requiritur veritas: vtique similitudo aptè cadit in rem nostram. Ita enim se res habuit: Post informem illam plurium sæculorum ignorantiam à musis & gratijs remotissimam, trecentis fermè ab hinc annis Franciscus Petrarca latinam linguam e situ & squallore ad elegantiam reuocare cepit non prosâ tantum oratione; sed versâ; eoque merito Apollinarem coronam in Capitolio reportauit. Et quoniam recentium exempla magnum calcar habent ad pulchra tum appetenda tum aggredienda, e vestigio quicumque lepidioribus literis amicum ingenium sortiti erant, in eiusdem præclarissimæ linguæ cultionem vnicè incubuerè. Quo factum est, vt exinde per sexqui sæculum Itali latinæ scriptioni seria consignantes, ludicra fermè vel amatoria dumtaxat vernaculæ linguæ tribuerint. Quæ fuit causa, cur Petrus Cardinalis Bembus de vtroque sermone immortaliter meritus, scripserit nobilem illum de vulgari lingua dialogum, quò Italis hominibus italicè scribendum persuaderet: Fâ super deliberatione diu hæsitatum ab Italis; quos hinc latinæ linguæ celebritas & gloria, inde patrij sermonis caritas, & consuetudo commouebat. Quapropter (quòd alio opusculo à me obseruatum) anno præteriti sæculi vigesimo nono cum Carolus Quintus Cæsar Bononiam petijsset à Clemente Septimo Summo Pontifice solemni ritu augustam coronam accepturus, inter ingentem illam Christiani populi celebritatem in vrbe literatissimâ, plures in vtramque partem declamationes habitæ sunt super vernaculi sermonis adlectione, vel repudiatione à scribentibus extra quisquilias & iocos. En tibi, cur sub initium ipsius quod memorabam præteriti sæculi vates sanè complures, quorum plerique è Laurentij Medicei familiaritate tanquam ex equo Troiano prodierunt, vel toti, vel maiore ingenij sui parte latinam Poesim fouerint, italicâ vix in amatorijs, ijsque pauculis pertentatâ. Deinceps vero, quæ solet esse humanarum rerum vicissitudo, ea fermè opinio inuasit Italos, quæ olim Romanos. Vt enim hi Græcis carminibus elaborandis abstinuere, quasi (quod se à Romulo monitum Horatius canit) non insaniùs acturus esset qui ligna ferret in syluam, quàm qui magnas Græcorum cateruas implere studuisset; sic Italorum præcipui honestius sibi duxerunt

Lib. 1. sat. 10.

runt in Italicâ Poesi primas quærere, quàm latino-rum turbę aggregatos in postremis subsistere. Quid ergo miremur si ex illa ætate apud Italos Poesim latinam quodammodo defloreſcentem aſpeximus, quando ea Italica ingenia quæ ſecundiorem Apollinem habuere, prorſus in Ethruſcam connixa ſunt? (Italica, inquam, nam in alijs Europæ regionibus vbique latinas muſas ornatiores circumſpicimus, quàm ante Societatem ibi receptam, & adoleſcentium inſtitutioni deſignatam) Qualia vero ingenia! Ea tantum libet enumerare, quæ mihi liquet in noſtris gymnaſijs erudita. Neapolis admirabile ſuppeditat alumnorũ par: in quibus plus naturæ artiſq; fœdus cõncere, quã fabularũ audacia in veteri Syrena confingere potuit. Horũ, vt ætate, ſic laude primus Torquatus Taſſus, qui humanorẽ literaturã diuino ingenio per Societatẽ coniugauit, an nõ ſolus nulliuſq; auctarij indigus fœlicẽ alumnorum prole Societatis inſtitutionem in bonis literis affatim cõprobare valeat? Ipſe enim dubiam faciens in Heroico carmine Homero ac Virgilio palmam, & paſtoritias fabulas plaudente mundi theatro primus dedit in ſcœnam, & naturæ ac diuinitatis arcana non minus eleganter quàm doctè complexus eſt, tum ſolutâ oratione in diſſertationibus illis quibus diu nihil habuit æquale italicus ſermo, tum vinctâ in Poemate de mundi procreatione. Secundus accedit Ioannes Baptiſta Marinus qui diſciplinas tum hilariores tum grauiores à Societate hauſit. Huius ego Muſam vt licentiorem præſertim in damnato Adonidis poemate ſane deteſtor, ſed eamdem ingenij, vbertatis, leporis laude ſingulari fraudare quis poteſt? Quando omnium primus italicam cytharam ad eos dies paulò triſtioribus, atque aridioribus modis reſonantem mirificè emolliuit atque hilarauit, adeò vt ſuperiorum Lyriſtarum carmina, quæ antea omnium vocibus terebantur, ferè poſt ipſum conticuerint. Non implet ille quidem, vt ingenuè fatear, aures meas. In numero laſciuire mihi potius videtur quam incedere; tum verò canoris nugis auditum fallere, non ſucco ſententiarum, atque argutiarum animos paſcere. Quas enim argutias promit, adulterinas ac tanquam ſuppoſititias promit, haud ingenuas, ac veras, & reſpectantis oculi acumen non formidantes. Vno verbo, carebat philo-

sophico ingenio, quod in Poeta vehementer exigit Aristoteles. Quid tamen? licet singula Marini carmina seorsim non alijs lectoribus suspicienda putem, quàm qui suspiciendi non sint; copia tamen illa vniuersa plena iucunditatis & gratiarum, quæ pandit tam multa, tam lautè, tam explicatè, tam varie; leuor ille rythmi tam affabrè tornatus, vt ne ad Geometrarum quidem definitiones asperum quippiam vocare possis ac salebrosum, enimuerò à summis etiam ingenijs admirationem vindicant.

Ex Romano Collegio producam duos, & quidèm egregios Ethruscæ lyræ fidicines. Gabrielem Chiabreram & Andream Saluadorium. In alterum bellè quadrat Tullianum illud Crassi elogium, *quodque difficile est, idem perornatus & perbreuis*: Per quem ex Hippocrene ad Arnum transuectas pristinas opes diu in Græcia relictas Musæ primum receperunt; Quique in figuris adeò varietate versicolor, impetu ardens, granditate insurgens, nouitate mirabilis, vt quamtis eius opera mihi familiarissima sint, quoties ea relego, toties quasi nouus hospes admiratione perfundar: In cuius Odarum non etiam tum editarum volumen cum Torquatus Tassus apud hospitem mox pransurus incidisset, non ante ad mensam adduci potuit, quàm omnes (& erant fermè quatuordecim) perlegisset, & collaudasset: De quo illud à Virgilio Cæsarino dictum audiui, hoc sibi discerniculum præstantis ingenij esse, si cui Chiabrera valde placuerit. Cuius se discipulos profiteri gloriabantur fastigia illa & decora ætatis nostræ, Cæsarinus quem modò laudaui, Ciampolus, Testius. Quem denique Vrbanus Octauus, sagax credo Poetarum æstimator ac iudex, principem Ethruscorum lyricorum appellare non dubitauit.

in Brut.

Alter verò nimirum Saluadorius inter primos Ethruscorũ fuit qui sacras musas agliore plectro celebrauerit, dictionem vsurpans simul à prosa non solis numeris dissidentem, (in quo multi peccarunt) simul apertam, lepidam, canoram, & sine nimiæ curæ fastidio limatam, bellèque similiter desinentium versiculorum consensione sic emodulatam, vt postrema carminum verba nec quæsita sint, nec vulgaria, aut gregarij soni rythmo auribus blandientia.

Addat

Digitized by Google

Addat Cæsarinum Parma. Hic sanè quanquam in flore iuuentæ surreptus, quanquam morbis perpetuis obsessus, aulicis officijs implicitus, grauioribus disciplinis latinæque linguæ cultura sine fine distractus, Italicas tamen scripsit Odas, in quibus profecto.

Quid retium, quid turpe, quid vtile, quid non,
Plenius, ac melius Chrysippo, & Crantore dicit,

Vigent enim summo pondere sententiarum; et non earum quidèm ex consueto sæculi more, in quibus gregarium est quod tegitur; sola vestis egregia, & anthitetis picturata. Splendent locutione simul apertâ simul magnificâ, interdum nouâ, sæpè à latinis detorta, nunquam ab Italis mutuata: Figurarum celsitate, ac neruis, generosa tanquam cretica, iucundè lacessunt animos, atque incendunt. In postremis autem carminum sonis, hoc est in impeditiore italici versus pede tam securè auctor subsilit, ac superbit, vt non modò nihil rythmi gratiâ accersitum deprehendas, sed selectas de industriâ voces, quibus pauculæ rarique vsus omiophonæ, dexterrimi funambuli ritu qui super digitali solo gradarius non tantum incedat; sed pensile corpus modulatè securus vibret. Fateor, quippe qui non tanquam orator laudo, sed tanquam existimator, huius cycni quanquam semper moribundi voces non semper æquè modulatas fuisse; sed raucitas illa quæ perpetuo fauces tenuit, quandoque manasse videtur ad carmen. At hoc & rarum in ipso & cum summis poetis commune, adeoque non erubescendum. Huic supparem & peramicum dabit Ferraria Fuluium Testium qui nuper extinctus in Ethruscis fidibus pne cunctis regnat. Ipse enim fauorem illum Italicæ iuuentutis, & famæ clamores Marino plaudentis oppressit, illoque vti castigatior, ita splendidior ac pictior: idem verò planior ac modulatior, quàm Chiabrera, eòque licet Poeta minor, versificator tamen melior, tum porrò cunctis latinorum narthecijs inodoratus seueros simul atque hilares sibi conciliauit. Nec tamen iustis honoribus fraudauerim Portam illum præceptorem egregium, ex cuius Bononiensi conuictu amplos literarum reditus collegit Italia. Quanquam enim Testius à Societate ad humanitatem informatus, & philosophia, hoc

est

est hacte ad Poesim enutriendam præualido imbutus, vltimas tamen eloquentiæ lineas ex Portæ documentis edidicit, Interim id habeo, nostram institutionem adolescẽtibus haud nocere, quando eius nec Testium, nec Portam in Testio pœnitebat.

Non hic ego præteribo Guidonem Vbaldum ex Bonarellâ gente in Piceno clarâ, & scœnis Italicis nobilitandis natâ, cuius adolescentia non vnam aut alteram, sed tres omnino ex Academijs nostris nobilitauit, ex quibus nescio, vtrũ plus scientiæ, an in nos beneuolentiæ perceperit. Ita enim nos deamauit quoad vixit, quantum non parentem filius, cuius instar habet erga præceptorem discipulus, sed parẽs filium amare consueuit. Is Pastoritia secutus tantam habet cum splendore dulcedinem, tantumque amabili quodam luctu animos pro arbitratu iucundè contristat, in argutijs tam festiuus, in sententijs tam vibrans, in expingendis animi affectibus præsertim lenioribus tam acer ac viuidus, vt postquã scœna diu elinguis reloqui cœpit in Europâ, vix vnam aut alteram fabulam adinuenias, cui pastorale Bonarelli dramma vel plausu concedat, vel merito.

Nec me pœniteat his accensere Hieronymum Pretum, quo nemo inter recentes paruo libello plus placuit, quique, nisi Poetarum natio à Marini stylo defecisset, immortalis foret.

Sed alios obruit apud me recordatio Ioannis Ciampoli, quem tamen non omni ex parte nobis vindico, quando Ioannem Baptistam Strotium præcipuum habuit institutorem ac pœnè parentem. Sed tum cum Strotius Ciampoli adhuc pueri ingenio captus eum adoptauit in suum, nostrum inuenit, & à nobis ad illam diem elaboratum. Certè tantus ille fuit, vt, quotacumque eius portio ad nos pertineat, ample locupletemur. Etenim de Ciampoli Musa non aliud occurrit aptius elogium quàm Propertianum illud de Virgilio.

Cedite Romani scriptores cedite Graij.

aut illud Valerij de Platone: *Si Iuppiter è Cœlo descendisset haud beatiorẽ facundia vsurus videretur.* lib. 7.

Non ego hic labeculis nescio quibus Ciampoli stylum inspersum diffiteor; sed ne ille quidem luminis regnator ac

pater

pater idemque in fabulis poetarum Deus, omnino à maculis purus. Quasi non tanti sit intaminatum splendere, quàm maculas ipsas affluentiâ lucis exornare. Et quid eum id celsi ingeni est si Senecam audimus: *Cuiuscumque*, inquit, *orationem videris sollicitam, & politam, scito, illum quoque non minùs esse pusillis occupatum. Magnus ille remissius loquitur & securius: quacumque dicit, plus habent fiduciæ quàm curæ.* Et paulò inferius: *non est ornamentum virile concinnitas.* Epist. 115. Vtcumque sit, adeò nœui quidam ac neglectus quos in Ciampolo identidem deprehendas, diuinitate illâ tum structuræ, tum sententiarum, tum eloquij inobscurantur ac vanescunt, vt frigescente iam post cineres inuidentia, tantò quisque ingentem illam lucem suspiciat magis, quantò per validiorem aciem acutius inspicit.

An non credis si eiusmodi vates Tyberim Arno prætulissent, latinæ poëseos laude longe præuersuros Pontanum, Sannazarium, Fracastorium, quibus præteriti sæculi exordia gloriantur?

Hæc de Poesi, quæ vti plus habet voluptatis, quàm emolumenti, ita remissiùs monit studia Societatis ad veram Reipublicæ vtilitatem semper intentæ: quæque interdum, cantillare cum Musis gaudet, non vt otium oblectet suum, sed vt castè sanctèque canere musas doceat: quæ olim causa Nazianzenum illum *Theologi* cognomento inter Patres nobilitatum permouit ad carmina.

Iam de solutâ oratione: quis non videat quantos illa processus habuerit Societate magistrâ? At Iouium, Muretum, Manutios non habemus.

Equidèm ægrè inducor vt viros de literaria Republicâ præclarè meritos eleuare videar. Et Iouium sanè famâ suâ maiorem existimo, vt pote qui tam multa, tam distinctè, tam explicatè, tam opportunè denarrauit. Sanior tamen est quàm conditior, aut lautior; oratione quidem nitidus, sed nihil sententijs radiatus.

In alijs verò nuper commemoratis quid egregium admiremur nisi latinè, proprièque scripsisse? cæterà plerumque tepidi, graciles, lenti. Non ego hîc Muretum ex albo laudabilium Oratorum expunxerim, atque ad Grammaticorum classem

classem abiecerim. Nam & supra Manutios multum assurgit, neque mundus tantum est, sed ornatus & dissertus. Verumtamen sermonis munditiâ excellit, orationis pompâ non excellit. Quapropter id cum illis alijs quos nominaui commune habet, vt hos omnes vna latinitatis elegantia insigniter decoret. De qua tamen latinitatis præstantiâ sic tandem

in Brute. pronunciauit Tullius: *Ipsum latinè loqui esse illud quidem in magna laude ponendum, sed non tam suâ sponte, quàm quod est à pleriſque neglectum: non enim tam præclarum est scire latinè, quàm turpe nescire, neque tam mihi id oratoris boni, quam ciuis Romani proprium videtur.* Quis in eorum scriptis eximius figurarum color, quæ maiestas eloquij, quod sententiarum acumen, qui sales, quæ nouitas translationum, vno verbo quæ fulgura ingenij? At Ciceronianam dictionem seruant. Verba Ciceronis habent, præcipua Ciceronis decora non habent. Et quidèm Cicero ipse loco laudato satis duxit in Antonio illo, quem vt exemplar oratoris extollit, quod *non admodum inquinatè locutus sit*. De quo Antonio sic addit: *nihil non ad artem dirigebat: verum multò magis hoc idem in sententiarum ornamentis & conformationibus, quo genere quia præstat omnibus Demosthenes, idcirco à doctis Oratorum est principes iudicatus: Schemata enim quæ vocant Græci, ea maximè ornant Orationem, eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quàm in illuminandis sententijs.*

Neque secus de Historiâ censendum est, quæ magistra vitæ cum sit, non tam verborum candore, quàm scitâ rerum electione, aptâ earumdem dispositione, documentisque opportunè intermicantibus & placet & prodest. Quò fit, vt inter Italos quidem multò præhabeantur Guicciardinus, Catharinus, Bentiuolus, Villanis illis qui leges ethruscè loquendi sunt, sed passim exangues, attriti, enerues; vtque inter latinos Cæsari quamuis omnium non candidissimo tantum, sed elegantissimo, longè præripiat palmam non modò Liuius cum patauinitate illâ suâ, & Curtius secundæ notæ scriptor in linguâ, sed etiam Tacitus. Verùm parciùs hæc de hoc loco, quem alibi vrgendum sepono. Interim vt constet quales profectus latinæ orationis contigerint dum in sinu Societatis educta est, longum ego sensum explicare possem

præno-

prænobilium ſcriptorum quos vbique gentium noſtra diſciplina perfecit. Veruntamen ſufficiat inter externos vnum pro omnibus producere Iuſtum Lipſiũ qui & humanioribus literis, & philoſophiâ imbutus à noſtris, totus noſter vt diſciplinâ ſic propenſione & familiaritate fuit. Hic enim per viuidum illum dicendi ſpiritum è philoſophiæ venis depromptum, perque immenſam rerum eruditionem, cum elegantiâ non quidem ſeruili ac timidâ, ſed liberaliore ac ſecuriore coniunctam, vicit apud famam omnes ante ſe proſam orationem profeſſos poſt redonatam nitore latinitatem.

Sed nihil attinet externa ſectari in magnâ domeſticorum copiâ. Vis è noſtris grammaticos, vt ab humilioribus ſed perutilibus incipiam? Præſto erit Aluarus facilè omnium optimus, & eruditiſſimus ad ætatem ſuam. Poſt quem etſi alij atque in primis Scioppius, ac Voſſius plura de hac arte ſubtiliter diſputauerint, ea tamen ad ſciendum quàm ad docendum opportuniora: ita vt quiſquis ingenuè riteque iudicat, Aluari Grammaticam ad inſtruendam iuuentutem omnibus anteponat. Deſideras Oratores candidos, rotundos, torrentes, excelſos? Poſſum nominare Perpinianum, Stephonium, Gallutium? Expetis aliquid pictius, preſsius, argutius, alacrius? Proluſiones habes Famiani Stradæ, quibus in eo genere nihil magis literatis (vel quod non leuius teſtimonium) bibliopolis concelebratum. Requiris eruditos, & criticos? Inuenies Cerdam, Raderum, Scribanium, Bulingerum, Delrium: de quo poſtremo ſibi familiariter vſurpato illud dictitabat, quem modo appellaui, Iuſtus Lipſius, neſcire ſe vlline ſcriptores eſſent quos Delrius attentâ lectione non colluſtraſſet. Exigis georgicum aliquid, atque vrbanè ruſticum? Dedit Floram, dedit Heſperides Ferrarius, quibus nihil feſtiuius, nihil argutius, nihil in ſermonis proprietate, atque efficacitate limatius: quocirca nulla fuit regio tam inodora, quæ flores illos olfactare contempſerit, nulla tam delicata quæ pomorum illorum acidulum ſaporem cum voluptate non deguſtauerit. Poſcis hiſtoricos? En Maffeium qui primus omnium noſtra, & quidem ſacra proferre linguam latinam edocuit. Hoc enim diſtat inter Maffeium, & veteres illos quos nominabam, vt illi locutiones ex Ciceronis

penu mutuentur; hic verò tales effingat de suo quales Cicero effinxisset si quæ Maffeio dicta sunt, eadem dicere debuisset. Sed quamuis in historiâ multos nec pœnitendos habuerimus, & scilicet latinitatis candore perinsignes, vnus pro cunctis mihi sit quem paulò ante nominaui, Famianus Strada. Eius enim Belgica historia adeò cunctas nationes habuit fauentes, vt ab ipsis Hispani & Catholici nominis hostibus sit & laudibus decorata, & patrijs linguis adscripta, & iteratis editionibus recusa. Scilicet tredecim fermè annorum spatio nouies latinè impressa, bis italicè, ter belgicè, semel gallicè, semelque britannicè, quarum editionum tres apud ipsos Batauos: atque inter hos Daniel Hinsius, alijque literatorum primores eam quâ liberâ oratione, quâ carminibus exornarunt. Qui sanè literatæ nationis fauor singularis concinit elogio, quo eamdẽ Historiã nuper tũc euulgatã dignatus est Ioannes Ciampolus ingenium illud insaturabile, & alienorum æstimator haud quaquam liberalior. Mihi enim cui omnia credebat animi arcana non adhuc Societatem ingresso, cum nescio quid aperiret quod in eâ historiâ desiderabat, ita subiunxit. Nihilominus post latini sermonis interitum liber nullus eiusce sermonis æquè mihi probatur.

Latinis verò scriptoribus Italicos nonnullos attexam, cuius idiomatis elegantiam licet Societas non profiteatur, quoniam in eâ linguâ plerique eorum qui castigatissimi habentur, ijdem in sententia minimè casti sunt; tamen ritè scribendi præcepta quæ potissima, eadem per omnem sermonem peruagantur, vt inferius edisseram. Prætereo, quem sæpius laudaui Ciampolum, quippe qui non totus ex nostro eductus est. Prætereo Guidonem Cardinalem Bentiuolum, quo in Italicâ historiâ nemo cultior; & qui vbique perornatus, nusquam putidus, & quod olim de Messalâ Quintilianus enunciauit: *quodammodo præferens in dicendo nobilitatem suam*, Prætereo, inquam, licet is mihi quem à teneris annis humanissimè dilexit, sæpè narrauerit, se à Maffeio formatum; quippe illi eam studiorum, quàm conclauium vicinitate coniunctiorem, quando Clementis Octaui Pontificis alter intimus cubicularius, alter historicus in Vaticano proximas ædes sortiti fuerant. Prætereo pariter quos memoraui Tassum, Marinum,

lib. 10. cap. 1.

Digitized by Google

Marinum, Bonarellum soluta etiam in oratione præclaros. Duos tantum profero qui toti sunt ex ære nostro: Augustinum Mascardum, Ioannem Baptistam Rinuccinum. Quorum ille inter nos diu vixit, & egressus duos fratris filios egregiæ indolis nobis dedit: hic nobiscum in Romano Seminario conuixit: & vtriusque præceptores Famianus, ac Tarquinius ad postremos hosce dies superfuere. Mascardus porrò & in stylo, quē vocāt, Isocratæo, orationis beatitate quadā atq; opulentiā cūctos prætergressus, & didascalicū deinceps in Arte Historicā secutus dici potest eruditorum eloquentissimus, eloquentium eruditissimus. Nusquam immodulatus, nusquam fractus, nusquam tristis, nusquam impexus, nusquam inops, ita vt sermonis italici priores quidem tanquam fila contexisse, ille verò eumdem sermonem phrygio opere illustrasse videatur. Alter hoc est Rinuccinus eas composuit de Christiani Episcopi officijs dissertationes quinquaginta vt in rebus summè ieiunis ac demissis tam lautus sit ac sublimis, quantum fieri posse non rebar antequam factum aspicerem; Opus sanè Ambrosio aut Augustino dignum, nisi Antistites Ambrosij atque Augustini imitatores Christus per omnem ætatem sufficere amaret Ecclesiæ suæ.

Denique hoc argumento breuissimo tanquam minori pugione iugulum quæstionis peto. Non vbique locorum amæniores literæ nobis concreditæ. Nihil in Angliâ, nihil apud Batauos, nihil in pluribus transalpinis Catholicæ Europæ regionibus à nobis administratur. Quin etiam in Italiâ multæ sunt ac præstantissimæ Vrbes & Dynastiæ inclytis gymnasijs nobiles vbi nullus nobis locus. An ibi fœlciores forte quā apud nostros latinæ literæ, an vberior alumnorum seges?

Video me in lubrico versari: sufficit indicasse ad vindicationem, non ad æmulationem, vel ad iactantiam.

Libet iam caput absoluere breuiter collectis ijs quæ supra fusius exposita.

Scilicet magistrorum operam ex mediocriū aut quadamtenus præstabilium alumnorum copiâ æstimandam, non ex summis, atque admirandis, vt potè qui plerumque Phœnicis ritu non alio nascuntur parente atque educatore, quàm Cœlo; Primam porrò atque alteram classem infinitè au-

Digitized by Google

stam sub disciplinâ Societatis: Neque tamen præstantissimos etiam deesse tum apud externos tum apud nostros ex quo Societati hoc munus impositum. Rariores hos quidem in latinâ poësi; Quoniam externi, siqui musis indulgentes, cæperunt ex eo tempore vernaculas præ latinis excolere: Cæterum ex Academijs nostris in Italiâ vates complures exortos numerari qui cum summis veterum latinorum græcorumque laudis certamen non reformidant. Nostros autem paulò neglectius atque infrequentius studium poeticæ & carminum gloriam fouisse, vt poeè minoris frugis ad Reipublicæ fœlicitatem cui laboramus: In solutâ verò dictione, plurimùm præ antiquioribus processisse tum externos nostris in Scholis eruditos, tum verò nostros: & quidem in quocumque scriptionis genere: præsertim si dotes illas expendamus quæ rationis sunt, non memoriæ, hoc est quæ non ab arbitrariâ linguarum institutione, sed à naturâ ipsâ pretium nanciscuntur. His dotibus mirificè nitere non in latino tantum, sed etiam in vernaculo idiomate scriptores præclarissimos, qui quanticumq; sunt ex nostro lacte sunt enutriti. Deniq; si Academiæ, si Vrbes, si Dynastiæ nostro magisterio commissæ cum ijs conferantur quæ alios doctores habent, nihil nostræ cultioni comparatione messis erubescendum.

Quid re ipsâ eueniat vidimus; Iam cur ita euenire debeat inquiramus: frustra enim euincere aliquid rationibus conatus essem, prætermisso quod in promptu est experientiæ testimonio; perinde ac si patronus omissis, quæ extant, tabulis; paciscentium voluntatem coniecturis in iudicio venaretur.

CA

CAPVT XX.

Occurritur rationibus obiectis capite 18. contra humaniorum disciplinarum traditionem à Societate susceptam quasi literis incommodam, adiecto breui censu, atque elogiolo insignium scriptorum, quos latina, vel Italica lingua, Societati debet: & exquiritur, Vtri magistri vtiliores, priuati ne an publici.

PRæcipuum argumentum quod opponebatur, & quidem specie prævalidum erat huiusmodi: Qui latinam linguam è Societate docent, iuuenes imberbes plerique sunt, magis doctore indigentes, quàm docendo pares: Cum tamen antequam in Scholarum possessionem Societas ingrederetur, hæ facultates traderentur ab hominibus qui veterum chartis non palluissent modò sed canuissent.

Vt hæc ratio diluatur præmitto duas esse huiusmodi Scholarum classes in Societate. In alteris grammaticæ rudimenta pueris explicantur: Et hæ quidem partim apud Sacerdotes, partim apud scholasticos sunt, peractis tamen Rhetoricæ, ac philosophiæ studijs.

In alteris Oratoriam, Poëticam, omnes demum eloquentiæ partes profitemur: Et his præsident, in præcipuis quidem Academijs, Sacerdotes ingenio, facultate, atque eruditione præcipui; in minoribus autem Collegijs, pro vrbium conditione atque auditorum frequentiâ, vel prouectæ ætatis Sacerdotes, vel iuuenes quidem, sed ingenio præcellenti & ad Musas facto, quos in spem laudandorum rhetorum educamus.

Cum hæc ita sint, aio amplius sperandum de bonis literis sub hac nostrâ disciplinâ, quàm si alij præceptores conducantur. Id verò primùm demonstro in hoc capite de Scholis illis inferioribus grammaticæ, dein porrò consequentibus capitibus agam de superioribus eloquentiæ. Neque tamen contendo, neminem externorum nostris aptiorem: Sed humani

Digitized by Google

ni consilij ac legis frequentior non perpetua vtilitas regula est.

In vniuersâ verò eiusmodi tractatione consilium mihi est producere subinde scriptorem in eloquentiæ præceptis iusta atque in adolescentiæ institutione incomparabilem Fabium Quintilianum; cui in Vrbe Mundi Reginâ publicum iuuentutis gymnasium, & à fisco eximium stipendium est attributum; cuius disciplinæ Domitianus Augustus Sororis suæ nepotes commisit; quo præceptore Plinius iunior gloriatur; quem non Martialis tantùm, sed Satyricus ipse carminibus mirificè condecorauit; cuius oratorias Institutiones post quietem impetratam studijs suis, quæ per viginti annos erudiendis iuuenibus impenderat, non tamquam Rhetoris cuiuspiam placita, sed tamquam ipsius Rhetoricæ Artis edicta posteritas venerata est. Huius ergo effata identidem interserere instituam. Cum enim ei tamquam testi certissimo fides, & tamquam existimatori peritissimo auctoritas magna deheatur, non minus tamen tanquam philosopho assensus impenditur: nunquam enim inermem quasi enunciationem suam rationibusque nudam profert, neque patitur se debere lectoribus, quod persuaserit. In quo potissimum scriptore obseruare licet, eos demum pulcherrimos esse colores Rhetoricæ, qui floreant è sanguine philosophiæ.

Age igitur. Quatuor omninò partibus Magistrorum absoluta perfectio constat, diligentiâ, doctrinâ erudiendi peritiâ, moribus.

Et quidem diligentia ab vtro sedulior expectanda, à conductitio ne, qui modò non supinè oscitetur ac negligat, & electores officijs sibi deuinciat, nihil timet si omissior, nihil sperat si accuratior; præsertim cum sæpè diligentioribus desint non coronæ tantum, sed etiam iudices; an ab eo qui vnius Dei ergo se ad eius muneris humilitatem abiecerit, intelligens nullum industriæ gradum pereani remuneratione carituram, prætermissiunculam nullam esse cuius vitio aut aliqua in nos diuina indignatio non inardescat, aut vehementioris beneuolentiæ feruor non retundatur? Nimirum eò tandem recidit comparatio illa quam Christus adhibet inter mercenarium & pastorem in procuratione gregis.

Præ-

Digitized by Google

Præterea etiam ad humanæ rationis mensuram vtrum diligentiorem fore censebimus, eumne qui planè sui iuris est, & secarus obiurgationis potest interdum impunè oscitari, an qui oscitantiæ suæ imminentem moderatoris castigationem præuidet?

Ad hæc, vter liberalius poterit curam suam singulorum ingenijs impendere, isne qui tempora sua in omnes discipulorum classes partiatur, vt fieri solet in externorum gymnasijs, an is qui certam contractioremque procurat discipulorum manum, vt nostri consueuerunt? Porrò, licèt eadem congregatio hominum plura ministeria opportunè complectatur, vt supra disputatum est; licet insuper idem homo varijs temporibus non incommodè plura gerat, tamen si res aptè administranda est, nihil proficientius quàm vt vnus vno tempore non amplius quàm vnum curet.

Sentio quid hic obijci possit: hoc argumento priuatos magistros publicis doctoribus anteponi; quo nomine aliqui pecuniâ florentes non tam nostros, quàm vniuersè publicos literarum ludos aspernantur, domestici præceptoris assiduitatem præhabentes: Sed in hac lite is, quem supra laudaui, Quintilianus, omnem mihi dicendæ causæ laborem parcit. Cum enim de hac quæstione ita sentiat: *lumen illud conuentus honestissimi tenebris ac solitudini præstulissem:* Dictum suum multiplici ratione confirmat. *Nam*, inquit, *optimus quisque præceptor frequentia gaudet, ac maiore se theatro dignum putat: at verò minores ex conscientia suæ infirmitatis hærere singulis & officio fungi quodammodo pædagogorum non indignantur. Sed præstet alicui vel gratia, vel amicitia, vel pecunia vt doctissimum atque incomparabilem magistrum domi habeat, num tamen ille totum in vno diem consumpturus est? aut potest esse vllæ tam perpetuæ discentis intentio, quæ non vt visus oculorum, obtuitu perpetuo fatigetur? Cum præsertim multò plus secreti temporis studia desiderent. Neque enim ediscenti, scribenti, & cogitanti præceptor assistit, quorum aliquid agentibus cuiuscumq; interuentus impedimento est. Lectio quoque non omnis nec semper præeunte vel interpretante eget.* Ex quibus conficit. *Ergo modicum tempus est quo in totum diem velut opus ordinetur: ideòque per plures ire possunt etiam quæ singulis tradenda sunt.* Addit

quòd

quòd in discipulos eiusdem classis tantummodo valet, *Non vox illa præceptoris vt cœna minùs pluribus sufficit, sed vt sol vniuersis idem lucis caloriſque largitur. Grammaticus de ratione loquendi ſi diſſerat, quæſtiones explicet, hiſtorias exponat, poëmata enarret: tot illa diſcent, quot audient. At enim emendationi prælectionique numerus obſtat. Sit incommodum (nam quid ferè vndiquè placet?) mox illud comparabimus commodis.* Commoda verò quæ ſubiungit hæc fermè ſunt. *Aſſuefcat iam à tenero non reformidare homines, neque illa ſolitaria & velut vmbratili vita palleſcere. Excitanda mens & attollenda ſemper eſt, quæ in eiuſmodi ſecretis aut langueſcit, & quemdam velut in opaco ſitum ducit, aut contra tumeſcit inani perſuaſione. Neceſſe eſt enim ſibi nimium tribuat, qui ſe nemini comparat. Deinde cum proferenda ſunt ſtudia, caligat in ſole, & omnia noua offendit, qui ſolus didicerit quod inter multos faciendum eſt.* Subdit. *Domi ea ſola diſcere poteſt, quæ ipſi præcipiuntur: in ſchola etiam quæ alijs. Audiet multa corrigi: proderit alicuius obiurgata deſidia: proderit laudata induſtria: excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum ſuperare maiores. Accendunt omnia hæc animos, & licèt ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſa virtutum eſt.* Denique, vt optimè idem obſeruat; *Eſt quædam tacita dedignatio, vim dicendi tantis comparatam laboribus ad vnum demittere auditorem.* Adeòque concludit: *Non eſſet in rebus humanis eloquentia ſi tantum cum ſingulis loqueremur.* Ita Quintilianus & ſentit, & probat. Quapropter non poſſum non miſerari quorundam magnatum ex ipsâ ſublimitate profluës infortunium; indignati enim communem cum priuatis inſtitutionem ac palæſtram, perinde faciunt, ac ſi excluſo ſole tanquam vulgari lumine, proprio tantum peculiariq; funali ad aſpiciendum vterentur.

Verum vt hæc ita ſe habeant, non tamen expedit ſcholam eligere omnibus diſcipulorum ordinibus mixtam. Etenim ab ijs qui diuerſi ſunt ordinis in diſcendo, exemplum nullum, nulla æmulationis incitatio; ibiq; tẽpus omne quod à doctore vel priuatim, vel communiter vnis impenditur, alijs planè ſubtrahitur. Illud ergo vtiliſsimum, dare operam præceptori alios diſcipulos erudienti, ſed numerabiles, & eiuſdem notæ; quod noſtri præceptores faciunt, non externi.

Inſu-

Insuper ab vtro magisterii magis assiduum tibi pollicearis, ab eo ne cui ægrotanti nemo sufficiendus in promptu est, an ab eo cui multi tanquam subcenturiati milites adstant impleturi eius vicem in singulas horas? Nempe proceres qui seiugi curru vehuntur, non senos tantum, sed septenos equos in eum vsum enutriunt: ni faciant, sæpè vectabulo carituri.

Perge; vtri erit maior cura, eine quem iuuentute alacrem viribus integrum noua illa magisterij gloriola ac potestas delectat, an ei cuius vires ætate consenuerint, alacritas tædio refrixerit, ac proinde qui labore premitur tristùs, & fatua illa grammatices elementa non sine fastidio remandit? Porrò, vt tela in bello, nauigia in mari, instrumenta in domo, eadem conficientissima quæ recentissima; ita in quolibet operoso munere is nauior qui nouior, si sat peritus.

Sed hæc vltima exceptio qua meum effatum contraxi, deducit me ad alia capita, hoc est ad priuationem simul doctrinæ simul experientiæ, quæ priuatio nostris latinitatis professoribus obiectatur.

Et primùm de doctrinâ. Duo sunt quibus pueri imbuuntur. Præcepta grammaticæ & initia quædam eloquentiæ.

Prima quidem tota ad memoriam spectant; & si de simplicium verborum vsu ac significatione loquamur, ea tanquam historica quædam notitia est ex veterum latinorum lectione deprompta. Cuius tamen lectionis necessitatem multum alleuarunt recentes nomenclatores, atque in primis Stephanus, & Passeratius. Quocirca satis erit præceptori inhibere discipulis vsum cuiuscumque vocis vel apud auctores vel apud nomenclatores irrrepertæ. Quod si præceptor aut prohibenda permitteret, aut permittenda prohiberet, leuis negotij erit postea discipulis errorem abstergere, vbi illum vel ex nomenclatorum, vel ex scriptorum lectione deprehenderint; Nec proinde periculũ est ne is inemendabili postmodum prauitate duretur, vt pote qui error non rationibus infigitur, sed testificatione imponitur; & quidem in re aperta cuius falsitas non mentis labore extrudenda est, sed oculis patet.

Si verò de præceptis ad complexum & phrasim pertinentibus sermo est, in his quidèm præceptor non tam docet,

quàm subdocet. Habemus enim, quos sequamur grammaticos eruditissimos, qui hanc artem summâ diligentiâ, ac facilitate tradiderunt. Quare vnus fermè præcipientium labor est in hac parte latinos Aluari canones vernaculis vocibus explanare.

Adde, quòd quicumque ex nostris grammaticam tradunt, educati sunt in magnis nostrorum Academijs, vbi complures in grammaticâ scientissimi; vbi de his frequens sermo, vehemens identidem ac subtilis altercatio, ita vt in eo ludo quasi in publico mediocrium ciuium conuiuio, licèt singuli parum afferant, innumera tamen deguftent, quæ nemo vnus per opulentiam congregasset in mensâ. Scilicet ille tandem doctissimus est, cui contingit multorum oculis legere, multorum studijs condiscere. Et sane quicumque interiorem in puerorum institutoribus cognitionem latinitatis requireret tanquam in pueros elementarios transfundendam, næ illum ea petet Quintiliani querela: *quòd ambitiosa festinatione plerique à posterioribus incipiunt:* idemque alibi, *magistri opus esse*, ait, *si tamen ambitiosis vtilia præferet, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discentium, sed temperare vires suas & ad intellectum audientis descendere. Nam vt vascula oris anguſti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur, sic animi puerorum quantum excipere possint videndum est.* Quid enim? Complures eorum qui scholas inferiores grammaticæ adeunt, nihil pensi habent omnes callere latinitatis articulos, sed eâ imbuti potius, quàm instructi tantum inde referre cupiunt, quantùm aut medici, aut causidici, aut tabellionis professio desiderat.

lib. 1. c. 4.

Sed fac alicuius emolumenti esse vel in his grammaticæ primordijs ab insigni literatore institui; nihil enim repugno: optas ne illum extra nostros, an etiam speras? Si tantum optas, æquo iure optabis, vt omnes vicorum prætorculi sint viri principes, sapientes, opulenti; ne quid aut per animi sordes ex natalium cœno contractas, aut per inscientiam, aut per pauperiem iniustè, vel illiberaliter agant; Optare potes nullum esse in exercitu militem nisi præclari generis, diuturnæque militiæ, ne aut salutem honori præhabeat, aut rudis

dis agminum imperitè ordines turbet. Hæc & alia optare poteris, obtinere non poteris. Quod porrò discrimen in ijs quæ Reipublicæ conducerent, & quorum aliqua insperantes optamus, alia exigimus, Aristoles non semel vsurpat in libris de ciuili arte. Ideò enim fagax natura non bonum quodcumque nostris voluntatibus ceu finem quærendum obiecit, sed definitè *bonum possibile*, vt philosophis placet: nihil enim vel miserius, vel inanius, quàm velle quod nequeas.

Eiusdem generis est postulatum illud Iulij Scotti (de quo deque libris ipsius paulo infra vberior dicendi locus) vt magisteria omnia in Societate à Sacerdotibus administrentur. Quasi verò ipse qui ætatem omnem exegit in Societate, nesciuerit, an in tantâ sacerdotum copiâ versemur, quanta & cæteris ministerijs eorum proprijs, & scholarum multitudini propemodum infinitæ sufficiat. Enimuerò si leges optima cogitabilium, non optima possibilium præscribere deberent, promptum esset vnicuique Lycurgum ac Numam anteire.

Iamuerò vt propositum repetam, si magistros literaturâ eximios in infimis grammaticæ classibus non tantùm otiosè optas, sed sollicitè speras ac seuerè deposcis, experire an passim inuenias viros qui cunctos latinitatis articulos calleant haud dedignantes cum pueris repuerascere, & quaternas docere. Etenim licèt inter externos abundent nunc, si quando aliàs, viri latinitate prædocti; tamen vrbes illæ, quæ vel nostris non vtuntur, vel simul externos etiam conducunt vt grammaticorum multiplicitas & optionem addiscentibus, & æmulationem docentibus præstet, raros magnâ mercede inueniunt qui mediocritatem attingant. Nihil enim ingratius homini, quàm quod simul operosum, simul inglorium.

Ex quo fit, vt etiam illud alterum quod prædixi à puerorum formatoribus præstandum, hoc est semina quædam eloquentiæ olim germinatura, longe vberiùs à nostris quàm à conductitijs haberi consueuerit. Consueuerint, inquam, nempe & in aliquibus ex nostris facultatem desidero, & in quibusdam externorum eamdem suspicio. Sed re in communi spectatâ, verissimum est quod dixi. Quod autem sublime fertur de magistris illis quos ante accersitam Societatem ha-

bebant vrbium gymnasia, dictatum est senum, acti temporis laudatorum. De reliquo si aliqua eorum scripta quæ adhuc in palimpsestis extant, relegamus; impolitos quidem illos, informes, exiguos, hiantes deprehendemus, quos subinde ridere, semper aspernari cogamur. Imò aliquibus eorum qui vieta illa in cœlum extollebant, si post multos annos eadem ex veteri arcula tanquam sacrum aliquid educunt Sodalibus ostensuri, perinde contingit ac bonis quibusdam viris, qui ex mediocri quapiam ciuitate Neapolim, Venetias, Mediolanum, aut Romam à pueris profecti, ibi patrias vrbes ædibus, villis, templis magnificentissimas prædicarunt, quoniam ita videbantur cùm adhuc maiora inuisa: Nihil enim magnum, aut paruum nisi comparatum; Ijs nempe vbi in patriam remigrant, tum grandia illa quodammodo contracta videntur atque imminuta, & comitibus, siqui sunt apud quos eorum magnitudinem amplificauerant, pudet ostendere.

Porrò quæ nostrorum discipuli ipsi hoc tempore componunt, vrbanitate, numero, sententiâ, toto demum orationis corpore veterum illorum epistolijs plurimum antecellunt.

Quid verò ni ita contingat? Quando præceptores illi in mediocribus vrbibus erant plerumque homunciones vaniloqui, nugatores nullius salis aut succi, quorum ineptias per imitationem in præterito sæculo nouam personam risus euocantem in Comædias inuexerunt. Si enim aut doctrinâ, aut ingenio præpotuissent, vtique vel ad aulam, vel ad forum, vel ad aliud quidpiam præclarius contendissent supra vmbram & ferulam.

Nostros verò sicut religiosa demissio ad scopas & ollas subinde abijcit quamuis altioribus pares, sic multos eorum scuticę ac puerilibus elementis addicit, qui tamen & natiuâ indole, & parentum educatione, & studijs in Societate confectis longè nobiliores spiritus, notionesque conceperint; quorum simulacra possunt in discipulos transfundere, & tanquam faces subdere illorum ingenijs.

Sequitur vt de tertia, quam numaraui magistrorum dote, hoc est de peritia docendi loquamur, quam aliqui minimam esse

esse in nostris grammaticæ præceptoribus vociferantur, vt potè rudibus illius professionis cuius agitatio in externis magistris vitæ æqualis fuit.

Hæc vtique reprehensio, quam ipsa experientia facilè refellit, vt rationibus itidem refellatur, vocat nos ad explicandum discrimen quoddam sæpius obseruatum ab Aristotele inter facultates exequentes, atque vtentes. Nempe in eo qui alijs vtitur, magna peritia magnusque vsus desideratur, ceu in architecto, in Duce: at illius qui aliena præcepta exequitur, sæpè ipsius vtentis peritia defectum supplet. Nam & inexercitati fabri sub architecto experto ac sedulo ritè inædificant, & non veterani milites sub multarum palmarum ducibus nauiter pugnant. Ita videmus in quibusdam sacris gynecæis condimenta quædam vel medicamina aut florum imitamenta perbellè confici, etiamsi non vniuersæ quæ in his opificijs laborant, longum vsum habeant; satis enim est si ad peritiorum documenta manum attemperent. Quid plura opus est? Vix vnquam vnius hominis quantumuis longæui, atque exercitati experimentum artem aliquam absoluit ac perficit: ideò artes erudiuntur atque augescunt in dies, quoniam artifices omnes quadamtenus exequentes sunt, dum seruant præcepta sibi à maioribus tradita. Quade causâ modulatiùs nunc cytharam pulsat aut vocem flectit fidicen vel cantor bimestris disciplinæ, quam post biennem exercitationem facerent qui musicæ inuentoribus operam dabant. *Nam* (vt Aristotelis vtar verbis) *qui principia inuenere, exiguum promouerunt*. 7. Eloch. cap. vlt.

Vides lector quorsum euadat hæc oratio nostra. Siquidem iuuenes illi è nostris qui pueros docent, exequuntur artem illam quam infinitis meditationibus, commentationibus, congressibus Societas elaborauit: suique muneris præmonstratores, monitores, iudices habent Præfectos studiorum in ea professione exercitatissimos, qui artem vtentem obtinent, eamque per eiusmodi iuuenes ceu per exequentes administrant. Scilicet ars non tam debet esse in manu quæ agit, quàm in capite cui præcipienti manus obtemperat. Hanc vero artem quanto studio Societas persecuta sit, manifestum est ex ijs quæ Posseuinus narrat de libro qui dicitur.

Ratio

Ratio Studiorum, quique pars non minima est nostri Instituti. Ad huius enim operis molitionem Claudius Aquauiua Societatis Præpositus Generalis ex omnibus Europæ Regnis viros in Societate literis ac docendi peritia clarissimos adhocauit, eos verò integrum annum Romæ detinuit, vt collatis diu noctuque sententijs, quid in vnaquaque huius professionis parte statuendum videretur decernerent. Deinceps eorum placitis in commentarium collectis, eadem ad omnes Societatis Prouincias misit, singularum suffragio rogato. Demum re matùrè deliberatâ sententijs numeratis, rationibus expensis, hæc forma studiorũ quę nũc extat, sacita est totiq; Societati præscripta. Sed quoniã leges & cõsuetudines similes sũt horologijs quę citò vel torpẽt, vel temerè circumagũtur nisi tẽperatores habeant qui laxatos funiculos protendant, rotasque aut resistentes expediant, aut inerrantes corrigant, ideò huic professioni præfectos ac vigiles Societas destinauit peculiares quidèm in singulis Collegijs, generales verò in maximis academijs vniuscuiusque Prouinciæ qui studia in omnibus illius Prouinciæ Collegijs moderentur. Tum verò statis diebus coram Rectore congressus habetur magistrorum, vbi disquiritur, ecquid detrimenti Scholarum disciplina patiatur, ecqua parte earumdem profectus promoueri possit. Quid ergo mirum si, ceu puer exarandi aut ingrediendi rudis, sit tamen peritus vel manum regat, vel maniculas retineat, & pro opportunitate contrahat, laxet, circumuoluat, nil peccat in motu; ita iuuenes nostri quanquam in docendo noui, tantis veteranorum adiumentis affabrè munus implent? Quamuis ne nouos quidem eos dixerim qui diu apud nos discendo ipsam docendi artem, vel consuetudinem compararunt; sicut miles qui diu benè paruit instructori vel centurioni, non imperitè postea obibit munus instructoris, vel centurionis. Simile hoc est ac si quis olim extra Assyriam vel Aegyptum per sese Cœli motiones & conuersiones vsque ad extremum senium obseruasset, eòque meliorem sibi artem esse iactasset quàm Aegyptijs Assirijsque iuuenibus: illi enim non suis quidem, sed aliorum, sed æqualium omnium collatis obseruationibus eum vicissent. Denique nihil magis ratum ac vulgare, quàm ibi artem optimè

tractari,

tractari, vbi ex professo, & collatis multorum flagrantibus studijs tractatur.

Reliquum esset, vt de postremâ quam recensui præceptorum conditione, hoc est de formatione morum disputarem. Sed quoniam ea quæ circa illam dicenda sunt, etiam magistros superioris eloquentiæ complectuntur, ideò in proximum caput, vbi de illis edisseram, id reijcio; Ad hoc, quoniam ea quæ vel super diligentiâ, vel super peritiâ exposui, eq; aut magis fauentioribus magistris, vtpote sæpè grauioribus & magis exercitatis, nihil super illis partibus adiungam capite consequenti.

CAPVT XXI.

An eloquentiæ disciplinæ vtilius ab externis quam à nostris curentur. Vbi an iure incusemur, quasi Tullianam Virgilinamque imitationem negligentes.

AGgredior iam disputare de alterâ magistrorum classe, qui latinè non tantum balbutire docent, sed eloqui, disserere, orare, canere. Horum plerique apud nos, vt præfatus sum, in minoribus vrbibus scholastici sunt, sed indole, ac facultate præcipui, re non modici, spe magni. Hos iterum cum externis nihil conferre attinet, quando iam superiori capite dictum est quales esse consueuerint qui in secundarijs ciuitatibus conducti ludum literarium curant. De nostris alia ratio est, vtpote qui lapidem illum versant non auro gloriâue allecti, quæ parua externis inde prouenium, sed Cœlo; cuius Regnum hoc differt ab humanis, quòd ministeria quæ humillima sunt, amplissimè remuneretur. Transeo tum vetera, tum remota, sed multos viuentes mihique præsentes nominare possum ex primo Romanæ eloquentiæ flore, qui vrbes non maximas edocuerunt. Angelus quidem Gallutius Maceratæ humaniores literas tradidit, postea multos annos in hoc Gymnasio Rhetoricam plaudente Româ

profes-

professus est, tum verò eiusmodi artium studijs in hac eâdem Academiâ præfectus; tandem cum Mutius Vitelleschus Societatis Iesu Generalis Præpositus rogaretur à Marchione Spinula, vt virum designaret in latinâ scriptione laudatissimum qui Ambrosij parentis heroicas in Belgio res gestas immortalitati commendaret, is præ cæteris delectus est. Vidi ego Franciscũ Raulinum Vrbeuetere pueros informantem, quem paulò post hæc eadem Romana Academia Rhetoricæ magistrum eloquentissimum habuit: ex quo factum est vt Odoardus Farnesius Parmæ & Placentiæ, Dux idemque non ingenio, atque eruditione quàm ditione minor eumdem vocauerit Ranutij primogeniti in vtrisque disciplinis institutorem; à quo deinde Ranutio paterni non minus ingenij, quàm principatus hærede in Parmensi Academiâ Theologicæ Cathedræ admotus. Quid plura? Famianus Strada, cuius nomen, ac laudes excipient omnes anni consequentes, solidum triennium exegit in Monte Sancto, hoc est in honesto quidem, sed exiguo Piceni Oppido, nec Vrbis appellatione dignato.

Peruenio iam ad postremam ex propositis externorum magistrorum classibus, hoc est ad præceptores Rhetoricæ in gymnasijs amplissimis & frequentissimis; in quibus non diffiteor aliquos subinde fulgere quantiuis pretij magistros: Nec enim ita deliro vt monopolium literaturæ vel eloquentiæ vnis nobis à naturâ concessum arbitrer. Quid tamen? Rara auis in terris. Cæterum si tales externos magistros cogitemus quales plerumque huiusmodi Cathedras implent, & eorum edita opera nostrorum præceptorum libris conferantur iudice literatorum populo, vtri meliores, satis liquet.

At illi Tullium, ac Virgilium propius imitantur. Super hoc in quo multi aut inscientes aut volentes errant, & nos iniurijâ perstringunt, aliqua dicere oportet.

Duo sunt imitationum genera. Alterum est ab arte Picturæ; quod vt inane contemnitur à Platone, quia totum est in extimâ specie, veluti cùm aliquid pictum vmbram quamdam viuentis præfert, motum ac spiritum viuentis nullum præfert.

Alterum imitamentorum genus non est ab arte ceu primum,

mum, sed à naturâ, quæ artifex est arteipsâ lõge solertior. Per hanc enim patrem filius imitatur eumque repræsentat non tam in coloribus & lineamentis (horum namq; non tanta similitudo parentis cum filio, quanta veræ animantis cum pictâ) sed in naturâ, in viribus, in voce, in gressu, in omni tandem actione vitæ.

Priorem illam similitudinem Tullij aut Virgilij sectantur non pauci ex ijs externis eloquentiæ professoribus qui nostros insimulant quasi ab illis magnis degeneres; nimirum personam quandam Tullianæ ac Virgilianæ dictionis per extima verba suis scriptis obducunt; cæterà exangues, cassi, frigiduli, inertes.

Si enim ingenio Tullianum aut Virgilianum aliquid saperent, vtique altiora cogitarent eosque magnorum aggressione imitarentur; quorum alter in populo terrarum domino animorum habenas tenuit, alteri populus idem *in theatro auditis eius versibus surrexit vniuersus, & fortè Virgilium præsentem spectantemq; veneratus est, sic quasi Augustum.* Vix igitur rarôq; continget, vt qui Tullianũ aut Virgilianũ ingeniũ oleat, ætatem conterat in eâ vmbratili palæstrâ, ex qua nec multum dignitatis nec multum vtilitatis: vix enim vnquam vidimus eiusmodi homines, quod apud veteres Romanos vsu eueniebat, ad magna assumptos, aut honorificentissimè habitos. Nostrorum verò permulti vtpote à dignitatibus Reipublicæ & sponte suâ, & nuncupati voti obice inexuperabili penitus distracti, musisque naturâ proni, quando ipsis inter nos otiosis esse non licet, munus illud libenter admittunt cum quo vno elegantioris literaturæ studium ac tractatio conceditur. Hi autem ingenio viuidi (magnum quippe ingeniorum delectum Societas habet in admissione, tum verò maximum in adlectione ad primas Cathedras in quàlibet disciplinâ) Ciceronem ac Virgilium repræsentare student vt filij, non vt simulacra. Proprias scilicet, & præcipuas vtriusque laudes, quà datur, comparare nituntur. Et quando vel callidi Societatis osores, vel imperiti veterum laudatores queruntur, Muretos, Manutios, Sigonios in italicis gymnasijs defuisse postquam Societas rhetoricæ institutionis professionem asciuit, cogor paulò liberiùs quàm vellem de istis effari. Hos equi-

Author Dialogi de causis corruptæ Eloquentiæ.

dem magnos inter grammaticos veneror, non prout grammaticę nomen vulgo despicitur, sed prout de illâ præclariùs
lib.1.c.4. loquitur Quintilianus existimator vtique non suspectus quippe non in rhetorica, quàm in grammaticâ minor. *Hæc professio* (grammaticam loquitur) *cum breuissimè in duas partes diuidatur, rectè loquendi scientiam, & poetarum enarrationem; plus habet in recessu quàm in fronte promittit.* Et postea cum demonstrasset Grammaticum multis disciplinis imbutum esse oportere, concludit. *Quò minus ferendi sunt qui hanc artem vt tenuem ac ieiunam cauillantur.* Grammaticos ergo præstantissimos eos fateor; quamuis enim & Muretus orationes euulgauerit, & Sigonius historica, alter tamen Oratoris, alter Historici personam non admodum supra mediocritatem impleuit: Grammatici vterque optimè, Sigonius & Antiquarij: Omnes verò de quibus dixi & corruptos latinorum codices in pristinum nitorem atque vsum magnis laboribus restituerunt, & obscurioribus eorundem dictis lumen intelligentiæ atque eruditionis insperſere de bonis artibus egregiè meriti. De reliquo si forte vena aliqua Tulliani Falerni, vt ita loquar, eorum scriptis immixta, magnâ vtique aquæ infusione sic diluta est, atque edomita, vt palatum fugiat. Atque vt hunc locum aliquando penitus excutiamus, euoluam apertiùs quod per similitudinem duplicis imaginis nuper adumbraui.

Fateor equidèm pauculos illos, quos nominaui, diligentiorem anxietatem adhibuisse in Tullianis verbis retinendis, quàm nostri generatim consueuerint; operosiùs quoque veterũ latinorũ libros lectitasse; Quid tamẽ an ideò meliores vel ad dicendũ vel ad docẽdũ? Et quãtum spectat ad verba, si vel omnis, vel præcipua scribentis laus in Tullianâ dictione versatur, hi quidèm non solum nostris, sed vtrique Senecæ, vtrique Plinio, alijsque veteribus præferentur, quippe religiosius Tullianam locutionem sectati. Quasi verò idem sit Tullianis vocibus loqui, ac Tullij stylum assimilare. An Eudoxia, quæ ex Homeri hemistichijs centonem composuit, homericè scripsisse dicta est?

Porrò duæ sunt orationis laudes. Altera versatur in ijs quæ pendent ex hominum arbitratu, quorum fuit, hæc vel illa ver-

la verba, hanc vel illam verborum structuram quasi latinitate donare. Altera constat ex ijs dotibus, quæ à naturâ præstantiam habent, quæque in omni gentium sermone eædem sunt, adeòque ab vnâ in aliam linguam transfunduntur; Veluti translationes, tropi, numerus, breuitas, perspicuitas, maiestas, varietas, acumen, vis demum suasionis, & eloquentiæ. Enimuerò hæc sunt quæ Ciceronem eloquij principem faciunt & communem magistrum non eorum modò qui latinè scribunt, sed qui vernaculis vbiuis gentium linguis vtuntur, in quas vtiq; linguas Ciceronis verba, dictioneſq; non cadunt: Quemadmodum Cicero ipse Græcorum ac Demosthenis in primis se imitatorem profitetur, quamuis alter Græcè scripserit, alter Romanè, ac proinde nihil in verbis dictionibusque conuenerint. Cæterum quoniam scriptores illi qui orationis laudibus à naturâ pendentibus eminebant, etiam verba iuncturasque verborum seligere soliti erant quæ communi vsu probatissima essent, populo quidèm intellecta, nobilibus ac literatis vsitata; ideò tum ex eiusmodi curâ, tum ex auctoritate ab alijs scribendi virtutibus profectâ obtinuerũt apud posteros vt eorum sermo omnium purissimus & castissimus haberetur. Sed hæc postrema est inter eorum laudes, & tanquam cæterarum appendix, & leniculus fructus, qui statim exaresceret vbi vsus eiusmodi sermonis vt in linguis, ita in calamis extingueretur. Cum ergo illustrium scriptorum gloria multos allectet ad imitationem, illi sane qui minùs ingenio pollent, facillima ad imitandum arripiunt, hoc est verba & phrasim; quod re ipsâ non tam imitari est, quam ediscere, vel transcribere: memoriæ quidem non rationis opus. In quare similes sunt vt si quis in picturâ Raphaelem sibi proponens ad imitandum, in eo totus esset vt illud colorum genus eligeret quibus ille ad pingendum vtebatur. Et ne fortè suspiceris hæc seditiosi esse ingenij, & discessionem à Cicerone machinantis, audi summum Ciceronis præconem atque cultorem, eundemque adolescentiæ rectorem, & eloquentiæ magistrum optimum, quem sæpe laudaui Quintilianum, à quo hæc ipsa maiori vt auctoritate, sic eloquentia disputantur. *Ea*, inquit, *quæ in oratore maxima sunt, imitabilia* lib. 10. cap. 2.

bilia non sunt, ingenium, inuentio, vis, facilitas, & quidquid arte non traditur. Ideòque plerique cum verba quædam ex Oratoribus excerpserunt, aut aliquos compositionis certos pedes, mirè à se quæ elegerunt effingi arbitrantur: cum & verba intercidant, inualescantque temporibus; vt quorum certissima sit regula in consuetudine, eaque non sua natura sint bona, aut mala; nam per se soni tantum sunt: neque id semel dixisse contentus, post pauca subiungit. *Nec verò saltem ijs quibus ad euitanda vitia iudicij satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere, & solum, vt sic dixerim, cutem vel potius illas Epicuri figuras imitari, quas è summis corporibus dicit effluere. Hoc autem ijs accidit qui non introspectis penitus virtutibus, ad primum se volut aspectum orationis aptarunt, & cum ijs felicissimè cessit imitatio, qui verbis, & numeris sunt non multum differentes, vim dicendi, atque inuentionis non assequuntur.* Neque satis habuit Quintilianus hæc de imitandi ratione sic in vniuersum dixisse; sed de ipsâ Ciceronis imitatione, quam aliqui obtendunt, hæc habet. *Otiosi & supini si quid modò longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem loquutorum fuisse.* Rursus verò intelligens quanti esset cauere errorem illum supra expositum, in quem trahit plerosque vel ignoratio rei, vel facilitas tenuitati blandita, repetit. *Imitatio autem (nam idem sæpius dicam) non sit tantum in verbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis, quod consilium, quæ dispositio, quàm omnia etiam quæ delectationi videantur data, ad victoriam spectent*, & quæ sequuntur. Ita Quintilianus: & verò non hanc ingloriam imitandi Ciceronis viam iniere quicumque ingenij viribus Ciceroni propiores extiterunt. Hi namq; licèt illum tanquam numen aliquod eloquentiæ venerarentur, non sic desilierunt imitatores in arctum, vt eos Ciceroni indictum verbulum efferre puderet; Hanc enim legem non duo Senecæ, non duo Plinij, non, vt Historicos transeam, Grammatici ipsi religiosissimi hoc est Quintilianus ac Gellius accepere; sed in eo Ciceronem sequuti sunt vt quemadmodum ille totus ex se aptus est, atque vt de illo Quintilianus ex Pindaro enunciauit, *non aquas pluuias colligit, sed viuo gurgite exundat*, & succo suo stylum composuit, quo nullus vel ad alendum dulcior, vel ad alliciendum suauior, vel

lib. 10. cap 1.

vel ad perſuadendum neruoſior, vel ad mouendum concitatior; ita illi ſtuduerunt vt inquantum opus erat & ſcriptionis genus exigebat, eaſdem virtutes aſſequerentur. Et quemadmodum Cicero neminem ex veteribus ſibi impoſuit ceu legem ſermonis, ſed carptim ab omnibus elegantiâ nobilibus voces optimas & ſono, & ſignificatione, & perſpicuitate delegit, multaſque fæliciter ac prudenter audax non dubitauit effingere; ita illi non ſic in verba Ciceronis iurarunt vt vel ad varietatem, vel ad numerum, vel ad rerum Tullio intractatarum explicationem ex aliorum etiam hortis multa decerpere, aliqua etiam huic prius inaudita procreare veriti ſint. Hoc videlicet eſt Tullianum eſſe, non reſcribere quæ Tullius ſcripſit, quod librarij etiam faciunt, ſed eas opportunè ſectari virtutes & laudes quas Tullius ſcribendo quæſiuit.

Recentibus verò latinis non ea quidèm licentia eſt vt nouas voces producant extinctâ iam in vſu loquentium latinâ linguâ: quemadmodum poſt arefactam ſyluam nulla iam foliorum nouitas: Sed ex probatis auctoribus eiuſdem linguæ tanquam e ſericis filamentis verſicolorem telam contexere debent. Scilicet nullum ſcriptorem proferes ingenio præſtantem, qui vni ſe ſponte mancipauerit in loquendo.

Eadem ingenij mediocritas eoſdem de quibus dicebam, continuit in alienis excutiendis, cum ſua promere diffiderent: ac veluti ſteriles ſenes alienos filios adoptarunt, educarunt, opulentarunt, adeòque multam eruditionis, minimam inuentionis laudem adepti. Scilicet ſuorum inopes ſunt qui ſollicitè aliena curare & poſſunt & volunt. Qui autem ſic per ſe tepidi, ſteriles, timidi ſunt, quem, rogo, ardorem eloquentiæ, quam feracitatem inuentionis, quam audendi alacritatem & gloriam ingerere diſcipulis poſſunt? Simulacrum neſcio quod eloquentiæ illis oſtendunt, faciem eloquētiæ non oſtendunt. Multa in prælectionibus memorant eleganter, quæ facta ſunt, quæ ſingularia, quæ tanquam hiſtorica, quibus denique memoria diteſcat; vix aliquid docent, quod vniuersè atque æterno tempore verum ſit, quod philoſophicum, quod rationis ſcientiam alat, & grauidet.

Equidem adeò ad veritatem non ad voluntatem ſcribo,

adeò

adeò nec à partis studio in sentiendo parum seruo, vt aliquid dicturus sim quod à me nemo expectaret. Præstantiores habuit, & quantum præsagire licet, habebit Respublica scriptores humaniorum literarum inter externos quàm inter nostros. Id tamen fidenter adiungo; magistros eiusdem facultatis præstantiores plerumque ex nostris esse, ac fore, quàm ex externis. Vtrique parti & experientia suffragatur, & ratio. Nam de primo, ecquem Ludouico Ariosto, aut Torquato Tasso habuit Societas exæquandum, hoc est Poetis nemini Græcorum Latinorumque indubiam victoriam concedentibus? Nec aliter sentiam de Guarino, de Chiabrera, de Ciampolo inter Italos, de Salusto Bertasi domino, deque Ronsardo inter Gallos. Causam haud difficilè inuenias. Prætereo, quod externi literis dediti numero pœnè innumerabili nostros excedunt quare nil mirum si omnium optimi potius inter millenos quosque, quàm inter denos reperiuntur: sed aliam do causam magis propriam. Nam inter externos aliqui sunt, quamquam ingenio summi, otium ac famam præ curis ac fascibus amantes. Hi forensia ac ciuilia repudiantes, sapientiam tamen volunt non tam syllogismorum telis hirtam atque horrentem, quàm eloquentiæ floribus inodoratam & hilarem. Hi ergo lauros impensè colunt, steriles quidèm arbores, sed peramænas, nullâ hieme arescentes, & fulminum securas. Quid miremur si aliqui eorum, succum, ac neruos à Lyceo, colores, ac vestes à Parnasso mutuati, Poesim edunt quæ non tantum aspectu, sed incessu, hoc est viribus, pateat Dea?

Eiusmodi vates in Societate nunquam exorti; nec facilè exorientur. Qui enim inter nos ingenio summi, quales Suarius, Vasquius alijque persimiles, hi à moderatoribus addicuntur disciplinis illis quæ per se nobilissimæ, quæque plus conferunt ad Catholicæ Ecclesiæ bonum, adeòque maiori sunt in pretio apud nostros. Vincimur ergo propter eamdem causam, qua victos literis Romanos à Græcis ad suam ætatem Tullius affirmat, quoniam *facile erat vincere non repugnantes*; quippe cùm Romanis pulchra facere quàm dicere antiquius foret. Quocirca nunquam in Societate Princeps maiorum gentium in hac venustiore literaturâ regnabit nisi

1. Tusc. in princ.

fortè

fortè aliquis cui non tantum primas exedras, sed primariam inter scholasticos gloriam parasset Lyceum, Musis, vt ita dicam, à Pallade concedatur.

Sed non minus ex hac ipsâ ratione conficitur illud alterum quod enunciaui, quodque pariter luculento experientiæ testimonio confirmatur, nostros præceptores eloquentiæ externis plerumque maiores. Vix enim inter externos vir inuenietur ingenio naturâ experrecto, & philosophiæ radijs inardescens, cui tanti sit literarium ludum reuoluere, & eadem quotannis recinere adolescentibus plerumque vel segnibus vel procacibus, & si quid pretiosissimum promitur, id vel negligentibus, vel aspernantibus: immenso vtique temporis laborisque sumptu, qui si stylo impenderetur, copiosam daret segetem scriptionis immortalis. Quare si Pontanum excipias, quem tamen inter primi subsellij vates non censeo, vix vllum reperies ex optimis vel poetis, vel oratoribus, vel historicis, ne tum quidem cum omnia externorum erant, cui linguâ æquales suos, & non tantum calamo posteros edocere placuerit.

E diuersò ex nostris qui ad eloquentiam ac numeros nati ac proni sunt, si celsiore sapientiâ quantumuis instructi non vsque adeo tamen in eâ emineant vt illa regali tanquam iure vindicet eos sibi, malunt sæpe tum suâ sponte tum moderatorum impulsu in humanioribus literis quasi in inferiori cœlo fulgere, quàm in diuinioribus tanquam in supremâ sphœrâ vanescere. Nec tamen, vt dixi, datur ipsis (ceu externis, & nemini mancipatis) vt inter nemora & secretum degant sibi & musis, neq; vt in pluteis stylũ, quin simul in exedris vocẽ, exerceant. Cum ergo hi sint homines peringenioſi & profanæ ac sacræ sapientiæ mysterijs septennium edocti, longe robustiorem argutioremque proferunt orationem ac poesim, quam plerique ex illis externis præceptoribus qui ingenio tenues, quique philosophiam vel ne pictam quidem conspicati, vel tantum pictam & in vmbrâ, non in puluere atque in acie sicut nostri. Cum tamen & Cicero asseueret, *quidquid in eloquentia effeceris, id se non rhetorum sed Academiæ spatijs consecutum*; & Auctor dialogi de causis corruptæ eloquentiæ, *hãc primã & præcipuã* dicat esse *negligẽtiã sapientiæ studium*.

Si quis.

Si quis mihi sic disputanti repugnet, prouoco ad populum, quo vniuerso simul accepto iudex nemo maior, nemo melior; Is porro vti antefert maximos illos primo loco memoratos à me Arioſtum, Taſſum, Guarinum, alios, poetis noſtris, ita noſtros tum Poetas, tum Oratores, tum Hiſtoricos longè nobilitat ſupra externos præceptores quos vidit Italia; imò & Europa, ſi Belgium excipias vbi magna ſtipendia magnuſque honor ſummos etiam literatos ad eum ludum allexere; adeòque tres quatuorue profeſſores Belgium habuit inter quos & inter optimos ex noſtris dubium ſtyli certamen. Sed certè numero vincimus tum hominum tum prouinciarum. Cæterùm ſi de Italiâ noſtrâ loquamur, quæ tamen ſtyli nitore quodam ac mollitudine cæteris nationibus anteire videtur, quis audeat comparare cum plauſu & gloriâ quibus floruere Famiani Proluſiones atque Hiſtoriæ (vt Maffeium atque alios tranſeam) cum eâ mediocritate in qua iacent Mureti orationes, aut Sigonij narrationes, niſi quantum has materiæ pulchritudo ac maieſtas non parum erigit? Nam de carminibus nihil attinet dicere. Italia ſiquidèm vix vnum ex eiuſmodi profeſſoribus poſt Pontanum vidit, qui verſus ediderit, niſi forte pedibus tam enerues, vt vix dum egreſſi, prope ac breui ſubſtiterint.

Supereſt vt ediſſeram de vltimâ parte, quam prædixi in puerorum inſtitutore neceſſariam, hoc eſt de opportunitate ad mores ritè formandos. Quæ de re plures de induſtriâ ſcripſeruht. Quare in re ſatis per ſe apertâ, & alijs pertractatâ non multus ero; Contentus eiuſdem Quintiliani, hoc eſt ethnici hominis iudicium reſcribere; quò pudor ſit Chriſtianis eam probitatem in magiſtro ſeligendo negligere, quam primo loco requiſiuerunt vel ij qui omnia ad mortalia hæc bona dirigebant, poſthumarum remunerationum ignari. *Si ſtudijs quidem*, inquit, *ſcholas prodeſſe, moribus autem nocere conſtaret, potior mihi ratio viuendi honeſtè quam optimè dicendi videretur*. Ideo inferius monet: *Tradendus, eius artis magiſtris erit quorum inprimis inſpici mores oportebit. Quod ego non ideirco potiſſimum in hac parte tractare ſum aggreſſus quia non in cæteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quàm diligentiſſimè putem, ſicut teſtatus ſum libro priore*;

lib. 1. c. 2.

lib. 2. c. 2. inquit.

ſed

ſed, quod magis neceſſariam eius rei mentionem facit, ætas ipſa diſcentium. Nam & adulti ferè pueri ad hos præceptores transferuntur, & apud hos iuuenes etiam facti perſtiterant: adeòque maior adhibenda tum cura eſt vt & teneriores annos ab iniuria ſanctitas præceptoris cuſtodiat, & ferociores à licentia grauiter deterreat. Et paulò poſt. *Sumat igitur ante omnia parentis erga diſcipulos ſuos animum, ac ſuccedere in eorum locum; a quibus ſibi liberi traduntur, exiſtimet. Ipſe nec habeat vitia, nec ferat.* Deinceps eiuſmodi mores ac virtutes particulatim in magiſtro requirit, quæ num in externis, & conductitijs magiſtris promptum ſit inuenire, vnuſquiſque per ſe di iudicet. Progreditur inde ad eas magiſtri dotes quaſi ſecundarias quæ doctrinam continent; ſed capite ſequenti, ſic tandem concludit. *Sit ergo cùm eloquentia, tum moribus præſtantiſſimus, qui ad Phœnicis Homerici exemplum dicere ac facere doceat.* Et verò quaſi ſpongioſa ac tenerior diſcipulorum ætas, & peraſſidua illa magiſtri cum diſcipulis conſuetudo omnium æquè formarum bibula; ſed perinde etiam ceu candida lana, aut nouum dolium, coloris, vel odoris ſemel contracti retinentiſſima, conficiunt vt nihil ad duraturas puerorum virtutes magis valeat quàm probitas, & cura præceptoris. Hæc verò quis neget à nullis potius expectanda quàm à viris qui nuncio rebus humanis remiſſo Cœlum habent in votis vel ſolum, vel certè primum; quique non aliâ gratiâ laborem pertinaciſſimum puerilis inſtitutionis ſuſceperunt niſi vt inter ipſas Caſtalias vndas pueris expetitas cæleſtem rorem propinarent?

Id an re ipsâ præſtet Societas, teſtis Sacramentorũ frequentia in noſtris gymnaſijs, piæ ſodalitates puerorum ſub Deiparæ clientelâ inſtitutæ in eiuſque obſequium ſedulò incumbentes, aſſiduæ ad pietatem adhortationes magiſtrorum quà è ſuggeſtu, quà priuatis in colloquijs cum diſcipulis; immunidorum auctorum ſeuera proſcriptio, exacta morum diſciplina, quæ nihil licentiæ permittit vel opibus, vel nobilitati, vel ingenio; Denique teſtis Europa, teſtes Pontifices, Reges, populi, qui nunquam ceſſarunt aut operam Societatis in edocendâ iuuentute tanquam moribus ac Religioni fructuoſiſsimam collaudare, aut nouis Academijs, ac gymnaſijs

eamdem præficere. Hæc quoniam in omnium oculis atque ore versantur, putidum esset singillatim recensere. sufficiat grauissimum illud iudicium amplissimorum Patrum quos Christi Vicarius præfecit interpretandis legibus Tridentini Concilij. Cum enim de Seminarijs ex eiusdem Tridentini præscripto institutis ageretur, super eorum magistris ità planè rescripserunt: *Si reperiantur Iesuitæ, cæteris anteponendi sunt.*

Adsp. 251. circa decretū Trid. sess 23. cap. 18.

CAPVT XXII.

Narratur causa irarum Iulij Scotti in Societatem. Excutiuntur aliqua eius effata aduersùs magisterium nostrum in humanioribus litteris, ac præsertim, quod longior mora in grammatica, quòd præstantium scriptorum interpretatio & imitatio neglecta, quod argutiolæ auidius quæsitæ, quod obscuritas amata.

ANteponunt ergo nos cæteris tum re ipsâ Pontifices, Reges nationes, tum perhonorifico decreto Cœtus purpuratorum Patrum quibus Christiani populi cura ac sollicitudo non leui ex parte imposita est: at non anteponit nos cæteris Iulius Scottus: ita vt dicere fortasse liceat:

Magno se iudice quisque tuetur.
Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni.

Equidem dum de homine isto incidit sermo, vix imperare mihi possum vt moderationem illam dicendi quam & mihi præscripsi, & in alijs nostrorum requiro, nihil transiliam. Porrò non hominem auersor, sed crimina: ab homine quidèm omnes odij causas procul habeo. Nam & genus reuereor, cum quo, si humana hæc aliquid essent, præclarum mihi ducerem meum fuisse commixtum: & proceres ex eodem genere præstantissimos noui, atque in primis Ranutium Scottum Præsulem ornatissimum, qui summis legationibus in Heluetiâ, Galliâque perfunctus, & inclyti Antistitis, & Pontificij Nuncij numeros omnes impleuit tum consiliorum prudentiâ, tum morum innocentiâ. Ipsum verò Iulium peculiari

culiari nomine amo, vtpote à quo multos annos frater meus in Grammaticâ, atque Humanitate institutus est. Sed miror, ac doleo sic eum impotenti perturbatione animi transuersum agi vt in Societatem à qua diu altus, & eruditus est, tantum veneni euomat, quantum ab eâ lactis hausit. An ipse fortè de nostris humaniorum literarum studijs demisse iudicat, ex suo profectu æstimans vniuersè disciplinam Societatis? Tam modicus enim in his euasit qualem demonstrant eius versiculi nescio qui paucis hisce annis editi qui pedibus claudicant, dum hanc vocem *lares* vtrâque syllabâ producit; Nec tamen pedum defectu laborare videntur, cum sint omnino pedestres. Et verò quicumque vel eius libros lectitabit solæcismis subinde scatentes, vel ipsum hominem coram excusserit, vtique tam pusillum in hâc facultate deprehendet vt non iudicio, sed exemplo institutionem Societatis in hac politiore literaturâ eleuare possit. Sed immeritò sui profectus tenuitatem Societati imputat; ni Solis vitio vertendum sit quod non in quolibet solo eius radijs grauidato bellè flauescat seges, atque vuæ dulcescant. Nec tamen ego Iulium Scottum in illiteratis planè hominibus censeo; nam & aliqua eruditione imbutus est, & in Philosophiâ, ac Theologiâ tardus potius quam elumbis. Sed certè nemo sanus adeò illum extollet vt eum parem iudicem studiorum scriptorumue Societatis asseueret. Enimuero si Barclaius personatis verbis aliquid aduersus hæc nostra studia balbutiuit, si Schoppius post Societatis scholas alibi collaudatas irâ in aliquos nostrum percitus, contra hos Societatis labores desæuijt; vtique eiusmodi viri literatorum apices, sumpsere superbiam quæsitam meritis, & si fortè ex prauâ affectione animi, certè non ex eiusmodi literarum inscientia deerrarunt. Video quid Scottus sit responsurus. Se quidem nihil affirmatè asseruisse. Nimirum quasi tristitiam rerum modesta quadam locutione mitigaturus ità plane fatur: *Notant tamen aliqui, Patres Iesuitas in Grammaticis plurium annorum spatio quàm re vera fieri posset, discipulos detinere: nec operam ponere vt explicare norint libros eorum auditores. In Rhetoricis iam stylum non curare, paruo aut in nullo habere pretio Ciceronem, Virgilium, similesque in Rhetorica facultate Principes; his præferre moderniores* pag. 382.

Digitized by Google

quosdam, & inquibusdam solum argutijs conquirendis, simulque coarctandis studium impendere parum sollicitos de obseruandis hactenus traditis Rhetoricæ artis præceptis esse: obscuritatem amare: Quæ tamen an vera sint aliorum iudicio relinquit.

Sed verbis relinquit, quò animi moderationem simulans, fidem sibi, nobis detrimentum augeat; re autem non relinquit, quando Regibus, ac populis auctor est vt alijs magistris vtantur quàm nostris; eisque modum proponit quo seruato illi præ nostris sint profuturi.

Verum antequam vltra pergo, sentio lectorem exigere à me vt euoluam, quid nam hominem stirpe nobilem, naturâ non malum, & in Societate educatum ac professum, tam immani odio in eamdem inflammauerit. Dicam vt res est, quodque innumeri sciunt: nec enim vsque adeo insanirem vt pro tuendâ Societate, quàm vnius Cœli demerendi studio adoptaui, calumnias exstruerem mihi Cœlum obstructuras.

Fuit inter nos Iulius Scottus vitâ innocens, ingenio mediocris, studio non indiligens. Nocuit illi, quod prodesse debuerat, paulò liberalior nostrorum moderatorum in iuuenilibus muneribus fauor datus & sanguini & moribus, sed non æquè debitus vel acumini, vel scientiæ. Ideò quanquam scriptione frigidus, linguâ infans & hærens, mediocritatem in multis non assecutus, in nullo prætergessus, postquam Romæ triennem inferioris Grammaticæ Scholam tenuit, quarto tandem anno ad Humanitatis exedram prouectus est, haud multâ cum dignitate huius Academiæ, minore cum discipulorum plausu, vt memini: quippe labes, quæ ipsi inerant, omnes expositæ atque in cute, adeòque vel pueris intellectæ, eius infantiam aspernantibus. Post hæc Theologiæ curriculum cum peregit, ingenio non hebes, studio assiduus, sed lentus tum cogitatione, tum linguâ, satis scientiæ comparauit, palæstræ parum. Hinc accidit vt postremo theologici studij anno ipse à Præposito Prouinciali memoratis familiæ, atque innocentiæ dotibus allecto Subdocentis, seu *Academici*, vt aiunt, officio dignatus sit; quod vni ex optimis discipulis imponi consueuit. At idem cum sui periculum fecisset expositis thesibus vnius peculiaris materiæ, vt inde iudices

dices de more conijcerent num honestè de vniuersâ theologiâ esset publicè disputaturus; repudiatus est quod insolens atque inauditum in eo qui tali munere fungeretur. Deinde in patriam sibi Prouinciam regressus philosophiæ prælegendæ admotus est in Parmensi primùm, posteà in Ferrariensi Gymnasio; sed vtrobique parum decorè. Similis enim erat ac Argentarius, qui non planè facultatibus defectus, sed præsenti ære destitutus, nequit fato die ad syngraphariũ acceptarum rationes pecuniam repræsentare, adeoque decoctoris notam patitur licet habeat in bonis. Sic ille in eâ philosophicâ arenâ cum celeres animi motus non haberet, subinde opprimebatur non tantum à Collegis, sed à discipulis siqui paulò acutiores erant; Idem tamen vbi per otium meditaturus secedebat, sæpè aliquid commentabatur quod si in tempore respondisset, fecisset theatro, ac muneri satis. Sed vt vultus ita ingenium nemini minùs aspectum quam gerenti. Fugiebat Iulium hæc inualetudo celeritatis, ac facundiæ ad disputandum: adeòque auebat post philosophiam theologiæ contemplatricis magisterium. At nostris moderatoribus aliter visum, tum pro gymnasiorum quæ nobis credita, & quibus optima debemus, emolumento ac dignitate, tum pro Societatis decore, tum etiam ne ipse Iulius quippe oneri impar, honore ipso dehonestaretur. Opportuniorem ei duxere moralem theologiam, cuius professio vt extra scholasticas concertationes est, ita nihil palæstræ, nihil improuisum, atque extemporale desiderat. Sed quemadmodum pleraq; alia vitia bonum illud quod immoderatè quærunt, quærendo perdunt, ita nihil honori comparando nocentius quàm immodica honoris cupido. Quispiam sæpè numerò qui posset inferiorem facultatem honestè profiteri, superiorem inhians, vel cum dedecore repellitur, vel cum dedecore impetratis fruitur. Omni ergo opere Scottus ad sublimioris theologiæ cathedram adnitebatur; immotis ad hæc moderatoribus nostris. Tandem spe abiectâ meditari, discessum, ratus, in aliâ Religiosâ Congregatione faciliorem sibi aditum ad exedram concupitam. Et quidem post beneuolas monitiones, hortationesque, facultas ei factâ à Mutio Vitellesco Præposito Generali Societatis vt ad alium Ordinem transiret. Sed

in

in horam abiturus ecce tibi sententiam vertit, & Religiosos illos quibus cum conuenerat, eum adeuntes ac deducturos irritos vrbanè dimittit. Paulò post ab eodem Præposito Generali Carpensi domui regendæ præponitur. Neque mirandum, quod homini in religiosa demissione, & constantia minus firmo regimen illud quamuis tenue crederetur. Vbi enim aliquis naturâ non prauus est, sed lapsu quodam animi vel negligentiâ deflexit in obliqua, præsentissimum sæpe remedium est quo reuocet se ad rectum, si alios regat: & nemo viam diligentius seruat quàm qui alios ducit. In ea igitur procuratione nuncio accepto quòd Comes Ferdinandus Scottus eius consanguineus Venetijs ægrotaret, iniussu eiusdem Generalis illuc festinauit, excusans rei necessitatem moræ impatientem. Nec propterea aut punitus, aut reprehensus. Post multos dies reuertitur; Romam aduocatur, vbi non paucos menses honestè habitus. At defuncto Mutio, cum ageretur de successore sufficiendo, ideòque in vnâquaque Prouincia duo suffragatores eligendi essent; Iulius à Vicario Generali in patriam Prouinciam remittitur, in qua ius habebat suffragij. Sed perinuitus, ac diu reluctatus discessit; vtpotè qui fortasse turbas Generali Congregationi clam struebat. Cum autem Laureti substitisset, binas epistolas accepit, quas ei Rector Lauretani Collegij honoris, atque vrbanitatis ergo (quod sæpè fit inter nostros) obsignatas vt erant, adeòque inuisas reddidit. Nomen scribentis in calce nullum: manus eadem, eademque vtrique sententia: Caueret in Prouinciam redire, quippe ibi haud honorificè excipiendus. Has ille litteras cum Rectore, qui nunc est huic Romanæ Prouinciæ Præpositus, communicauit: ex illisque subuereri se affirmabat ne fortè molirentur Patres in eâ Prouinciâ à Prouinciali Congregatione illum: excludere tanquam reum. Eam verò suspicionem Rector abstergere nititur, affirmans nefas cuiquam fore illum excludere quem ipse Vicarius Generalis eâ gratiâ remitteret vt Congregationi interesset. Sed sponte prolabentem quæcumque leuis aura prosternit. Iulius iter vertens Venetias contendit, religiosum habitum ponit. Enimuerò Societatis gubernatores quà epistolis, quà missis nuncijs, debiti ac votorum admonere,

Digitized by Google

monere, veniam criminis offerre, ad reditum cohorrari. At omnia in cassum. Quin, vt commune est odisse cui debeas quod maximè nolis, librum edidit, cuius titulus *Iulij Clementis Placentini ex Illustrissima Scottonũ familia de potestate Pontificis in Societatem Iesu*: vbi totus est in pugnando, primæuum Societatis spiritum cecidisse, plurimum labis à Societate importari Christianæ Reipublicæ; ideò eius leges funditus euertendas, priuilegia abroganda, munera in alios transferenda. Quamuis enim multa horum non nisi dubitanter, & flexiloquus enunciet, mens tamen scriptoris nemini legentium ambigua.

Cum verò nihil apud sapientissimum Pontificem liber ille conseciisset Pater Vicentius Caraffa nouus eiusdem Societatis Generalis Præpositus, vt Iulij salutem vtcumque curaret, sponte potestatem ei obtulit alium religiosum Ordinem quãtumuis laxiorem ineundi: Sed quoniam nulla progenies feracior in maius quàm peccatum, Iulius libertate illâ delectatus neque iam nominatim Societatem, sed religiosa vincula vniuersa perosus, vsum eiusmodi potestatis repudiauit. nullaque impetrata Summi Pontificis venia iam plures annos exutâ religiosâ veste atque obedientiâ viuere ausus est. Atque vt multi non ea eligunt quæ antea licere compererint, sed quæ ad libidinem elegerunt, licere deinceps asseuerant, librum alterum euulgauit inscriptum: *Iulij Clementis Scotti ex Comitibus Placentinis illustrissimi Philosophi, Theologi &c.*

De obligatione regularis extra regularem domum commorantis ob iustum metum.

De iure tuendi famam.

De apostatis, & fugitiuis. Quæ opuscula non alió euadunt, quàm vt eas honesti, ac liciti regulas comminiscatur vniuersè ex quibus aliquam suo facinori excusationem prætexat, vt per se patebit vnicuique legentium.

Cæterum si, quod ait Senca, *Oratio vultus animi est*, ex hu- Ep. 115.
iusmodi titulorum inanitate hominis animum intuere. Hæc omnino rei series est: Cætera quæ à Iulio sparguntur in vulgus, planè commenta.

Et sanè vterque Scotti liber satis refutatur grauissimo iudicio Rom. Pontificis. Nam, quod ad primum, sapientissimus Princeps

Princeps eo libro nihil motus est vt vel leges nostras immutaret, vel priuilegia contraheret, vel munera decerperet: Imò nostra confirmauit, defendit. Quod ad secundum, non modò transfugium illud Iulij non approbauit, sed peregit cum Serenissimâ Venetorum Republicâ, ne Iulio ceu Religiosi Ordinis desertori Venetijs impunè degere liceret.

Quoniam tamen Iulius in priore libro subinde prouocat ad verba ipsa nostri Instituti, & quædam asserit eâ confidentiâ, quam sola veritas loquenti præstare solet, ideò ne credulis, & scribentis asseueratione veritatem metientibus imponat, pretium operæ mihi reor identidem examinare quæ obijcit.

In præsentiâ verò de his dicam quæ nostra Rhetoricæ studia perstringunt: non quasi ea sit in eiusmodi studijs per se auctoritas Iulij Scotti quæ refutationem aliâ postulet quàm silentium, sed quia cum ipse omnes vulgi criminationes nobis intentauerit, vnus in hac lite totius vulgi personam agit; Neque vulgus contemni potest ab ijs qui non sibi, sed mundo viuentes, indigent ad exercitationem virtutis præsidio famæ, hoc est rei maximè vulgaris. Age igitur.

Notant, inquit, *aliqui Patres Iesuitas in Grammaticis pluribus annorum spatia quàm ne verè fieri posset discipulos detinere.*

At enim sol plurium mensium spatio quàm fieri posse videatur, arborum germina in agendis radicibus distinet sine fructu, sine flore, sine fronde, sine nomine, at non sine ipsorum bono, vt scilicet eorum fœcunditas non hiemis inclementiæ committatur, sed vernæ lenitati tanquam nutrici beneficæ reseruetur. Ita pueri si in primulâ illâ vitæ tempestate vbertatem suam effundant, nec potius in firmandis latinæ linguæ radicibus contineantur, flores dabunt breui deciduos, & infructuosos. Vti senectam prudentia, iuuentutem ingenium, ita pueritiam memoria vindicat sibi. Sationis igitur ætas illa, non frugis ne herbescentis quidem; Idcò cum apud veteres Romanos, tum apud nostros, linguarum præceptis, & scriptorum monumentis ediscendis
lib 1. c. 1. conclusa. Audi Quintilianum: *Memoria*, inquit, *præcipuè firmatur atque alitur exercitatione, & in ijs de quibus nunc loquimur*

mur ætatibus, quæ, nihil dum ipsa ex se generare queunt, propè sola est, quæ iuuare curam docentium possit. Græci sanè, quibus linguam nullam non vernaculam pueri docendi erant, quâ ad litterales disciplinas præpararentur, eosdem geometricis initiabant, vtpote quæ cum sint manifesta, & iam à magistris inuenta, nullo ingenij negotio percipiuntur, sed solas exercent phantasiam ac memoriam præ illa linearum ac rationum multitudine: quæ duæ facultates in pueris præualidæ. Nihil ergo expedit intempestiuam fertilitatem à pueris exprimere, sed eorum phantasiam ac memoriam etiam tum vacuas seminibus implere in tempore germinaturis.

Neque verò diuturnus ille labor superuacaneus pueris ad ipsam grammaticam condiscendam. Quippe vt philosophus obseruat, duplicis facultatis recordatio est, *memoriæ & reminiscentiæ*, quam vocant. Illa ex acceptarum imaginum copiâ atque agilitate, & ex peruio canaliculorum transitu, perspicacique organi acie tota pendet. Hæc multam rationis operam continet; nec aliunde fit (sicut quicunque rem attentius meditatus deprehendet) quòd facilius quam prosam versus memoremus, & ex versibus italicis potius certa lege similiter desinentes, quàm liberos; denique potiùs sermones quos intelligimus, quàm quorum sonum audiuimus sententiam non assecuti. Porrò reminiscentiæ multò magis, quàm memoriæ fructus est linguarum adeptio, quippe quæ linguæ per multos canones, multamque analogiæ notationem in breue rediguntur ex infinitâ illâ verborum & elocutionum multitudine per quam patent. At pueri quantum adultioribus memoriâ præstant, tantumdem reminiscentiâ, hoc est ingenio decedunt. Ideò nihil mirum si cuiuspiam linguæ expedita lectio, scriptio, locutio absolutè quæsita, vix decimâ temporis ac laboris parte stat adulto, ac puero. Cum ergo linguæ præcepta ferè inexputabilia sint, cùm tenerior ætas nullam reminiscentiam ceu nomenclatorem interiùs gerat, cum studium illud sit tædij & laboris plenum, quæ duæ res sunt inimicissimæ pueris, vt pote acerrimum voluptatis, vix vllum honestatis sensum habentibus, multorum puerilium annorum est grammaticæ disciplina, *quæ tamen*, vt ille ait, *nisi fundamenta fideliter iecerit, quidquid superstruxeris, corruet.* Quint. cap. 4. lib. 1.

Et verò adeò ab hoc peccato diuturnioris moræ in grammaticâ scholas nostras alienas scio, vt ex maiorum testificatione qui alios præceptores audierunt, compertum habeam, longè grandiores natu fuisse tunc quos grammaticæ institutio continebat; & hoc idem videre licet hoc tempore in externorum gymnasijs. Imò si verum fateri libet, potius dum nostras rhetorum aut philosophorum classes intueor adeò tenellis auditoribus confertas, infirmiorem ætatem disciplinis tàm grauibus onerari doleo, haud inscius Platonem in
lib. 7. sua Republicâ nõ ante trigesimũ annũ iuuenes inducere in ardua philosophiæ. Quocircà non moram, sed festinationem nostrorum iustius damnarem, nisi hanc excusaret necessitas ex hominum vsu profecta. Vbi enim ætas aduenit officijs ciuilibus idonea, illicò iuuenes à sapientiæ tanquam vberibus auelluntur, quasi iam solidiori dape nutriendi. Cæterum non aliam existimo causam cur alumnorum excellentium seges tenuior sit quàm soli ac seminum probitas promisisset, nisi præcociorem culturam: Quam tamen haud ego præcocem dico vbi ingenium ante annos adoleuit; vt enim animantium ità animorum non eadem omnibus est perfectæ ætatis mensura; Quod si quispiam in gymnasijs nostris ante diem sapiat, nil vsitatius, quàm vt ad superiores classes præproperum aditum nanciscatur.

Pergit affirmans, notari nostros quòd minus satagunt, vt auditores sui *sciant auctores explicare*. Vide quam ingenuè agam: do tibi quod opponis, sed vereor ne ipse quid opponas non planè intelligas. Explicant quidèm nostri præceptores Grammaticis suis Tullianas epistolas, Ouidianas Elegias, & similia elegantiam cum planitate componentia; curantque vt à discipulis tum partes explicatæ, tum explicationes ipsæ memoriæ mandentur, infigantur, recolantur: hoc enim puerilem facultatem non superat: at vero vt pueri intelligentiam ac peritiam quamdam communem acquirant interpretandi latinos auctores inexplicatos à magistro, haud quidem præceptores operam ponunt, ne operam ipsam perdant. Cum enim scriptores qui elegantissimi, ijdem sint figurarum saltem leuiorum pleni, ac præsertim ellypseos, quæ breuitati atque acumini seruiens multa verba tacitè intel-

lecta

locum imputat, quò caspitans & vibrans locutio incidat; vtique illos intelligere rationis atque ingenij negotium esse, nec in solâ verborum scitum acceptorum cognitione versari. Perinde ac epistola per compendia literarum exaratur persacilis quidem lectu est homini rerum perito, ex materiâ scriptionis, atque ex antecedentibus & consequentibus compendiarias illas notas interpretanti; at non ita puero quantumuis elementorum potestatem valenti: multa enim ibi legere rationi est, non oculorum. Et verò si quis subtilius inspexerit quod Chrysippus apud Gellium vidisse visus est, plerasque sermonis locutiones per se ambiguas deprehendet, quando ex vnaquaque per se consideratâ duo vel plura accipi possunt: sed materiæ conditio, & proximorum iunctura, quod sit ponendum aut receptissimum & communissimum, certam significationem contrahit. Noui hominem qui olim cum ociosis Iuuenibus de officio disputationes exercitij gratiâ aliquot verbis, incidens in eum locum apertissimum, *candente carbone adurebat capillum*: (sermo est de Dionysio Tyranno rerum suspecta adoque etiam tonsorij cultri) ita reddidit, vocabulorum infrequentiâ sensum pro ablatiuo temporis, sententiam posuerit: quoties canderet carbo, toties sibi Dionysium adussisse vnum aliquem ex capillis. Quæ interpretatio vti, si grammaticam vim verborum spectes, dissentanea non est; ita si rem, & si contextum consideres, est perridicula: Idem verò grandior factus cum ei necessitas obtigisset perlegendi gallicum librum, neque is gallice quidquam sciret, octo decemue horarum disciplinâ eò peruenit, vt quæ gallicè scripta erant oculo percurrens, italicè fecurus fermè ac festinans respondentibus vocibus redderet; Tantum ratio valet supra doctrinam ad scriptorum intelligentiam. Certè pueris qui tirocinium nostrum ineunt es vel in planissimis latinorum librorum hærent; post biennem illam cessationem à studijs, per quam multa quæ didicerant excidunt, tamen clara eadem sunt quæ antea cæca, quippe adulto iam rationis lumine.

lib. 11. cap. 12.

Sed Iulij Scotti accusationes persequamur. *In rhetoricis iam stylum non curare*: Ego verò conquerendum potius reor, quod plus æquo & temporis & curæ styli cultura sibi arri-

piat, quando stylus, ceu vestis corpori, seruire debet sententiæ non dominari. Sed stylo plurimum damus, quia eius studium humanæ mediocritati facilius: faciliora siquidem quæ minora; In qua re nimio opere externi peccant, nostris non planè innocentibus. Cæterum rhetoricæ ad persuadendum ac mouendum natæ minima eademque infima pars in stylo est. Et Aristoteles certè in suis de hac arte libris, hoc est in opere Aristotelicorum iuxta & humanorum diuinissimo, postremum eumque breuissimum tractationis locum stylo impertijt; qui color potius, ac veluti coma eloquentiæ dici potest, quam præcipuum membrum. Quotus quisque nunc est qui vel Homerum, vel Pindarum, vel Sophoclem, vel Euripidem ex Græco stylo æstimare possit? Et tamen Homerus Epicorum, Pindarus Lyricorum, Sophocles, & Euripides Tragicorum principes agnoscuntur: quippe non styli merito, sed rerum: Nec aliter Demostheni contigit inter Oratores. Audi non hirtum quempiam ex Arabum scholâ metaphisicum rusticitates suas honestantem ex alieni leporis contemptu, sed philosophorum cultissimum Senecam.

Ep. 125. *Nimis anxium esse te circa verba, & compositionem mi Lucili nolo. Habeo maiora quæ cures, quare quid scribas, & non quemadmodum.*

Hæc eâ gratiâ reputo, non vt in Societate styli neglectum excusem, sed vt nimiam potius sollicitudinem doleam, quasi pluris sit orationem pingere quàm nutrire. Cæterum aut nostra cum externorum scriptis comparentur, aut nostrorum alumnorum cum externorum alumnis; enimuero patebit hoc differre quæ alieno de fonte manant, ac de nostro, quod illa plerumque in vnum stylum desiliunt; imò verò ne in omnes quidèm ac præsertim nobilissimas styli partes, sed in duas omnium infimas, linguæ elegantiam, ac numeri modulationem. Nostra verò & hisce duabus styli laudibus haud minora sunt, & ad hæc præstantioribus tum styli, tum rerum dotibus longe vincunt: etsi, quæ humana imbecillitas est, aliqui nostrum in stylo nimis anxij, & rerum plus æquo securi. Quoniam verò Scottus vulgi ritu recentia semper accusat, videamus ecquid paucis hisce annis stylus in Societate syluescat. Ac ne per omnia percurram, quod multæ pro-

lixitatis

lixitatis foret ac tudij, ex hac vnâ Romanâ Academiâ, quæ omnium princeps ac tanquam mater & rectrix, de cæteris iudica. Orationes quidem hic habitas atque euulgatas referre nolo: quippe innumerabiles, & limatiorem stylum lectori non tam largientes vt suspiciendum, quam soluentes vt debitum: quando iam eloquentia nostra non est illa sanguinaria, & pugnax, quæ apud veteres in iudicijs, vel in senatibus ad vincendum; sed blanda & pacata ad exornandum. Accipio alias scriptionum species, in quibus per se maior rerum, minor verborum sollicitudo. Neglexit ne stylum inter Antiquarios Donatus in *Roma*? Rusticè ne scripsit super philosophiâ Gallutius in Ethicâ? Incultum vocaueris Ioannem Rho in Apologeticis? Licentior ne tibi videtur Bidermanus in *Delicijs*? Quid Ferrarius in *Hesperidum* libro? Quid Famianus in alterâ Decade Belgicæ Historiæ? Quæris poetas? Quam emendatè, quam latinè, quam eleganter cecinere idem Bidermanus in Lyricis, Donatus in Epico, Sanctius, ac Giattinus in Tragicis? Enimuerò hæc pauca quæ ex vno Societatis gymnasio vnum ferme decennium expressit, ea sunt, quæ cum omnibus externorum tota Europa degentium libris hoc Christi sæculo editis super styli nitore, ac præstantiâ certamen non reformident. Porrò ita de meis sodalibus eloqui fiduciam meritorum arbitror, non arrogantiam. Quid plura? Vt pateat quanti sit stylus apud nostros; minimum profero è Societatis professoribus, hoc est me ipsum, quippe in latinitatis magisterio non vltra progressum, quàm vt infimam grammaticæ classem absentis magistri vicarius quatuor ipsos dies edocuerim; postea disciplinis illis dicatus quæ impexam barbariem quasi roboris argumentum ostentant. Nihilominus cum in ea sodalitate versarer vbi permagnus honor stylo est, temperare mihi non potui quin super styli natura, virtutibus, ac vitijs, libellum qualemcumque protulerim. Sed accusatores nostri non satis stylo datum intelligunt si quid rebus detur: quasi hominum animi chameleontis ritu solis verbis, hoc est solo aere, benè vescantur.

Sequitur tertia reprehensio. *Paruo ait in nullo habere pretio Ciceronem, Virgilium, similesque in Rhetorica facultate principes; his præferre moderniores quosdam.*

Quæ-

Quæro, quid sit haberi in magno pretio scripterem aliquem à quadam literatorum vniuersitate vel Academia? Credo, illum tanquam exemplar discipulis proponere, eundem ediscendum ad verbum illis imperare, libros illius è suggestu exponere, editis voluminibus commentarijs laudibus ornare, imitari. Hæc omnia præstat Societas in Ciceronem ac Virgilium: Nam Cicero quidem in omnibus classibus explicatur, atque ediscitur; vtpote cuius varia opera disparibus omnium ætatum captibus exæquantur: Virgilius verò in superioribus, quippe excelsus vel in fistulâ. Vtrumque eruditissimis commentarijs illustrarunt, Tullij quidem Orationes multas Nicolaus Abramus, Virgilium verò vniuersum (præterea breuiores notas eiusdem Abrami) Ludouicus à Cerda, & Iacobus Pontanus, viri lectione locupletissimi. Adhæc nostri omnes vtrumque in cœlum extollere. Sufficiat ex immenso agmine paucos seligere, sed primarios auctoritatis inter nostros. De Virgilio quidem habes Vindicationes Virgilianas Tarquinij Gallutij, quibus nihil in eum honorificentius: habes iudicium Famiani Stradæ in secundâ Academiâ, vbi & nigras animas vocat, qui labem in Virgilio notabant; & illum tanquam Parnassi Principem reuereretur. De Cicerone quas non spargit laudes aut idem Tarquinius tum in oratione tum in carmine, aut Famianus in vniuerso Prolusionum volumine, aut Guinisius in dissertatione illâ vbi quærit vter ingenio celsior, Virgilius an Tullius; & vtroque diuinitus collaudato Tullium præhabet. Quid pluribus opus est? Nullus habitur æstus, quo gymnasiorum nostrorum vbique gentium parietes, Tullij Virgilijque præconijs non circumsonent; hoc enim argumentum nostris præceptoribus familiarissimum est vsque ad satietatem auditorum.

Et tamen non hanc erga magnos illos reuerentiam exteri exhibuere. Quot Virgilij reprehensores, atque in primis Castelvetrium Tarquinius noster refutauit? Sed in Tullium libentior antiquit obtrectatio. Certè Seneca vbi vitia compo-
Ep. 111. sitionis enumerat, ita scribit: *Quid de illa mollitia dicam, qualis Ciceronis est? Iacuna & molliter desinens, nec aliter quam fluit ad morum suum pedemque respondens.* Et Quintilianus ille in Ciceronis laudibus tam multus, tamque magniloquus, post-

quàm

quàm ait id eum consecutum esse apud posteros, *ut Cicero iam non hominis sed eloquentiæ sit nomen*. Subdit tamen: *Quamquam stetisse ipsum in fastigio fateor, ac vix quod adijci potuerit inuenio, fortasse inuenturus quod adhuc abscissurum putem (nam ferè sic docti iudicauerunt, plurimum in eo virtutum, non nihil fuisse vitiorum, & se ipse multa ex illa iuuenili abundantia coercuisse testatur) tamen quando nec sapientis sibi nomen minimè sui contemptor asciuit; et melius dicere certè data longiore vita, & ætate ad componendum securiore potuisset, non malignè crediderim defuisse ei summam illam ad quam nemo propius accessit*. Sed minus timidè adhuc in Dialogo *de causis corruptæ eloquentiæ*, quem eruditorum consensus eidem Quintiliano adscribit: lib. 10. cap. 16. 17.

Priores, inquit, *eius orationes non carent vitijs antiquitatis: lentus est in principio, longus in narrationibus, otiosus circa excessus, tardè commouetur, rarò incalescit, pauci sensus optimè, & cum quodam lumine terminantur: nihil excerpere, nihil referre possis: & velut in rudi ædificio firmus satis paries, & duraturus, sed non satis expolitus, & splendens*: pergit sugillans & *rotam fortunæ, & ius verrinum & illud tertio quoque sensu in omnibus pro sententia positum: esse videatur*. Supra verò cum narrasset, *Ciceronem à Caluo quidem malè audiuisse tanquam solutum & eneruem, à Bruto autem tanquam fractum & elumbem*, subiungit, *si me interroges, omnes mihi videntur verum dixisse*.

Quantas, rogo tragædias excitaret vulgus literatorum in nostros præceptores si de Tullio sic loquerentur vt rhetor ille summus Tullijque amantissimus loquitur? Nimirum omnia in humano ingenio laudare vel adulantis est, vel merita ex rumore credentis, non ex arte dignoscentis. Quod autem Scottus addit: *His præferre moderniores quosdam*, explicationem exigeret. Quippe si *moderniorum* nomine designat omnes qui post Virgilium Tulliumque vixerunt, horum quidem aliquos licet absolutè illis posthabeamus, in quibusdam virtutibus tamen præferimus. Alia enim sunt præstantissimum esse, ac in cunctis præstare. Itaque auctor dialogi *de causis corruptæ eloquentiæ* nil veretur asserere: *Cicerone mitior Caruinus & dulcior, & in verbis magis elaboratus*. Quocirca non optimum, sed optimos imitamur, sicut apes non ex vna

rosâ.

rosâ mel fugit, nec Zeuxis pulcherrimâ, sed pulcherrimæ accersiuit quò adearũ instar Helenã fingeret. Certè nõ ad vnius Tullij imitationẽ nos cohortatur præceptor optimus Quintilianus. *Non qui maximè imitandus, etiam solus imitandus est.* lib. 10. cap. 1. *Quid ergo? non est satis omnia sic dicere quomodo Marcus Tullius dixit? mihi quidem satis esset si omnia consequi possem. Quid tamen mouet vim Cæsaris, asperitatem Cælij, diligentiam Pollionis, iudicium Calui quibusdam in locis assumere? Nam præter id quod prudentis est, quod in quoque optimum est, si possit, suum facere, tum in tanta rei difficultate vnum intuentes vix aliqua pars sequitur. Adeòque cum totum exprimere quem elegeris, penè sit hominis inconcessum, plurium bona ponamus ante oculos, vt aliud ex alio hæreat, & quo quidque loco conueniat aptemus.*

Hæc ergo nostrorum est præceptorum persuasio, & consuetudo: eos in quorum libris virtutum cumulus excellentissimus est, ità cæteris anteponunt, vt quod in singulis excellit non aspernentur: Nec enim opera ipsa ex Cicerone, quod vulgi est, sed Ciceronem ex operibus æstimant, quod sapientis.

Si verò *modernorum* vocabulo latinos è Societate scriptores indicat Scottus, falsò falsius quod opponit. Cedo mihi vel vnum ex recentioribus qui prælegatur in Scholis nostris quique non integram earum ditionem veteribus relinquat; cedo mihi vel vnum ex nostris cuius scripta eiusmodi iudicium aut prodant, aut indicent quale nobis Scottus affingit, quique summos illos alicuius recentium latinorum non dicam æquatione laudis, sed comparatione violauerit. Haud fortassè inficiabor non neminem existere in Societate, cui tam insulsè, vt dicis, palatum sapiat. Vt enim in amplissimis hortis vel regalibus filices, ac lappæ, ità in magno cœtu quantumuis lecto, hebetudo aliqua, & fatuitas iudiciorum. Quid tamen? An quoniam Romæ nonnulli Ennio, Lucretioque Virgilium, Lucilio Horatium, Fabio Pictori Liuium postponebant, vaiuersè Romanis eam dijudicandi peruersitatem affinxisse? Nimirum quæ optima, non eadem publici saporis sunt. Neque vlla est hominum multitudo, in qua plures si proprio iudicio, & non aliena auctoritate ducantur, bona & optima non promiscuè habeant. Ita in gemmis,

mis, in marmoribus, in picturis, in statuis, in ædificijs, denique in omni rerum genere, ac præsertim artificiorum vsu venit: quod fastigium perfectionis contingit, oculos fugit; nec dignè suspicitur quoniã vix aspicitur. Locatus quis in mõte, cœlo contiguus videtur ex imo suspectantibus, quorum aciem vtrumque immaniter superat: sed hic idem peruidet quantum ipse cœlo subsit. Ita se res habet in quolibet artificum genere nisi affectus iudicium corrumpat. Proceros à summis turba non discriminat, quoniam vtrosque intento in sublime visu ægrè assequitur; at proceri ipsi se à summis facile discriminant, quoniam & se & illos clarè oculis metiuntur. Equidem sanctè iurare possum, qui inter nos ingenio eminent, adeò Ciceronem, Virgilium, Ouidium, aliosque eiusdem æris anteferre nostris omnibus, vt apud eos nostra quæ splendidissima, cum ijs comparata, quasi cicindelæ in solis radio vanescant. Id verò meritis damus, non vetustati; Aliquos enim externorum quos vltimum sæculum tulit, ceu Ariostum, Tassum, aliosque, summis veterum opponere supra non timui. Quod si boni viri nescio qui è nostris in familiari sermone Perpinianum Ciceroni, Pulcarellum Virgilio, Stephonium Senecæ parem faciunt, hoc ipso nomine ab alijs perspicacioribus despiciuntur, ceu qui plumbum artificiosè incoctum non discerneret ab argento.

Satagunt quidem nostri vt non solum veteres illi, sed etiam aliqui recentiores in puerorum manibus sint & merito.

Primum quia multa noua aut Naturæ, aut artis reperta, aut recentis ciuilitatis instituta antiquis ignota, adeòque indicta, commodis locutionibus explicantur à recentioribus.

Tum verò potissimum quia plurimum è Christiana Religione est, vt exprimendis rebus sacris atramentum inspergatur, quo nullus color melius pingit, diutiùs viuit; neque sacrâ scriptione validius aliquod inuenitur pietatis fomentum, tùm legentibus tum scribentibus. At multi ab hac abstinebant, vt ait ille.

Propter egestatem linguæ, & rerum nouitatem.

Imitari enim, vti dicebam, facile, adeòque commune; inuenire perarduum, & ideò perrarum; Quæ causa fuit, cur plura sæcula vix alios dederint italicos versus quàm

amatorios ; quia scilicet Franciscus Petrarca Italicæ Lyræ Princeps, in eo affectu, quantumuis modestissimè, vel lusit, vel delirauit: posteri verò, quod frequens est, argumenti vitium imitati, modestiæ virtutem neglexerunt. Ita planè res sacras plerique tanquam latinè non effabiles præteribant, alij emendicatis è veteri superstitione vocabulis pia intelligebant, impia sonabant; dum *vestales* pro sanctimonialibus dicebant, & *litare dijs manibus* ponebant, vt sacrificare pro defunctis, explicarent: atque alia eiusdemmodi sexcenta. In qua re & ipsi meritò castigantur à Iusto Lipsio, & (vti Masseium laudans supra indicaui) optimè de Christianâ Republicâ Societas merita est, atque in primis præter Maffeium ipsum Orlandinus ac Tursellinus in liberâ oratione, Stephonius in vincta; qui ritus nostræ Religionis non latinè tantum ac dilucidè, sed eleganter, sed lautè, sed magnificè, sed multiformiter expresserunt primi. Hoc idem posteà secuti alij ex nostris, immensam in vtroque dicendi genere locutionum syluam edidere, ex qua sylua non Idola, sed Cruces elaborentur. Neque horum labor proficiens fuit ad vtendum tantum, sed etiam ad inueniendum; vt enim qui aquam ex ignoto fonte hauftam propinat, non tam per aquam illam, quàm per fontis notitiam prodest, ita scriptores illi dum tales dicendi modos inuenerunt, simul venam atque artem similes alios pariendi legentibus indicarunt. Præter id quod ipsa argumentorum quæ inibi tractantur pietas vel per se solam valet vt eiusmodi libros expediat sortiri apud adolescentes celebritatem ac pretium. Quippe sicut inter venena ea nocentissima quæ suauissima, ita nil conducibilius publicæ fœlicitati, quàm vt in animi ferculis gratia salubritatem comitetur.

Progreditur accusatio Scotti. *In quibusdam solum argutijs conquirendis, simulque coarctandis studium impendere.*

Nuper enumeraui complures qui singulari cum plausu hoc postremo decennio è Romano Collegio prodierunt: Horum plerique ab argutijs alieni, alioque ornatu conspicui: Nec enim vnus eloquentiæ vultus. Hi sunt Gallutius, Bidermanus, Donatus, Sanctius. Alij porrò sic arguti, vt argutiæ ipsę non solum habeant acumen, sed pondus, vt Famianus præser-

Digitized by Google

præsertim in Historia. Omnes certè non in sólis argutijs sólliciti, sed in elegantiâ, sed in inuentione, sed in sententiâ. Cæterum argutias istas, & concluſum dicendi genus, quæ tu vir bone contemnis, in pretio habuerunt laudatiſsimi veterum tum ſcriptores tum præceptores. Porro antitheta exímiè collaudat Ariſtoteles in Rhetoricâ: concluſum dicendi genus Cicero ſuadet in *Bruto*. Idem Cicero licèt fermè vel forenſia vel politica in Orationibus ageret, eiuſmodi ſalibus haud parcè illas aſperſit, quod oſtendit ex profeſſo Famianus noſter.

Quintilianus verò non præcepto tantum, ſed exemplo argutijs patrocinatur, nam vel in didaſcalico opere naturâ ſeueriore, quàm hilariore, vix periodum abſoluit ſine cuſpide, ſine ictu. Quid verò? an Ouidium, an Lucanum, an Senecam, Curtium, vtrumque Plinium, Perſium, Statium, Iuuenalem, Tacitum, Claudianum, Martialem, Auſonium, omnes denique latinorum clariſsimos reprehendes quòd argutum, adſtrictumque dicendi morem adamauerint? Sane argutias quaſdam frigidas, quæſitas, inanes iure damnaueris; quæ tamen multis placent, quoniam vel in illis aliquid ingenij non planè agreſtis effulget: ceu aurum vel oſtrum adulterinum nec pretio nec emptoribus caret, quoniam & artem requirit, & viſum delectat. De reliquo vt hęc ornamenta Principes dedecent, popularibus concedantur, ſic argutiolæ illæ leuiores magnis quidem ſcriptoribus indecoræ, at inferioribus atque in tenui argumento non inconceſſæ.

Verùm de hoc loco latè diſputatum eſt à me in libello de ſtylo. Id vnum ſingenuè ſubiungam; vt in Societate noſtrâ multò plures mediocres, quàm optimi ſunt (ſcitè enim Tullius, *omnia præclara rara*) ita plures eſſe qui vil ore illo, quàm qui ſplendiore argutiarum ſubtegmine orationem expingunt: Nec tamen ideò damnandi: ſicut neque plebeias nuptas reprehendes, quæ margaritis carentes, corallinis monilibus præcinguntur; nec pauperum menſas, qui ſaccaro emendo impares, defruto dulcedinem cibis inſpergunt. Scilicet quamuis hæc delicatiorum oculos, aut palatum offendant, vulgares delectant: at nil adeò ab omnibus de-

sertum quam quod plane inornatum, atque insulsum.

Sed Scotti criminationem sequamur. *Parum sollicitos de obseruandis hactenus traditis Rhetoricæ artis præceptis.*

Ambigua est hæc accusatio: ais ne forte, aliam nos artem Rhetoricæ docere ac ab antiquis accepimus? Ab hoc delicto nos purgant quot quot è nostris scribendi præcepta tradidere, Cyprianus, Famianus in Prolusionibus, Causinus, Gallutius de Tragædiâ, Comædiâ, atque Elegiâ, Donatus in Poeticâ, alij. Etenim apud hos veterum placita sarta tecta.

An potius obiectas, ea præcepta nostris in scholis edici quidem, sed à discipulis non seruari? Et si de pluribus loqueris, verum loqueris: Quemadmodum inter Grammaticæ discipulos vix habemus qui Aluari canones, tametsi quam accuratissimè inculcatos, solæcismis nihil violent. Enimuerò quonam pretio emendi essent præceptores, si quid optimum factu sit, non tantum nosse darent, sed posse? An vbi saltatorius magister discipulis monstret quo pacto bellissimè ad caprearum imitationem libretur corpus micantibus perniciter pedibus, confestim discipulorum multi eam saltationis elegantiam exequentur? Sic pugiles, sic cantores, sic phrygiones, sic denique artifices omnes quanquam optimè edocti; pauci tamen id habent vel ingenij vel dexteritatis vt à documentis illis in agendo non declinent.

Adde, licet præcepta quibus seruatis optimum peragerētur, vna & eadem sint, non tamen eadem esse præcepta, quę pro singulorum facultate, atque ingenio singulis congruunt. Nec enim cui pubertas vocem asperauit, conueniunt oxiphoniæ præceptiones; quæ à puero melos eliciunt longè iucundissimum. Vidit hoc sæpè laudatus à me Quintilianus. *Tum,* inquit nouum Oratorem instituens, *in suscipiendo onere consulat suas vires? Nam quædam sunt inimitabilia quibus aut infirmitas naturæ non sufficiat, aut diuersitas repugnet:* & paulò post. *Sed ne ille quidem,* inquit, *doctor quanquam omnia quæ recta sunt, velit esse in suis auditoribus plenissima, in eo tamen cui naturam obstare viderit, laborabit:* Non in quolibet solo aut fraga seueris aut rosas: Quamuis enim illa in suo genere præstantissima, tamen, *non omnis fert omnia tellus;* adeòque sapientis agricolæ est non tam optima serere, quam semen-

lib. 10. cap. 2.

sementem ex ingenio humi deligere.

Concludit Scottus hanc expostulationem in hæc verba. *Obscuritatem amare.* An forte quis putat nos dedità operâ obscuritatem sectari? certe scriptorem vix illum inuenias adeò delirum: Nam vt commode Phauorinus iuuenem illum obsoleta affectantem monuit apud Gellium: Quicumque non intelligi cupit, summo compendio id obtinebit si taceat. Scriptor quilibet vel docere, vel placere studet. At, quæ non intelliguntur, neutrum efficiunt. Ergo scriptor quicumque, ni plane insaniat, obscurus esse non quærit. Sed id potius, vt reor, sibi voluit Scottus, amari à nostris talem dicẽdi characterẽ qui re ipsâ est obscurus. Verũtamẽ hoc ipsũ apertè reuincitur. Reputemus enim quibus nam nostrorum Societas vniuersa primas deferat, quosque apud suos discipulos, vt inter recentes, maximè extollat atque imitandos proponat: hoc est Orlandinum, Maffeium, Tursellinum, Stephonium, Sacchinum, Pontanum, Gallutium, Stradam, Guinisium, Bidermanum in soluto sermone: Stephonium, Gallutium, Pulcarellum, Sarbiescum, Guinisium, Imininum Bidermannam in carmine. Obscuri ne hi? Nunquam hoc audiui. Obscurus quidem Bandinus, obscurus Donatus in carmine. Sed licet hi, ac præsertim Donatus, in multis excellant, cum obscuri sint, in tenebris iacent, nostris ipsis, nedum discipulis penè inusi atque ignoti. At aliqui ex nostris etiam viuentibus obscuri: fateor; sed & alijs scribendi virtutibus aliqui ex nostris vacui, quid mirum quod etiam perspicuitate: vt pote quæ omnium maxima eademque (vt Aristoteles notat) pœne insociabilis cum maiestate sermonis; quam omnes quærunt, aliqui verò aut nimis aut infeliciter affectant? Ideò Quintilianus: *Plerumque accidit vt faciliora sint ad intelligendum, & lucidiora multò quæ à doctissimo quoque proferuntur. Nam & prima est eloquentiæ virtus perspicuitas, & quò quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conatur: vt statura breues in digitos eriguntur, & plerumque infirmi minantur. Nam tumidos, & corruptos, & tinnulos & quocumque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non virium, sed infirmitatis vitio laborare: vt corpora non robore, sed valetudine inflantur; & recto itinere* lib. 2. c. 3

lapsi

lapsi plerumque diuertunt. Erit ergo obscurior etiam quò quisque deterior. Quid ni ergo aliqui ex noſtris præſertim iunioribus, vel immodicè granditatis anxij, vel in Latio adhuc hoſpites verius quàm ciues, obſcurè ſcribant? Sed hæc obſcuritas nec amatur ab ipſis, nec illos cæteris amabiles facit. Id tamen obſeruari par eſt: faciliora ſemper eſſe, quæ dictione pedeſtria, & ſententijs leuia. Nec tamen maior Cicero in paruulis quibuſdam epiſtolis puerilem captum non prætergreſſis, quàm in orationibus & in philoſophiâ, ætatem ac doctrinam requirentibus in lectore. Neque Catullus tantus eſſet ſi omnia eo ſtylo ſcripſiſſet quo primum, idemque apertiſſimum Epigramma ad Cornelium Nepotem, & niſi nuptias Pelei ac Thetidis ceciniſſet tubâ quidem grandiore, ſed infirmiores aures obtundente. Quæ laus clarè dicere ſi nihil dicas? vel certe ſi expoſitum, illudque multis verbis ac de triuio ſumptis: qualem habent perſpicuitatem plerique illorum qui nos de obſcuritate criminantur? Haud pretium eſt operæ id multâ lectione intellexiſſe, quod intellectum ſperneres. An inſulſam aquæ perſpicuitatem vino anteferas, opaciori quidem, ſed ſimul ad voluptatem ſimul ad robur validiori? Inter aquas ipſas perſpicui magis lacus, quàm fluuij, quoniam illi torpentes, hi actuoſi. Apertam quærimus dictionem, at non rebus inanem, atque elanguidam, ſed ſucci plenam, ſed argutam, vibrantem. Ille cum laude planus eſt in ſcribendo, qui cum lectiſſima ſcribat & conditiſſimè, cum his duobus maximam quæ ſociari poteſt planitatem coniungit.

Vt ergo multa iam contrahamus in pauca: Societatis præceptores haud morãtur pueros diutius in grammaticâ quàm eos moratur ætas, interioribus diſciplinis immatura: imò feſtinatio accuſanda eſſet niſi eam alia neceſſitas excuſaret.

Exercent ipſorum magis memoriam in ediſcendo, quàm ingenium in intelligendo, quia ea facultas in pueris maxima, hæc minima.

Non ſtylum negligunt, imò ſatis ſuperque excolunt, licèt non in eo ponant omnia, ceu multi ſolis verbis inſeruientes.

Ciceronem Virgiliumque maximopere exornant, laudant, *longe ſequuntur, & veſtigia ſemper adorant*: ſed aliquas virtutes,

tes, in quibus alij à Cicerone ac Virgilio excellunt, non aſpernantur, ita ſuadentibus magnorum & præceptionibus & exemplis.

Eoſdem verò recentioribus noſtris infinitè præferunt quicumque inter nos ingenio & famâ clarent; licet fortaſſe mediocritas quorundam haud probe internoſcat quid inter hos ac illos diſtet.

Rhetoricæ artis documenta à veteribus accepta fideliter iunioribus tradunt in edocendo; illorum verò in ſcribendo eò quiſque ſeruantior quò ingenio ac doctrinâ melior.

Obſcuritatem non amant; imò qui inter nos laudatiſſimi, ijdem apertiſſimi. Aliqui tamen obſcuri non ſtudio, ſed infirmitate; quorum ſcripta iacent apud nos; Alij obſcuri quibuſdam videntur quia ſententijs prægualidi, acres, ac ſpiſſi; ita vt caligantia ad eam vehementiorem lucem ingenia propriæ tarditatis vitium in alienam obſcuritatem transferant; quibus ingenijs nihil perſpicuum præter inane.

CAPVT XXIII.

An Societas ſatis conſultò negotium ſuſceperit pueritiæ latinitatem docendæ.

LIbellus ille qui Marianam auctorem profitetur in tiulo, diſputat, vti memoraui, haud ſatis conſuluiſſe Societatem ſibi, dum inſtruendę latinis literis pueritię curam aſſumpſit; nec enim, inquit, opera pretium æquat. Ingens quippe Societatis incommodum; quando ſolidum triennium aut quadriennium, bona ſcilicet pars florentis ætatis & ad magna ſtudia peridoneæ, atteritur in tenui grammaticæ ludo; mentis cum labore ſummo, prouentu nullo. At caritatis eſt ætatulam illam bonis moribus affingere. Quid ni ergo, inquit, viliſſima etiam artificia profiteamur vt puerorum plebeculam vel mechanicam noſtræ faciamus diſciplinæ, adeòque vniuerſum illum teneriorem gregem probitatis lacte educemus? Sic ille: ſed mirificè aberrat à vero.

An caritas quærit quæ ſua ſunt? An virtutem, non dicam

ad

ad Christianorum, sed ad Ethnicorum doctrinam propriæ magis vtilitatis, quàm publici emolumenti vlna commetitur? Potius id heroicum, quod tibi pernoxium, Reipublicæ saluberrimum, ceu mors Attilij pro patriâ. Quod si valet in communi, quantò magis valet in Societate, cuius institutio tota in publicam vtilitatem spectat, adeò vt eius fundator Ignatius præoptaturum se dixerit propriæ salutis incertum alienæ vtiliter deseruire, quam extra omne suum discrimen pariter ac proximorum emolumentum, sine morâ Deum adipisci.

Neque interim tempus illud quod pueris edocendis impenditur, doctoribus ipsis inane prorsus elabitur. Si enim grammaticæ rudimenta traduntur, facilis doctrina docenti est, neq; tẽporis indiga, neq; operosæ cõtẽplationis; adeoq; spatiũ fermè omne quod à schola vacat, præceptori vacat integro ad priuata studia. Si cui autẽ adultior & eruditior discipulorum classis commissa est, haud leue calcar subest ad politiores literas lectione ac stylo persequendas. Tunc enim officinæ artium magis feruent cum earum opificia pluribus instruendis expetuntur. Et verò nisi magister cõsummatæ iam peritiæ sit, nemo discipulorum plus discit quàm is qui docet. Interim maturatur iuuenis præceptoris ingenium; & semina illa quæ antea is acceperat ex trienni cultu philosophiæ, annis ipsis tanquam hibernis niuibus clam contecta, longè vberius germinant, cum ipse ex eo ludo ad Theologiæ disciplinam transfertur, quam si adhuc imberbis intempestiuus scientiam illam non magis celsam quàm arduam aggrederetur.

Non diffiteor commodius nobis fore si tempus illud liberum ab eâ grammaticæ procuratione nobis flueret. Quid enim aut cibarijs fundatores, aut gratijs populi, aut Deus æternâ fœlicitate remuneraretur, si nihil ea prouincia nobis incommodaret? Porrò in humanis nil pretium habet nisi iactura. Cæterum aio, non ita illos annos intercidere, nihil vt seges futuris etiam & grauioribus ministerijs aut pariant aut foueant.

Cur verò, inquis, non omnes artes etiam sordidissimas amplexamur? Quia non possumus. Vtinam singulis nobis mille-

Digitized by Google

millena essent brachia, ora, corpora, ingenia! nihil tæderet nos ad infima descendere vt omnes Christo lucraremur. Vt enim Heraclitus ab Aristotele laudatus dum in casâ furnariâ calefieret, & quosdam ad se aduentantes, sed loci sordibus retentos vidisset, *accedite*, inquit, *nam hic quoque sunt dij immortales*; ita nihil abiectum nihil despicatum est nobis vbi pretiosum illud sit quod diuino sanguine stetit. Sed quando non omnia possumus, Reipublicæ vtilissima seligimus. Quis autem non intelligit quantò ad bonos Reipublicæ mores præstet eruditio præ cæteris illius partis, quæ pars in ciuitate potẽtior, & ingenio sagacior, & doctrinâ venerabilior? Huiusmodi autem sunt non qui mechanici, sed qui literati; Ab his leges, ab his exempla, ab his auctoritas. Tantò igitur plus momenti est in horum, quàm in aliorum institutione, quantò plus ad vitam confert curare in humano corpore præcipua viscera, quam exteriores artus in quos ab illis aut sanitas, aut corruptio emanat.

At, inquis, expectari posset donec adolescentes inirent grauiora studia. Mirificè falleris. Vt enim peregrini quo in vrbis diuersorio instantem sitim sedant, ibi cœnant, ibi pernoctant; ita vitam ineuntes qua ex Academiâ prima grammatices elementa comparant, in eâdem, si magistri suppetant, postrema disciplinarum spatia decurrunt; Sic arbores quo in solo radices agunt, ibidem flores ac fructus edunt; sic animantes ibi plerumque adolescunt vbi nascuntur. Præsertim cum permulti sic ad studia contendant sicut esurientes ad mensam: necessitate primum extimulati postea voluptatẽ indulgent. Quot sunt qui nihil supra latinitatis cognitionem à studijs initio petunt, dein verò experta sciendi dulcedo, degustatæ gloriolæ sitis irritata iam non extincta, & magistrorum suasio, ad altiores, sed minus necessarias disciplinas impellit? Porrò Grammaticæ schola Philosophorum ac Theologorum nutrix est, & seminarium. Quicumque nos celsioribus cathedris dignatus humilioribus leuare contendit, similiter facit ac qui Eridano vberrimum illum alueum intactum relinqueret, fontis ignobilitatem ac tenuitatem intercidere vellet.

Quid dicam ad illud vltimum quod opponit Mariana:

Casſinenſem Ordinem diu in hac eâdem curâ puerilis diſciplinæ exercitatum eam poſtea dereliquiſſe? Iniquo me in loco verſari video; vbi vel Societatis inſtitutum damnare debeam, vel Ordinis præclariſsimi conſilium minus reuereri. Sed quæro, numquid Sodalitatẽ illã prænobilem minus reuerenter haberet, qui ita præſentem eius ſtatum veneraretur vt tamen antiquum præponeret, dum fuit Regum portus, Pontificum ſeminarium, Diuorum parens, ſapientiæ Regia? Non credo. Quemadmodum nihil Vrſini, aut Columnenſes offendantur, ſi quis ita hodiernam eorum amplitudinem æſtimet, vt præ illâ antiquum eorumdem ſtatum ac dignitatem extollat: hoc enim ad gentis nobilitatem apprimè confert, magnam eſſe, maiorem fuiſſe. Quid ni ergo liceat nobis Caſsinenſis Sodalitij res geſtas imitari potius pro eâ tempeſtate, qua Ordo ille inclytus faſtigium tenuit virtutis & gloriæ, quàm pro hac in qua magnus quidem eſt ſi cum cæteris, fortaſſe verò minor ſi cum ſe ipſo exactis temporibus conferatur? Sed hanc ipſam defenſionem repudiare libet, & potius interpretari præclariſsimum Ordinem non infirmitate, ſed conſilio deſciuiſſe ab illa veteri profeſsione puerorum grammaticâ erudiendorum; Scilicet aliqua peculiaris cauſa huius negotij prętermittendi apparet in Caſsinenſi Ordine, hoc eſt monaſtica inſtitutio ab aliorum conſuetudine planè ſummota, & ſolitariæ contemplationi addicta: Quæ ratio non valet in Cænobitas quales nos ſumus, quique mixtam actione contemplationem profitemur. Et ſanè haud pœnitendum fuiſſe hoc Societatis exemplum, aliorum imitatio probauit. Nempe aliæ religioſæ familæ, & præſertim Sommaſchenſis eamdem prouinciam informandæ ineuntis ætatis etiam Grammaticæ rudimentis amplexa eſt, nec ſine ipſius laude, ac Reipublicæ bono.

Enimuerò craſsâ nimium librâ rerum grauitatem expendit, qui leuè aliquid putat nobilium & ingenioſorum primam educationem. Scilicet ſi Plato ille diuinus dum abſolutæ Reipublicæ ſimulacrum elaboraret nihil inferius duxit maieſtate ſuarum legum eas deducere vel ad fabellas puerulis ſomnum in gremio nutricum conciliaturas, quanti, rogo, æſtimaſſet delectum lectionis, doctrinæ, inſtitutionis deni-

que

que omnis adhibendæ ad ætatem summè flexilem, & tanquam in biuio illo allegorico sistentem. Quod si Societas tanquam publicæ vtilitati nata nullum laborem à se alienum existimaret quo à ciuibus contagio corporum arceretur, quàtò alacrius laborare debet ne puerorum animi pellaci vitiorum pestilentiæ maximè obnoxij dulce illud toxicum exsugant quod aut in chartis impudicis propinatur, aut à deteriorum consuetudine contrahitur si præceptores solutiore animo in mores intendant? Denique nil tam decantatum apud sapientes, quàm semina & radices mole quidem esse parua, aspectu vilia, virtute omnia.

CAPVT XXIV.

De studijs sublimiorum disciplinarum; & primùm an Societas reprehendenda sit quòd nimis Aristotelem colat in philosophia.

MIrum est quàm vberem materiam reprehensionum exhibuerint literatorum populo studia nostra Philosophiæ ac Theologiæ; Imò verius mirum esset nisi hoc euenisset. Cum enim innumerabiles sint & opinandi sectæ & docendi formæ, neque vnius plus vnâ possit amplecti, quamcumque amplectatur paucos suffragatores inueniet, emendatores quamplurimos. In qua re similiter accidit ac Principibus, qui dignitatis gradum aliquem in magnâ competitorum turbâ vni concedant oportet, cæteris negent, adeòque cuicumque concesserint, vnius gratiam multorum odijs emant.

Primus idemque agitatissimus occurrit locus in *causa status*, vt aiunt, hoc est de *libertate*, vel *seruitute*. In qua re contrarias accusationes patimur. Aliqui enim qui totum ingenio, nihil auctoritati tribuunt, acriter queruntur, vitio nostro Philosophiam, quæ suâ sponte Regina est, compedibus vinctam, vniusque Aristotelis edicto mancipatam. Cum tamen & ante Aristotelem philosophi præclarissimi extiterint, quorum ille reuerentiâ nihil absterritus alias planè de summis quæstionibus opiniones peperit, monuerit que præ

Digitized by Google

Socrate ac Platone veritatem adamandam. Quare Aristotelæus non est, qui seruiliter Aristotelæus est. Porro ab Aristotelis ætate permulta secula prætulerunt Aristoteli Platonem in diuinis, & in moralibus, eidem verò in physicis Empedoclẽ, Democritũ, Anaxagorã coæquarunt: nec ea existimatio apud Ethnicositãtũ, sed apud sũmos Ecclesiæ Patres. Præsertim quod etiamsi Aristotelẽ numẽ aliquod sapientiæ fuisse fateremur, sũmopere ambigitur inter antiquarios, nũ hęc quę vt Aristotelica venditantur, vera sint, an magnam partem subdititia: & hæc ipsa tot mendis atq; obliteratis situ ac tẽpore verbis maculosa in posteros deuenere, vt cum à Tyrannione Grammatico alijsque deinceps tentabundis & tantum non temerè fuerint restituta, dubium non sit quin germana sententia multis in locis exciderit. Accedit, per quæcumque constare possunt certa experimenta, doctrinam Aristotelis reuictam vt falsam. Sectio enim humanorum cadauerum tum alia contra Aristotelem tum præcipuè neruorum radices cordi non inhærere demonstrat. Paralaxis lacteam viam non infra lunam, sed in prælta sphærâ collocatam euincit. Diuinâ verò testificatione compertum est nec mundum nec tempus ex æternitate aut ex necessitate fuisse, vt Aristoteli placuit; tum porrò esse Deo humanarum rerum procurationem; eumdem liberè non necessariò agere; res ex nihilo eductas esse, aliaque permulta secus ac Aristoteles docuit.

Ita complures ratiocinantur, ijque præsertim quibus auctoribus renata est veterum philosophorum opinio cuncta ex atomis nũquam intereuntibus componentium, ex quarum variâ complexione ac motione conficiantur vniuersa illa quæ in Aristotelis schola tribuuntur procreationi cuiuspiam nouæ formæ.

Alij dicam nobis impingunt prorsus oppositam: Scilicet, parùm nos de Aristotelis auctoritate aut intelligentiâ sollicitos, nouis quæstionibus nouisque sententijs Lyceum oppleuisse. Multò satius fore, ipse si Aristotelis contextus prælegeretur atque explanaretur, designato præclaro quopiam eiusdem commentatore, à quo recedere nefas esset; per hoc enim duo vitarentur incommoda quæ nunc patimur: Alterum est, quod quisque Aristotelis verba per se obscura perin-

de

Digitized by Google

de ac diuinatorum præſagia ad proprium ſenſum detorquere audet, adeòque non tam nos Ariſtotelem ſequimur, quàm Ariſtotelem in noſtram ſententiam inuitum pertrahimus. Alterum eſt quod præteritis quæſtionibus, quæ ab Ariſtotele agitantur, pulcherrimis ijſdemque grauiſſimis, aliæ ad magiſtrorum libidinem quotidie inducuntur, quibus non tam diteſcit, quam inhorreſcit ſeu vaneſcit philoſophia.

Ita contra nos diſputat philoſophorũ turba, & ſcilicet Mariana, Scottus, alijque qui ex vulgari fonte hauriunt Societatis expoſtulationes: ſeu quia ingenium fortiti vulgi clamoribus credulum, ſeu quia calliditate nocendi accuſationes ſtruxerint pronis auribus excipiendas.

Antèalia verò ea nobis vindicatio ſuppetit quæ Ciceroni, dum aliàs ſuper iocis, aliàs ſuper mæſtitiâ reprehenderetur: *magno*, inquit, *argumento ſit, me in vtroque fuiſſe moderatum.* 2. Phil.

Et ſanè quantam ſpectat ad libertatem illam philoſophandi in quam vindicare contendunt ingenia illi primi correctores noſtri (cum illis enim mihi negotium erit in præſenti capite, cum alteris in ſequenti) duo attentè ſunt reputanda.

Primum cum philoſophiæ principijs multa connecti exquibus fides ac religio conſtat; ita vt commutata inquibuſdam principijs philoſophia, religionem quoque mutari, ſeu potius euerti neceſſe ſit. Alterum, adeò homines eſſe ingenij ſui amatores, vt citiùs multi falſum Deum, ſeu Dei interpretes in docendo, quàm ſe deceptos in opinando arbitrari velint. Cum enim, vt philoſophus notat, id verè ſit homo, quod eſt præſtantiſſimum in homine, hoc eſt mens, nil tam homini ingratum atque arduum, quam ſuæ mentis ac rationis infirmitatem agnoſcere: per hoc enim non tam ſua quàm ſe infirmum & mancum confitetur. Ita videmus, cum cæteris in artibus quæ vel per exteriora membra, vel per memoriæ opulentiam aut ſolertiam, vel per phantaſiæ acumen perficiuntur, multi ſe ineptos fateantur, in ijs tamen quæ mentis integritate ac prudentiâ continentur, quemlibet ſe cunctis præferre: adeòq; baiulorum nemo eſt qui ſibi quomodo tergum ſarcinæ, ſic brachium ſceptro idoneum credat.

Ex his duobus quæ præmiſi, ea conſecutio emergit: non liberas planè habenas ingenijs laxandas in tradendâ philoſophiâ.

phiâ. Plures enim initio ducuntur voluptate quadam & gloriâ nouitatis, idque verum putant quod verum vellent, hoc est quod natum in suo. Id autem est re ipsâ plerumque falsum; quando in qualibet re propositâ verum ac rectum non plus vno, falsa atque obliqua planè infinita; illud autem vnum, inuenire excelsi ingenij est ac pœnè diuini, sicut diuinæ artis esset eam omninò lineam deprehendere inter duo puncta, quæ recta sit, & non tantum videatur. Cum ergo hæc nouandi licentia si concedatur, infinitis erroribus circa principia ipsa sciendi Lyceum aspergeret, proinde multa essent quæ fidei nostræ plurimum incommodarent; Nihil enim frequentius, quàm vt error errorem gignat, præsertim verò si error sit circa principia; is enim fluuiorum ritu quò à fonte longius labitur eò latius amplificatur. Neque tamen tunc facilis correctioni locus. Vbi semel quis gloriam illam & delectationem ex inuenta rei nouitate suxit, asperrimum est illam reuomere, & id quo tanquam argento te diuitem ostentabas, tanquam vile plumbum abijcere. Ideò à susceptâ semel sententiâ recedere per se quidem semper difficile, tum verò in proprijs repertis difficillimum. Tolerabilius quippe aliena quàm nostra deserimus: Quamobrem ex hæreticis multi, ex hæresiarchis quam pauciſſimi resipuerunt.

Ne igitur noua hæc in dies figmentorum monstra subnascantur, quæ Religionis aras inuadant, & populos super ipsâ diuinitate inter se digladiantes committant, nil salubrius quàm aliqua statuere philosophandi principia ac tanquam circumdatos fines concertantium magistrorum arenæ.

In his vero principijs duo iungantur necesse est; præiudicium sapientum, & innocentiæ longa probatio. Sine illo enim primo difficillimum, sine secundo intutum esset illis gymnasia mancipare. Debent ergo principia hæc philosophicis professoribus opportune præscribenda & sauentes iam inuenire literatorum voces, & tanquam vsitata diu fercula omnem purgasse veneni suspicionem.

Porrò hæc duo in Aristotelis doctinâ summè conueniunt. Hunc enim philosophorum maximum extitisse nemo negauerit nisi qui vel philosophiam nesciat, vel Aristotelem.

Nempe

Nempe licet Platoni fortasse non minor laus in ethicis debeatur, quippe plurium initiorum in rebus moralibus inuentori, quibus fundamentis facilius fuit Aristoteli superstruere; tamen in præsentia non quærimus, vter ingenio maior, sed vtrius scripta meliora, super quo vix ambigendi locus. Cæterum Aristoteles vir ille est qui ratiocinandi artem primus non solum adinuenit quod rarissimum, sed absoluit quod singulare: qui Rhetoricam talem scripsit, quæ omnium post se oratorum linguas instruere potuerit, nullius laudibus æquari: Poeticam licèt in aduersarijs adumbrauerit veriùs quàm perfectam ediderit, tamen sicut ait Castelvetrius alienorum æstimator minimè reuerentior; quotquot post illum de hac arte tractatus operosissimos elaborarunt, minus dixere, quàm in illis impolitis indigestisque Aristotelis notis habeatur. In ethicis regnat sine competitore. In politicis ita scripsit, vt nonnulla quidem apud aliquos dubia sint, illud certum, neminem esse qui rationem societatis humanæ, qui dominationis naturam, species, proprietates, vitia, qui denique ciuilem artem quantacumque est, verius, plenius, interius enucleauerit. Metaphysicam nemo ante ipsum vltra limen ingressus: nemo post ipsum nisi per eius vestigia introgressus, Animantium proprietates ac membra reliqui tanquam hospites è longinquo descripserunt, ipse tanquam intimus naturæ consiliarius quam vim haberent ad finem architectæ sapientissimæ retexit. In his omnibus disciplinis Aristoteles pacificum fermè obtinet principatum. Quantumuis enim in Poeticâ æmulos passus sit artem illam ex integro recoquere machinatos, mediocres tamen illi homines vix lectores ne dum suffragatores inuenere. Vna supereſt physica, in qua validius disceptatur. Et tamen post extuscitatam Caroli Magni aliorumque Principum curâ & liberalitate è somno philosophiam, gymnasia omnia etsi maximè dissidentia inter se, sub vnius Aristotelis vexillum sponte conuenere. Veterum philosophorum sectæ simul cum libris interierant, magnum contemptionis famæ argumentum; interierant, inquam, nisi quantum in Lucretij carminibus viuunt, sed ad dedecus magis, quam ad gloriam: enim Lucretium non legeremus, suspiciosum esset, ne forte illi probabilius aliquid

Digitized by Google

quid reperissent ignotum nobis: Nunc verò quam vtilia sint quæ docebant, Lucretius testis eò contra ipsos validior, quò amicior. E contrariò Aristotelis physicam & Græcorum maximi commentarijs coluerunt, & porrò Arabes ab omni nationis studio summoti, & deinde Latini, atque in primis Diuus Thomas, ingenium illud vix Aristotele inferius iudicandum, nisi posterius quòd multa didicit ab Aristotele. Deinceps verò cum tot sectæ Scholasticorum extiterint, Thomistarum, Scotistarum, Nominalium, aliorum, in hoc tamen diuortio vniuersæ, tanquam dilapsa ex Appennino flumina, eamdem originem ac fontis vnitatem in Aristotelis doctrina sunt professæ. Neque hanc Aristoteli auctoritatem conciliauit aut Principum fauor, aut discipulorum potentia, aut ætas rudior, aut priorum philosophorum obscuritas. Eius enim libri in Scepsios vrbis crypta reperti sunt regnantibus latè Romanis, seruientibus Græcis; Apud vtrosque autem & Stoici, & Epicuræi, & variæ Academicorum familiæ nil tum Peripateticis decedebant, & scilicet Platonis effata quasi Iouis Oracula à Romanis philosophis habebantur. Neq; verò aut cum primùm Aristoteles scripsit, aut cum eius scripta diu intermortua reuixere, vllam nacta sunt vel sublimium ingeniorum penuriam, aut obliuionem vel despicientiam priorum sapientum, Anaxagoræ, Democriti, Empedoclis aliorumque qui de rebus physicis alia omnia ab Aristotele docuerant. Tum denique cum sapientiæ studia per Europam reflorueré, nec Platonis, ac Platonicorum fama aut modica erat aut vilis. Quid ergo nisi domina illa blandissima humani ingenij veritas tam copiosam Aristoteli subditorum multitudinem conciliauit?

Equidem fateor in Aristotele aliqua incerta, plurima obscura, nonnulla etiam (quæ humanæ mentis vel perspicacissimæ conditio est) falsa. Tamen quicumque Aristotelem legere potest quin ingenij incomparabilis diuinitatem admiretur, is porrò mihi vel belua, vel Angelus iudicabitur. Errare potuit alicubi Aristoteles: credo, sed multò frequentius ac facilius errare poterunt præceptores nostri dum Aristotelem à se erroris compertum gloriabuntur. Cum ergo nulla extra Deum sit regula certissima veritatis, quid vel ad erro-

rum

rum infrequentiam opportunius, aut magnis exemplis probatius sancire potuit. Societas quàm vt eius præceptores Aristoteli fidem deberent: non tamen famulariter atque in omnibus, sed cuique interdicendo ne tantum auderet de seipso vt Aristoteli defereret nisi in duplici euentu; scilicet vel vbi Aristoteli refragatur magister non paulò sapientior, hoc est Deus; vel vbi communis gymnasiorum consensus ab Aristotele discessit. Sicubi enim non vnus aliquis est qui tanquam classicum defectionis canat, sed communiter atque agminatim Philosophi ab Aristotele discedunt, argumento est, non ambitione nouandi, nõ prauitate singularis cuiusquam ingenij, sed apertæ veritatis tanquam iussu illum repudiari. Neque vt audacius reprehendi potest consentire cum omnibus.

Atqui, lapsus ille est in quibusdam perobscuris vel ad corporis interiorem cõstitutionem, vel ad cœlestia spectantibus; de quibus posterior sensuum experientia eum reuicit. Nihil repugno. Quid mirum si aliqua aliter sint in recessu quàm appareant in facie? Ideò ne accusandus qui ex probabilibus indicijs id coniecit quod quilibet probi ingenij vir ex eâ sub obscurâ notitiâ coniecisset? An eò quod magistratus quæ latent in animo, ex argumentis exterioribus aliquando non verè colligunt, illico quælibet eorum sagacitas contemnenda? Sensus patefecit Aristotelem alicubi errasse: esto; nam antea ratio docebat eum errori obnoxium esse. Si per hoc Aristotelis auctoritatem in dubijs quoque repudiandam euinceretur, vtique cuiuscunq; probabilitatis vis & robur caderet: nulla enim coniectura nulla probabilitas est quin aut ipsa aut alia ipsi æqualis aliquando mendosa deprehendatur. Nulla ergo in ambiguis aut medicorum de curatione, aut gubernatorum de nauigatione, aut colonorum de agricolatione, aut denique peritorum in qualibet coniecturali facultate auctoritas, & reuerentia. Quàm pauca, rogo, sunt ista super quibus sensuum perspicacitas Aristotelis enunciationes damnauit si cum ijs conferantur in quibus Aristotelis probatores habet innumeros eosdemque certissimos? Interroga Dialecticos num ex illis tam multis Aristotelis præceptionibus vel vna labatur. Consule Oratores, an cuncta Aristotelis documenta ad finem artis idonea longus vsus demonstrauerit?

Scisciare ex peritis regnandi ac gubernandi, num aliquid vtilius ad rerumpublicarum conseruationem, ac felicitatem compererint præ ciuili arte quam Aristoteles edidit. Quære non dicam ab hominibus naturali quadam probitate affectis, sed ab ipsis Christianæ legis custodibus ac magistris, num ea quæ Aristoteles docuit ad morum informationem, apprimè conueniant cum ijs naturæ mandatis quorum Deus ipse voluit esse interpres & præco. Quid ergo? Isne qui in tot tantisque tam varijs, tam reconditis, tam sublimibus, tam nouis veritatem feliciter venatus est, quamuis in pauculis quibusdam humanitus aliquid passus deprehendatur, ideò in cæteris quæ dubia sunt & incomperta, spernendus erit tanquam auctor minimè idoneus? Verùm, ratio, inquis, auctoritati præferenda; Præferenda vtique si cogens vel adeò robusta vt sapientum animos communiter vicerit. Dereliquo nullum commentum adeò absurdum est quod splendidum rationis vocabulum non obtendat. Debet ne igitur Societas vsque adeo indulgere confidentiæ professorum suorum vt quamcumque illi indictam antea rationem excogitauerint, fas sit eiusmodi propinare doctrinam iuuenturi sibi commissæ, quæ doctrina & summo veritatis indagatori, & sapientum gymnasiorum placitis aduersetur? Non ne hoc superbissimum esset? Non ne proclive vt frequenter auditores errorem nouæ scientiæ falsa imagine personatum è nostra disciplina reportarent?

Neque illud multum vrget quod de ambiguitate super germanis Aristotelis libris, superque illorum germana lectione magnis vocibus obiectatur.

Nam de primo (sæpe id repetere iuuat) non ij sumus qui libros ex auctore, sed qui auctorem ex libris æstimemus. Dum *Aristotelem* dicimus, eum hominem intelligimus qui hæc scripsit. Quod si non vnus idemque vt creditur, sed plures eorum scriptures fuerint, eos omnes ex librorum admirabilitate, & ex communi sapientum authoramento peræque veneramur. Quamquam hebetis nimium palati sit oportet, eisque persimilis qui auribus non ore potare dictitantur, quisquis ambigit ex eadem ne vindemia hæc manauerint. Et sane opera illa omnia ac Aristotelica com-

communiter agnoscuntur non ab aliquo imperitorum vulgo, sed ab ingenti eruditaque interpretum manu, hoc est ab hominibus nihil aut ingenio tardis, aut notatione indiligentibus. Mihi quidem ea lectitanti, & interse comparanti, eiusdem fuisse auctoris non minus liquet quàm eadem manu exaratas fuisse plures epistolas quæ in diuersitate rerum expositarum præferunt indifferentiam characteris.

Quod verò de mendis dicitur, id tantum efficit vt subinde Aristotelis sententia in leuiculis, seu in trascursu enunciatis, dubia sit: in his verò inter dissidentes interpretum opiniones optionem concedimus præceptori. At ea quibus tanquam fulcris Aristotelis philosophia incumbit, nequaquam ab vnius vocula apicibus pendent. Multis ibi dicuntur, probantur, crebrò repetuntur, nullam ansam ambiguitatis porrigunt. Et his enimuerò professores nostros addicimus, quibus addicti sunt vniuersę philosophorum familię Lyceum professi.

At Aristoteles negata Numinis prouidentia, ac libertate, & superanimæ humanæ immortalitate balbutiens atque incertus, non Catholicæ tantum, sed cuiuscunque Religionis fundamenta peruellit; quare non quidem hæreticorum vt Plato à Tertulliano, sed atheorum Patriarcha vocari potest.

Hæc ratio deducit me ad alteram conditionem quã in auctore religiosis præceptoribus adoptando necessariam dixi, hoc est ad salubritatem doctrinæ. Hanc verò in Aristotele, & maximam, & tutissimam esse aio.

Maxima quidem est, nam licet philosophi penè omnes numen aliquod supra corporatas hasce res & aspectabiles agnouerint, tamẽ quod ceteri tanquã diuinantes asseuerantiùs quã validiùs posuerunt, vnus Aristoteles cogenti ratione demonstrauit; Illudque numen infectum esse, immortale, purum, non à corporea tantùm, sed à qualibet concretione, intelligentiæ ac voluntatis compos, immotumque rerum omnium motorem & causam, nullius indigum, per se beatum. Quę omnia, simul idolatras ingulant, simul atheos cuncta fortunæ ac temeritati, vel surdo cuidam cæcoq; Fato tribuentes. In reliquis super quibus eum deerrasse prædicant; &

ligionem omnem funditus euertisse, hoc est super Dei libertate, ac prouidentiâ, hærens potius, ac varius fuit quàm constanter falsus. Quando superillis aliter in metaphysicis, aliter in ethicis locutus est; sicut etiam de immortalitate animarum ambiguè disputauit. Verum, quidquid ille senserit in his rebus, profectò si acutè meditemur, hæc Aristotelis seu hæsitantia, seu aduersitas nihil fermè nocet Christianæ religioni magis quàm si hæc omnia disertè concessisset. Intima enim ac propria Christianæ fidei natura ijs continetur quæ non solum re ipsa esse, sed esse posse natiua hominis ratio non cernit. Nec enim ijs præmijs, aut supplicijs mouemur quæ Deus quantumcumque humanorum curator ad naturæ leges viresque rependerit; sed ijs quæ omnem superant naturæ tum potestatem, tum cognitionem, quæque Aristoteli latuissent quantumuis sit liberum, & prouidum numen, & immortales humanos animos agnouisset. Tria tamen sunt commoda illa quæ manant Christianæ Religioni ex Aristotelis effatis.

Primum est Idolorum proscriptio, qua omnes cum veteres, tum hodiernæ superstitiones ethnicorum opprimuntur.

Alterum notitia vnius numinis optimi, & sapientissimi, atque ab omni vitio summoti. Quo fit vt si ex miraculis, alijsque argumentis persuadeamus, authoramentum nostræ fidei esse testificationem alicuius numinis præpotentis, & naturâ maioris, extemplo ad Aristotelis doctrinam efficiatur, vnum Deum esse patratorem eiusmodi effectorum, in quem vti perfectissimum, nec error nec mendacium cadere potest: adeòque constet, vera esse quæcumque credimus, falsisque argumentis inclinatum fuisse Aristotelem in aduersas opiniones.

Tertium est, quod cum philosophorum nemo de virtutibus, ac vitijs tam verè, atque exquisitè quam Aristoteles disputauerit, ex hoc pariter nostra Religio supra sectas omnes credibilis, & approbanda euincitur; hæc enim vna, & à vitijs omnibus pura, & virtutum omnium patrona nihil præscribit quod ad Aristotelis, hoc est ad germanæ philosophiæ regulam cum rectâ ratione non apprimè conueniat.

Hæc sunt quibus ex Aristotelis armamentario instruimur

ad

ad alias sectas profligandas. In ijs verò super quibus de diuinitate inter Christianos, & Aristotelem disconuenit, ab omnibus æque sectis nũc dominantibus Aristotelis opinio repudiatur. Nulla enim hodie secta diuinitatis prouidentiam præmijs ac pœnis virtutem & scelus prosequentem diffitetur. Parum verò nocet aduersarius, si solitarius; Ille hostis infensissimus, qui vexillum extollit numerosâ fœderatorum cohorte stipatum, quique venenorum ritu, multa vndecumque ad se trahit quæ simul conspirant in perniciem.

Sed vtcumque in Aristotele quædam prauа sint, id percommodè accidit in eius doctrinâ, quòd cœcos scopulos, atque occultà toxica non timemus: Quidquid vitandum est, expositum est. Ideò illum sine suspicione: quamuis non sine exceptione, auctorem sequimur: quemadmodum non ideò semita intuta est quòd foueas habeat quas nisi declinaueris ruas, modò non magis pedibus quàm oculis pateant, & aperto tanquam ore viatorem declinationis admoneant. Id periculosum quod inexpertum, quippe in qualibet sui parte suspectum. Et huiusmodi sunt nouæ illæ opiniones quas multi vel procreare instituunt, vel iam diu è gymnasijs extubatas tanquam ab iniusto exilio reuocare.

Terram, perpetuò circumagi, post veteres quosdam ab Aristotele reiectos docuit nuper Copernicus Galileum deinde ptobatorem nactus: haud diu fuit cùm diuinis aduersitas deprehensa est. Interim eiusmodi opinio quamuis à sacro magistratu seuerè percussa, tamen altè actis iam tenacius fibris non tam radicitus erui potuit quàm interuelli. Similiter ex concursu atomorum quæ nec gigni, nec perire queant, vniuersa conficiunt noui quidam philosophi Democriti physicam peripatheticæ anteferentes. Quid tum? Nouitas illa phantasiæ nostræ infirmitati blandita, quæ phantasia supra corporum dimensiones motionesque nihil cognoscit, magnam illexit sectatorum turbam, ex ijs maximè qui metaphysicæ sacris nihil initiati, quod suæ intelligentiæ vel arduum vel ignotum experiebantur, idem inane, ac falsum desiderabant. Sed huius doctrinæ labes postea detecta; quippe turbans quæ super Eucharistiæ mysterijs ab Ecclesiâ docemur, nec non parum accomodata ijs quæ de humanæ animæ natu-

ri Lateranense Concilium pronunciauit. Interim verò ea sententia tam firmiter multorum animis insedit, tam latè propagines distendit, vix vt alio excidi possit telo quàm tempore, cuius dentibus falsa omnia, ceu tabida ligna facile, deteruntur, veritate interim cedri more incontaminatâ. Nihil ergo tutius, quò philosophiam Theologiæ semper fidam & consentaneam auditoribus nostris inspergamus, quàm religiosè Aristotelem sequi, nisi vbi iam constat eum cum Christiana fide non conuenire.

In quibus vt confidentius ab eo recedere nobis liceat, mirum quantum prodest idipsum quod, ne Aristoteli adhæreamus, aduersarij deprædicant: hoc est, quòd Aristotelis doctrinam subsecuta sensus experientia in aliquibus damnauerit: Ita enim nihil insolens atque inauditum accidit si asseramus eumdem deceptum esse in quibusdam alijs magis reconditis, & ipsius Dei magisterium desiderantibus.

Denique adeò Societas extra reprehensionem est in Aristotelis adlectione, vt hoc ipsum numeretur inter summa beneficia quæ magno Aquinati debet Ecclesia, quòd Christianam Theologiam cum peripatheticâ philosophiâ iam tum dominante tam bellè sociauerit, vt Aristotelem Christo militantem iam non aduersarium habeamus. Quò factum est, vt impius fidei desertorum vexillifer Lutherus tam immani odio in Aristotelem insanierit, vt eius dialecticam *pellicem inferorum*, ipsum Aristotelem inter cætera conuicia, *histrionem qui græca larua Ecclesiam lusit*, appellare non dubitauerit. Quodnam luculentius testimonium prævalidi ensis quàm fremitus confossi hostis?

CA-

CAPVT XXV.

An Societas aliqui mereatur ex nimia in philosophandi nouitate licentia. Vbi; an reprehendendi simus quod nemini addicti, quod in contextu Aristotelico explanando, & in præcipuis pulcherrimisque quæstionibus omissiores, in superuacuis ac nouis nimij.

INgredior alteram partem expostulationis quam super nostris philosophicis studijs proposui capite præcedenti, & in qua plures laxitati nostræ in opinando succensent, exigentes vt toti simus in Aristotelis verbis ceu mysterijs explicandis, nullâ nouâ quæstione excitatâ; in antiquis verò agitatisq; aliquem sequamur Aristotelis interpretem, quò summa sit sententiarum inter nos non concordia tantum sed etiam immutabilitas.

Mirationem facere potest, quòd ij qui summopere magnorum veterum auctoritatem in reliquis adorant, in vno tamen vnanimes ab illis omnibus discrepent; Illi enim veteres scriptores inuentionis alacritatem & gloriam enixè fouerunt, multis detestati eorum vel demissionem, vel inuidentiam, qui nouitatem omnem vel tanquam dementiam aspernãtes, vel tanquam audaciam criminantes, nullam laudem non seruilem suo sæculo concedebant. Ita summi Poetæ passim decantant, ita Oratores declamitant, ita Philosophi disputant.

At verò illi qui se aliosque eiusmodi Poetis, Oratoribus, Philosophis arctissimè deuinctos volunt, hanc ipsam virtutem apud illos celebratissimam suis æqualibus vitio vertunt, hoc est intractata proponere, irreperta venari. Sed enim ratio in promptu est. Scilicet mercator qui magnam auri vim ex negotiatione collegit, nouas auri venas effodi nollet, ne quod pecuniæ congessit ipse, ex auraria illâ aliorum copiâ vilescat. Ita homines lectione diuites, ingenio steriles, quales plerique literatorum, nullas existere nouas sapientiæ diuitias cuperent, quoniam nullas esse cuperent extra suas.

Inuen-

gymnasijs faceremus. Illa enim intenta, ac patiens obscurissimi iuxta ac neruosissimi sermonis meditatio, canos & maturitatem exigit, sicut amariora quædam vina ac præualida cum tenerioribus palatis malè conueniunt.

De reliquo Societas Aristotelicum contextum non modo non neglexit, sed egregijs conuersionibus, & commentationibus illustrauit. Nam & Conimbricense Collegium Dialecticam, ac Physicam vniuersim summo studio latinè reddidit, & Fonseca Metaphysicam, & Gallutius Ethicam: qui omnes præclaros etiam commentarios adscripsere. Quid dicam de Francisco Cardinali Toleto, quo nescio an vllum viderit ætas nostra aut scientiorem aut amantiorem Aristotelis? quid de Pererio in Physicâ, quid de Suario in Metaphysicâ, quid de Vasquio vel in Theologicâ? Enimuerò nullum reperies Aristotelis effatum aut sententiæ vi ponderosum, aut verborum ambiguitate perplexum, quod eiusmodi scriptores non euoluerint, & expenderint.

Verùm, aliqui è Societate philosophiam ediderunt Aristotelico succo parcius aspersam. Ediderunt vtique: non tamen ab Aristotelicis principijs dissidentem: ediderunt in ijs regionibus quarum longinquitas aliaque impedimenta vetant, ne librorum editio constitutis Romæ à Societate censoribus subdita sit: ediderunt, ingenij laudem non sine aliqua conscientiæ notâ à nobis ipsis reportantes: ediderunt, sed noui eam inter nos auctoritatem assecuti vt quas ipsi sententias propugnent, liceat nostris professoribus eadem è suggestu docere. Interim non id nobis pollicemur vt quodcunque è Societate opus exierit, id confestim sine venia commendetur. In aliquibus nouum laudo, neglectum veteris eruditionis non laudo. Sed ne Naturæ quidem opificia placent ex omni parte: ideò & in picturis, & in cænis, & in fercalis contraria ipsa miscemus, quoniam singula vti à natura sunt ita delectant, vt etiam offendant, adeòq; expedit vt corrigant simul & corrigantur: Nec tamen apibus singuli flores aspernabiles licèt nullus eorum per se mellis confecturæ sufficiat.

Quamquam vero philosophi aliqui è Societate parci, & infrequentes fuerunt Aristotelis cultores, non ideò culpam hanc qualemcunque in Societatem vniuersè conferis.

Nisi

Nili Dominicanam familiam quæ cum paucis Aristotelem semper & coluit, & honestauit, ab eo defeciſſe contendas quoniam Thomas Campanella vir effrænatè ingenioſus atque eruditus perpetuum Aristotelicæ doctrinæ bellum indixit. Scilicet iniquiſſimum eſt ex licentioris cuiuſpiam ciuis maleſactis Rempublicam æſtimare.

Iam verò de altera parte in qua reprehendimur, quòd non aliquem certum Aristotelis interpretem complexi ſimus quò nulla ſit inter nos opinionum diſſentio. Optauit id quidem Societas; nihil enim ad voluntatum concordiam proficientius quàm concordia ſententiarum. Ideò & Ignatius vt omnes idem ſentiamus nos enixè cohortatur, & Claudius Aquauiua in eo cœtu quem memoraui ex omnibus Europæ regionibus ad rationem ſtudiorum elaborandam coacto, præcipuam operam adhiberi voluit ſuper opinionum delectu, eâq; gratiâ ibi integrũ annũ ſuper præcipuis ſingillatim quæſtionibus diſputatum, vt inqualibet ea deprehenderetur ſententia quæ communior, probabilior, tutior; vtque huiuſmodi ſententiæ tantis probatoribus prævalentes, exinde communiter & conſtanter à Societate retinerentur. Sed cum id exequi fruſtra tentatum eſt, tum experimento patuit quantâ iniuriâ multorum bonorum abſentiam magiſtratuum negligentiam vulgus opinetur; quorum bonorum confectio cuicumq; facilis apparet præter quam experienti. Facultas enim ſeu poteſtas id habet ſingulare, vt longius proſpecta grandeſcat, propiùs inſpecta nonnunquam præ tenuitate vaneſcat. Naturam ipſam accuſamus, quaſi & in noſtri corporis ædificio, & in tempeſtatum viciſſitudine, & in ſegetum procreatione vel inertiorem, vel omiſſiorem: Ea tamen ſi humanis vocibus purgare ſe vellet, intelligeremus in huiuſmodi reprehenſionibus nihil peccati niſi temeritatem noſtram, nihil mendoſi niſi noſtras ratiocinationes contineri, qui de ſummis beneficijs querimur, ſummamque ſapientiam emendamus.

Agamus iam, atque aggrediamur animo & cogitatione ſpecioſum hoc bonum quod correctores noſtri à nobis expoſcunt.

Rogo; hic Ariſtotelis interpres in cuius verba iurare Societas debet, erit ne aliquis ex veteribus atque externis, an

è recentioribus, & noſtris. Porrò ex veteribus varij ſunt Ariſtotelis commentatores æquè probabiles, æquè probati, quorum alij in alijs prouincijs præhabentur: multique de Societate hunc, multi illum anteferunt. Fac ſi potes vt ſponte omnes in vnum conſpirent cæteris repudiatis.

Accedit quòd nemo illorum eſt qui aliqua non habeat ſingularia, dura, ſcholis inuiſa, quibus aſſerendis totam Societatem, omnemque iuuentutem nobis commiſſam vbique gentium adſtringere, lex vtique eſſet nec vtilis, nec ſeruabilis, adeòque non lex. Quanta nam querelarum materies auditoribus noſtris, ſi intelligerent, ſibi à Magiſtris pro veritate compertos errores ingeri, & in gymnaſijs noſtris domeſticum Sodalitatis bonum non germanam Reipublicæ ſcientiam, foueri?

Ecquis diſcipulorum non ſuſpicioſas, atque incredulas præceptori aures daret, dolos pro eruditione formidans? Quis Princeps, quæ Reſpublica nobis Academias crederet, quò apud nos ingenuæ illæ veritatis officinæ in fraudulentos ſophiſtarum ad voluntatem diſputantium ludos degenerarent?

At, inquis, eligatur de noſtris ſcriptoribus vnus aliquis, qui ex veteribus probatiſſima decerpſerit; ſeu etiam, ſi magis libet nos ipſi collato ſtudio tanquam apes ex omnibus optima & deguſtaturis ingenijs gratiſſima delibemus: ſed tandem opere abſoluto forma illa opinandi & docendi nobis & poſteris præſcribatur.

Nil ex his intentatum Societas reliquit: E noſtris quidem nemo adeò ſupereminet alios doctrinâ & plauſu, vt in hac literarum Republica ij qui ciues æquales erant, eum Regem ferre aut velint, aut debeant. Quædam Religioſæ Familiæ, atque in primis Dominicana, & Franciſcana Doctorem aliquẽ pepererunt ingenio, eruditione, famâ reliquos domeſticos prætergreſſum tam longo interuallo vt is tanquam iure Naturæ dominatum occupauerit. Ille enim naturâ non caſu nec violentiâ regnum habet in aliquâ gente, vt Ariſtoteles acutiſſimè philoſophatur, qui animi dotibus omnes alios ingenti ſpatio ſupergreditur. Vbi verò pauci quidam æqualis præſtantiæ, ibi Natura non Regnum, ſed Ariſtocraticum poſcit

ſcit Imperium. In hac quorundam ſuorum paritate Societas noſtra verſatur. Hoc verò incommodi, vt ſuſpicor, modeſtia maiorum noſtrorum intulit. Nihil enim ex omni parte ſic prodeſt, quin etiam lædat. Nempe cum gubernatores noſtri aut ijs itineribus ſeuerè interdictis omninò ſtatuerint vt in philoſophiæ curriculo aliorum veſtigia legeremus, neceſſe fuit vt noſtri omnes in ſecundis conſiſterent. Nam quicumque ſequitur, poſterior eſt; nec qui ſe diſcipulum gerit, quandiu ita ſe gerit Magiſtrum æquare poteſt: quo pacto diuinum illud effatum, *non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum*, doctiſſimi Eccleſiæ Patres expoſuerunt. Ita negatur nobis, quod præclariſſimum eſſet, non quærere externa, domeſticis eſſe contentos. Neminem ergo Societas habet cui deferre principatum Lycei noſtri aut meritò debeat aut cæteris volentibus poſſit. Et tamen omne regnum vt proſit, à regnantis merito ſit oportet; vt perſtet, à populi conſenſione.

Neque inexpertum fuit apud nos pariter illud alterum; videlicet vt aliquis philoſophorum coetus à Societate deſignatus ſententias in qualibet re opportuniſsimas cooptaret. Id porrò & à Conimbricenſi Collegio tentatum; & poſtea ab eo prædoctorum hominum delectu, quem vndecumque accerſitum à Claudio Aquauiua ſupra meminimus. Sed omnia in caſſum: Non enim pauci vocari poterant quibus cæteri faſces meritò ſubmitterent, & quorum auctoritate duci ſe aut potius pertrahi paterentur. Præter id quod ne inter paucos quidem conciliari poterat communis illa in cunctis quæſtionibus concordia ſententiarum: Quando videmus in controuerſijs valde apertioribus & facilioribus, hoc eſt forenſibus, haud crebrum eſſe vnanimem ſuffragiorum conſenſum vbi quatuor vel ſex iudices tribunal componunt. Quid verò ſi omnes alicuius famæ atque auctoritatis conuenire debuiſſent; hoc eſt præceptores innumeri contrarijs doctrinis enutriti, contrarijs opinionibus defixi, contraria ſortiti ingenia? Quid multa? An non Reipublicæ commodiſsimum eſſet vt ſuper qualibet omnino quæſtione iudiciali ſimus eſſet iuriſconſultorum in ſcribendo conſenſus; ne per varietatem opinionum veritas in ambiguo ſit, adeòque & affectio impunis quia latens in tribunalibus dominetur; & ne in-

con-

contractibus omnia suspiciosa, in Republicâ omnia litigiosa, quo nihil nocentius ad publicam felicitatem? Nulla tamen Regum vel potentia, vel cura id assequi potuit vt inter incertas dissidentium iurisperitorum assertiones tota forensis iustitia non fluitaret. Quilibet sanè in domesticâ sodalitate communem concordiam petit & cohærentiam; sed qualem petit magnesius lapis: nimirum vt ad ipsum immotum reliqua deferantur. Ne linguarum quidem vnitatem, quæ commercio peropportuna esset, obtinere Principes in suis Regnis potuerunt quanto minus ingeniorum?

Verum hæc omnia quæ fieri nequeunt, quæque frustra sæpe tentata, finge facilia, finge iam facta; finge vnum aliquem scriptorem eligi, recipi, pacificè in nostris scholis dominari; illicò ne philosophantium nostrorum concordia? Nequaquam. Concordia ne inter sectatores Diui Thomæ, aut Scoti, aut Bacconij? imò verò magna dissensio. Et ea quidem ex duplici capite.

Primò quia nullus est auctor adeò planus quin ambiguè multa dixerit. Ea verò multam exhibent certandi materiam inter illius auctoris interpretes.

Secundò quia in illius auctoris pronunciata posteriores externi eique non emancipati pluribus argumentis inuadent, eiusque auctoris rationes plurium obiectu infringere conabuntur. Porrò & aduersùs eiusmodi tela sectatores illius auctoris extruere cogentur varias munitiones, & aduersùs hostium munitiones noua tela conflare; quorum alia alijs probata, eadem alijs improbata. Hic verò alter certaminis campus: nempe humanis ingenijs sponte superbis nil tam amatum tam speratum quàm victoria, adeoque nil tam frequens tam quæsitum quàm contentio. Hinc sanè tanta aleæ gratiâ & frequentiâ est supra omnia ferè mortalium obiectamenta, hinc tanta spectaculorum celebritas, in quibus quot actores: tot aduersarij. Hæc verò potissima est causa curde summis quæstionibus adeò ieiunè, de minimis tam saturè differat recens philosophia. Nam de summis illis Aristoteles apertè pronunciauit, eique omnes ferè subscribunt; Quocirca qui veritatem in illis demonstrat, non tam viuentem aliquam ac vegetam philosophiæ sectam inuadit, quàm

Melissi

Melissi atque Anaximandri nescio cuius euanidum vetustate iam nomen exagitat, adeoque in mortuos tanquam hostes sæuit, ac victos vincit ingloriâ pœnè victoriâ. At hæc inania ab Aristotele prætermissa integram opinandi optionem recentibus offerunt: Ideò hæc philosophorum arena. Vtinam humanus animus scientiæ appetentior esset quàm excellentiæ. Sed ita comparati sumus; Nihil satis placet quod in commune possidemus: vtque vnumquemque magis delectat fonticulus aut hortulus domesticus, quàm Tyburtinæ Estensium vel Tusculanæ Aldobrandinorum deliciæ si populi sint; ita cuique gratior micat doctrinæ scintillula ex proprio ingenio excussa, quàm noua scientiæ sydera quibus ipse aliunde colluceat.

Quare si certum Aristotelis intrepretem sequeremur, haud quaquàm concordia, sed de minutioribus altercatio nasceretur.

Denique omnem remoue altercationem, finge cuncta pacifica nil controuersum inter nostros; quid tum? Scholas non tam remendasti, quàm hebetasti. Celebris physicorum sententia est, si graue aliquid locaretur in vacuo, vbi nihil ei obsisteret, præ celeritate torporem obuenturum, neque maiore impedimẽto descensui fore adamantinũ obicẽ, quã obicẽ nullum. Nonne videmus, & in agone, & in palæstra, & in bello quantas vires addat aduersarius aduersario? Beluas ipsas validiores facit ad cursum contentio. Memini id & alijs professoribus, & mihi accidisse, vt cum interdum discipulis aliquæ, & si noua, & iucunda, cogentia tamen, & perspicua traderemus, confestim torpere ingenia, languere studia, quasi stomachus ex leuiore cibo: quocirca necesse fuit deditâ operâ quædam intermiscere meditanti ambigua, propugnanti ardua.

Quod si hæc argumenta quæ profero, quamuis per se videantur aperta, suspiceris tamen excogitata ad moris nostri defensionem; animo percurre ætates omnes, nationes, scholas, familias philosophorum, & vide, vspiam ne aut vnquam viguerit hæc concordia philosophia, quam à nobis requiris.

Ex alijs quidem familijs nonnullæ sunt quæ breuiores concertandi fines permissos habent: sed in illas tandem angustias

vires

vires omnes vtrinque coguntur; cætera securè percurrunt. Exemplum huius rei domesticum vidi, quo nullum aptius. Disconuenit nobis cum inclytâ Dominicanâ familiâ super efficacitate diuini auxilij. Nulla causa vehementioribus studijs vnquam suscepta quàm hæc à nobis; quippe accusatis ac reis, adeòque non tantùm ad victoriam, sed ad defensionem. Quæstionis sublimitas, accusatorum auctoritas, publica mortalium expectatio, Societatis nouitas ac proinde existimatio non satis firma, & si causâ caderemus, casura, singulos nostrum pro virili parte ad eam propugnandam tanquam pro aris, ac focis, incenderunt. Quid tamen? Cum Societatis sententia varijs rationibus explicari ac defendi possit, iam eò ferè peruentum est vt plus negotij ac studij in hac ipsâ quæstione apud nos ciuilis quàm externa contentio habeat. Domestica enim, quippe propiora, & acriùs irritant, & vehementiorem habent ictum vel molestiæ, vel voluptatis.

Dissensionem igitur ingeniorum in philosophando ex alijs in alias quæstiones transferre potes, pacare aut mitigare non potes, vt pote quam natura ipsa expetit, & per omnes rimas venatur.

Cæterùm, animaduertè num hoc postremo sæculo maiores processus quam apud nostros fecerit philosophia vel in illis gymnasijs vbi totus labor Aristotelis expositione concluditur, vel apud eas familias quarum opinandi facultas arctioribus cancellis circumscribitur. Enimuerò si vnum Galilæum excipias, qui nactus ingenium confidentiæ par, fœliciter audax vocari possit, nisi alicubi cum lyceo sacrarium negligere visus esset; Si eum, inquam, excipias, cuius scripta si non assensionem, admirationem certè merentur, non ita multos numeraueris extra Societatem quos in magnorum philosophorum senatum fama prouexerit, & quorum libri longum & præclarum auctoribus æuum prorogauerint; Cum tamen Societas permultos dederit libros quorum repetitæ editiones continenter typographos defatigant, quosque multi quidèm sequuntur, pauci reprehendunt, omnes euoluunt.

At; in his magna nouarum quæstionum luxuries sæculo compescenda. Haud inficior; sed vidisti ne vnquam nouam

Digitized by Google

segetem quin *inter pinguia culta Infelix lolium, & sterilis dominentur auenæ*? Extra hortos illos à Deo consitos, à gentilitio peccato nobis ademptos, nullo in solo vtilia segregata, à superuacuis generantur. Artis, & iudicij est, tondendo. amputando, circumcidendo, scilicet demendo, perficere.

Indica, si potes, philosophiam, non dicam apud nostros, sed apud Græcos, apud Arabes vsquequaq; seriam & fructuosam: quin potius eamdem semper inuenies à Socrate, à Platone, à Seneca, à Satyricis Romanis ex inanitate quæstionum irrisam? Quid dixi philosophiam? reputa quæstiones grammaticorum, rhetorum, iuris interpretum, eorum qui de Poeseos naturâ disputarunt, criticorum antiquariorum: Omnia nugamentis conferta. Cuius ratio in promptu est. Cum enim in cursu verbulum quoddam scribenti excidit, statim alius, quæ libido corrigendi est, id refellit. Auctor contra, ne silentium erroris confessio habeatur, professus tuetur, quod preteriens dixerat; itaque diuisâ in partes assectantiũ philosophorum Republicâ, quæstio sit quodeuagatio cogitationis fuit. Vbi verò semel datus quæstioni locus in lyceo non est integrum priuata auctoritate cuipiam ex professoribus illam negligere. Discipuli enim, quando non omnia condiscere possunt, nolunt saltem quæ ab alijs sciuntur, ignorare: Horum quippe ignorationem inscitiæ dedecus credunt, aliorum, humanæ naturæ conditionem vocant. Videlicet sicut nihil tam præclarum ac dulce quàm alijs negata potiri, sic nil tam asperum, ac probrosum quàm carere vulgaribus. Fateor equidem, id causæ mihi fuit cur in tradendâ philosophiâ quæstiones aliquas agitauerim præsertim in logicâ, quas meâ sponte præterijssem, quippe non suopte ingenio pulcherrimas, sed vsu iubente iam necessarias.

Veruntamen bona pars eorum qui nos in hac re sugillant, quid superuacaneum, quid eligendum in quæstionibus, nihil internoscunt. Superuacaneum quippe intelligunt quod si scias, nulli vsui futurum sit humanæ vitæ: quod si ita esset maximam eamque præstantissimam philosophiæ partem ablegare deberemus; nam quæ scitu pulcherrima ac diuinissima, ea summè inutilia ad viuendum, vt initio metaphysices præclarè Aristoteles demonstrat. De qua re accuratè dictum

est à me in libris de Bono. Gregariæ siquidem, viliſque ſcientiæ eſt, non ſuâ, ſed emolumenti gratiâ expeti. Et cum inter bona, quædam ſint quæ *media* vocantur, quaſi medium locum tenentia inter nos & ea qua propter ſe à nobis quærun-tur, vt medicinæ vt pecuniæ; quædam verò appellentur *fines*, quoniam illis poſſeſſis nihil vltra appetentes progredi-mur, ſed gaudentes quieſcimus; vix aliud quippiam tanto iure inter bonorum fines numerabis quàm ſcientiam. De qua re in eo quem dixi libro, vt opportunius, ita ſubtilius diſputaui. Iſti ergo cauponantes potius literaria ſtudia, quam literarum ſtudioſi, commodè redarguntur Senæce verbis, quibus ipſe repellit Epicuræos, ſimilem vtilitatem in virtute, quàm iſti in ſcientia, deſiderantes. *Erras*, inquit, *dum interrogas quid ſit illud propter quod virtutem petam. Quæris enim aliquid ſupra ſummum. Interrogas quid petam ex virtute ipſam. Nihil enim eſt melius ipſa: pretium ſui eſt.* Id ſortaſsè de virtute iactantius quàm verius dictum: melior enim virtute ſelicitas; ideòque ipſa virtutis præmium: at de ſcientiâ veriſimè, vtpotè quæ ipſam conſtituit ſelicitatem, ſupra quam, vltra quam nihil boni, nihil optabilis. Sed quando breuitas & humani captus, & vitæ, multa complecti ſciendo mortalibus negat; ideò quæ fortuita, quæ ſingularia, quæ fluxa meritò tranſimus, veritatem illam ſectantes quæ à natura eſt, quæque vniuerſalis atque æterna, qualem tradit philoſophia: præſertim verò philoſophiæ colimus partem illam qua de rebus obſcuriſsimis ijſdemque diuiniſsimis edocemur. Nullum quippe aliud hominis bonum aut à beſtiis remotius aut ſuperis propinquius. Qui ergo quæſtiones illas vnde nihil fluat emolumenti ad actionem vitæ, contemnunt, non modo Ariſtotelem, S. Thomam, cunctam denique ſapientum cohortem aſpernantur, ſed perinde faciunt, ac qui maiore in pretio ficedulas, quàm luſcinias haberent; quòd illæ vtiliores ad victum. Et ſanè in quibuſdam problematis non tam rei præſtantia quàm veritatis inueniendæ difficultas inueſtigationi pretium facit. Quid namque? An ſublime quid eſt ac diuinum ſi circulum inuenias quem quadrato prorſus æqualem demonſtraueris? Nihil ſuapte naturâ tenuius; & tamen in hac inueſtigatione cum Archimede illo

de vita Beata cap. 9.

illo ingeniorum miraculo tota Geometrarum natio irrito, sed nõ illaudato studio desudauit. Non ergo aut inutilitas aut obscuritas, quęstionum agitationem damnat, sed alia duo capita.

Alterùm, si quæstio non tam de re sit quàm de nomine, quales magnâ ex parte mihi videntur quæ nunc tractantur in logicâ

Alterum, si quęstio nõ obscura tantũ, sed adeò præclusa sit, vt nulla cernatur ad inuestigandum rima; quales pleræque ex illis controuersijs quæ suscitantur aut de Angelorum intelligentia, aut de ijs quæ præter ordinem Deus facere potest.

Nisi in hoc duplici quæstionum genere effrænatius vagaremur, nihil est in quo nostram accusent philosophiam. Hæc autem euagatio peccatum est non tam nostrum quàm humani ingenij, aut præ imbecillitate temere progredientis, aut præ audacia ad negata contendentis.

Ridiculum verò est vniuersè prohibere ne de nouis quæstionibus disputetur, quasi aut nihil vltra quærendum supersit in immensitate philosophiæ, aut humanis mentibus Hercules nescio quis hoc vltimo sæculo columnas præstituerit in hoc Oceano, vltra quas enauigare futuris ætatibus non liceret.

Dicunt; si omnes in idem tuendum conniteremur, fore vt nouis nouisque aggeribus continenter extructis doctrina Societatis quotidie confirmaretur: cum in præsentiâ, Cadmæi tanquam fratres, mutuis nos ipsos plagis debilitemus. Ita ne verò? Id porrò non esset scientiam aucupari, sed famam, opiniones semel arreptas modo veræ sint modo falsæ, per fas, & nefas humanis mentibus dominantes imponere; veritatis indagandæ curâ externis relictâ: vno verbo non philosophũ agere sed sophistam. Id ipsum verò ad famam quoque exitiale. Cum enim naturâ humanum ingenium ita effinxerit vt sua sponte feratur ad veritatem, nulla philosophorum natio melius audiet apud literariam Rempublicam vniuersè quàm quæ plus veritatis exponat; quemadmodum vera præfactitiâ purpura semper placet. Veritatem verò nemo melius assequitur quàm qui sincerius exquirit. Iure deridet Cicero philosophos illos qui prius quid sentirent, quàm cur ita sentirẽt,

constituebant. Quod ergo isti correctores nobis suadent, nec ad intimum bonum, nec ad exteriorem famam conduceret.

Clamant nihilominus, eò iam nos deuenisse in tantâ opinionum discrepantia, & quæstionum subnascentium multitudine, vt philosophicum idioma non vnum sit apud nos, sed multiplex atque innumerabile: ita vt nec à senibus iuuenes, nec à iuuenibus senes intelligantur, nec qui in vnâ Academiâ eruditi sunt capiant iam eorum sermones qui ex alia Academiâ prodierunt.

Multa ex his verò veriora, sed nihil horum imputandum aut discrepantiæ sententiarum, aut nouitati quæstionum; Quando eadem lingua quæ nunc extat, & cuius vim omnes percipiunt, abundè sufficit vocabula omnia per quæ proponere possimus quæstionem quamcumque humanis animis cogitabilem, & de singulis his in vtramque partem disputare. Alia ergo huius incommodi origo est, eaque non euitabilis.

Porrò sicut cæteri sermones loci ac temporis varietate variantur, adeò vt non dicam in diuersis regnis, sed in diuersis finitimis pagis aliqua semper sit differentia loquendi, & in eâdem vrbe alijs verbis iuuenes sermocinentur, alijs senes, ita contingit in artibus, quarum vnaquæque suum peculiarem sermonem suasque voces sibi proprias concinnat, vt Cicero obseruauit initio quinti libri de finibus. Et de hoc philosophorum idiomate fusè Ioannes Picus Mirandulanus in epistola ad Hermolaum Barbarum, nosque multa diximus in italico libello *super didascalico stylo*. Hinc accidit vt noua indies philosophica vocabula subnascantur, seu veteribus obsoletis substituta, seu ad aliquid compendio significandum, quod antea multæ circuitionis indigebat: Hæc verò nomina à minoribus excusa non passim intelliguntur à grandioribus natu, & in aliquo gymnasio recepta, alijs gymnasijs sunt peregrina. Sed cum primùm in vulgatis libris vsurpantur, communia fiunt ac perspicua, præterquam bonis quibusdam senibus qui iuueniles annos tenui philosophiâ tinxere, postea verò alia omnia curantes, quemadmodum nihil noui condiscere amant, ità quidquid nouum auribus sonat, vt insolens detestantur. Non ea mihi audacia est, vt senilem existi-

existimationem vniuersè aspernari malim, quàm venerari. Quis nescit & sacræ hierarchiæ sacerdotia, & politicos magistratus ab ætate illa ceu reliquis sapientiore, nomen quà græcè, quà latinè desumpsisse? At quemadmodum ideò falsum aurum imponit vulgo, quia eius color plerumque verum aurum comitatur, sic inerudita multorum canities ideo turbam decipit, quia ille consuetus est sapientum capitum color. Cæterum duo compertissima sunt. Alterum, plures eximios in senectute, quàm in iuventâ numerari. Alterum, vt eximia vbique rara, sic in senectute ipsa plures esse vel rudes vel gregarios, quàm eximios.

De reliquo hæc nouatio vocabulorum nihil inobscurauit philosophiam apud homines vere philosophos: Hos enim hæsitare in vocabulis nunquam videmus; sed vel è re subiecta cæterisque attributis facilè coniiciunt recentis vocabuli potestatem, vel certè ab eò quo cum disputant, significationem percontantur. Hæc igitur hæsitatio vel in effoetis quibusdam senibus est, eo rudioribus quam recentes discipuli, quod non plura quam hi didicerunt plura oblitione dedidicerunt; vel in tironibus qui non tam philosophantes quàm philosophicè balbutientes, quicquid audiunt secus ac à præceptore acceperint, ceu monstrosùm vituperant.

Iustior videri potest illa multorum expostulatio quam Scottus ipse tanquam vulgi præco recensèt, quod pulcherrimas philosophiæ quæstiones negligamus, vel quæ cœlestium Orbium naturam continent, vel quæ facultates atque operationes triplicis animæ, vel metallorum, herbarum, inferiorum denique corporum omnium qualitates, motiones, pugnas, iuncturas, mixturas scrutaneur, vel quæ ad summi procreatoris, secretarumque corporeamentium intelligentiam ac dotes, pertinent, quatenus hæc naturali ratione contingi possint. Cum tamen *chimeræ*, atque *hippocentauri* magnam deprædentur partem nostræ philosophiæ.

Non inficior, aliquos ex præceptoribus nostris dum è rebus veris ad commentitia meditanda securius euagantur, eam imitari inconsiderantiam; quæ Macedoni tribuitur, quod angusto mundi tanquam carcere pressus æstuaret, cuius tamen ipse mundi minusculam partem vix expugnasset. Cæterum

rum non vsquequaque inutilia sunt qui disputantur super chimæris atque hippocentauris illis, ad quorum occursum isti tanquam minuti canes latrant ipsam conlatrantes philosophiam, ignotam scilicet sibi faciem. Ex ijs enim quæstionibus maximè pendet cognoscere tum facultatem illam singularem immortalis animi non tantum res obiectas contemplantis, sed extruentis; tum ea quæ deinceps theologia examinat super Dei omnipotentiâ, quæ à nullâ re cogitabili, tanquam artifex ab inobsequenti materiâ, destituatur; tum denique potissima principia & dialecticæ, & metaphysicæ. Explicatur enim in ijs quæstionibus vis illius supremi pronũciati: *non potest idem simul esse & non esse*, cui incumbit tum tota ratio connexi in dialecticâ argumentatione, tum omnis metaphysica ratiocinatio: Explicatur quid tandem sibi velit; *rem aliquam esse possibilem, eiusque notionem expugnantibus non componi*: vtrum hoc re ipsâ nihil sit præter Dei vim effectricem, in qua res illa tanquam fluuius in fonte aliquatenus continetur antequam emanet; an id potius sit aliqua veritas insecta quam Deus à se ipso distinctam ex æterno tempore sibi præsentem contemplatur.

Agedum, quid vanius, quid leuius, quàm vmbra? ideò ne tamen astrologum ceu leuia sectantem carpes quòd vmbras ex planetarum disco cadentes tam operosè dimetiatur? Scilicet per vmbras illas illustrantur ingenia quò parentes lucis globos obliquè peruideant, quibus directò perspiciendis impar est hominum acies.

Permaneo in hac imagine. Quid aliud sunt conficta ista, quorum commentationem aspernaris, quàm euanidæ rerum vmbræ? At mortalium animi Platonico tanquam antro concluſi, solida, atque æterna vera aduersis obtutibus inspicere non possunt: vmbras aspiciant, easque meditentur necesse est, vt ex illis qualemcumque rerum cognitionem deducant Ideò tractatio illa vt incipientibus obscurior damnari fortasse potest, vt leuior derideri non potest quin risus ille ceu audacis insciticæ soboles iustiore risu sit deridendus.

Cætera quorum neglectum criminantur, porrò vel à Societatis philosophis negligi aiunt, vel in Societatis Academijs prætermitti.

Primâ

Primâ parte nihil falsius. Vide Suarium Ruuium, Dandinum, Conimbricenses, Fonsecam, Schibertum, Cabæum aliosque permultos, quorum aliqui omnia, vt Suarius, cæteri alius alia quæ isti poscunt exquisitè pertractarunt.

Sin verò quæruntur, hæc in gymnasijs nostris parcius attingi; videant quæso num in alienis vel publicis Ciuitatum, vel priuatis Religiosorum liberalius exponantur. Et hoc quidem cunctis ferè disciplinis commune. Si medicinæ operam dederis, manet in vestibulo Hippocrates; *Ars longa, vita brevis*, Si iurisprudentiæ, quantula pars Cæsarei, vel Pontificij iuris à præceptoribus enarratur? Si rhetoricæ, quis nam est cui omnia tum epistolaris, tum oratoriæ, tum poeticæ, tum historicæ facultatis genera, ac præcepta, cui vniuersos veterum libros eloquentiæ nobiles magistri non dicam explicauerit, sed indicauerit? Neque ob id professores accusandi: nulla enim disciplina tam breuis, quæ si cum ætate illi addiscendæ tributa conferatur, non habeat instar fluuij quem vacua nuce quispiam includere tentaret; Quid ergo attinet tantas excitare querimonias, quod philosophia non plenè tradatur in Scholis nostris, quando hæc Oceanus ille est ex cuius immensitate aliæ artes tanquam riuuli descendunt? Certè Scottus qui bis philosophica spatia docendo confecit, nihilo amplioremviam quam reliqui statuto triennio percurrit.

Quando autem multa etiam ex pulcherrimis vel præterire, vel cursim indicare necessitas cogit, promptum est cur breuiores simus nominatim in quæstionibus paulò ante memoratis, quarum accuratam tractationem isti monitores à nobis efflagitant. Nam quæ super numinis naturâ ac dotibus philosophicæ meditationis essent, adeò innexa sunt ijs, quæ ex theologico tripode sunt pronuncianda, tantumque, cùm firmitatis, tum, lucis ex ipsius Dei locutionibus accipiunt, vt commodior ijs explicandis locus S. Thomæ visus sit in vestibulo Theologiæ. Idemque Angelorum ingenia ac proprietates Theologiæ adscripsit, quoniam hæc præcipuè ex parte diuinis testimonijs & sanctorum Patrum auctoritate cognoscuntur. Quocirca satis remur, Deum vnicè vt efficientem causam, Angelos vt astrorum motores, in philosophicis gymnasijs contemplari.

Alia

Alia verò quæ Cælum, metalla plantas, altricis denique ac sentientis vitæ munera complectuntur (nam de officijs animæ intelligentis multa in philosophiâ, reliqua in theologicâ tractatione de humanis actibus cum eodem Diuo Thomâ apud nostros disputantur) tradimus quidèm, sed contractiore doctrinâ duplici de causâ.

Prima est, quia hæc initiandis, atque erudiendis adolescentibus non tam necessaria, quàm quæ generalissima sunt & per omnes rerum ordines peruagantur; cuiusmodi sunt, quæ accuratius in physicâ tuduimus, initia corporis naturalis, quatuor genera causarum, motus, locus, tempus, quantitas, & similia horum; specialia enim illa ad hæc vniuersalia scienda non ducunt; at vniuersalibus istis probè intellectis facilè ingenium vel sine doctoris ope ad hæc specialia descendit.

Altera causa est, quòd in scholis vtilissimè tractantur, quæ discipulorum literarijs concertationibus accommodatissima: Nihil enim vel ad membrandum constantius, vel ad acuendum vehementius, vel ad resides excitandos acrius, quàm necessariæ pugnæ dubius euentus: in qua pugnâ decernitur non vter pugnantium potiora sortitus sit instrumenta, sed vter eorum sit potior. Manus enim nostræ sunt, mens ipsa nos sumus. At, quæ dixi omissiore calamo tractari, parùm apta sunt literario certamini, quippe quæ magna ex parte vel geometricis figuris, vel sensilibus experimentis non cuilibet perspectis continentur, quorum illæ oculis non auribus intelliguntur; hæc verò attentum examen sensuum præmitti desiderant, vt vera illorum causa deprehendatur. Ideò vtraque ad depræliantium ingeniorum puluerem minus idonea vsus ostendit.

Equidem id mihi contigisse testari possum: Cum hæc eadem me persuasio teneret, immerito præteriri hilariorem illam partem philosophiæ, cæterà horridæ & aliquâ illecebrâ ad celebritatem cultorum sibi parandam indigentis, postremum philosophici curriculi annum solidum dicaui placidioribus istis, sensuique cognatioribus. Quid tum? quamuis discipulos nactus essem ingenio studioque præstantes, vix tamẽ ex ijs quispiam, fuit quin eiusmodi quæstiones citius quàm

didice-

Digitized by Google

didicerat obliuiſceretur; quippe lentitudine quadam concertationis, ſegniori quaſi malleo animis infixas. Quare id contigit mihi quod pleriſque nouam procurationem aggredientibus: Ea' factitare inſtituunt quæ deceſſor omiſerat, quaſi emendantes: at breui experiuntur, erratum ſuum fuiſſe quod alieni errati correctionem tacitè gloriabantur.

Quid efficitur ex his? Enimuerò de omni quidem arte iudicare peritorum eſt vel in illâ, vel in aliâ ſuperiore quæ tali arte vtatur ad finem ſuum comparandum, ceu militaris equeſtri: ſed profectò vnius philoſophi omnino eſt de philoſophidis ſtudijs ſententiam ferre: quando philoſophia vt pote artium ſumma, ſuperiorem ſe non agnoſcit cuius tribunali ſe ſiſtat; ac tanquam ſupremus Rex iudicis poteſtatem obtinet in illis etiam cauſis vbi litigatoris partes agit. Et tamen criminationes iſtas ſuper opinionum diſſenſione, aut nouarum controuerſiarum procreatione nunquam legi aut audiui ab aliquo qui excelluerit in philoſophiâ, quique non tantum oculis, ac memoriâ vt plerique, ſed ingenio philoſophus fuerit primi nominis; niſi fortè poſtquam pertæſum eſt philoſophandi, adeòque iam philoſophi vt munus, ita iuriſdictionem poſuit. At quicumque in philoſophiâ clarent, nihil horum arguunt, intelligentes aliqua eorum laudem, alia certè excuſationem mereri, reprehenſionem nulla; vt pote quæ mutari vel non expedit, vel non poſſunt. Sed nihil tam pronum humanæ arrogantiæ, quàm vt minimi de maximis infenſius pronuncient. Ideo vti priuatorum, ita literatorum turba nationum æquè ac doctrinarum Principibus obtrectat. Quid mirum, quando terrigenarum ocelli ſolis magnitudinem cometiri, & ad pedalem contrahere non dubitarunt?

CAPVT XXVI.

An vsus dictandi in philosophicis gymnasijs retinendus sit.

HVnc morem non emendatores tantum, sed legislatores nostri auersati sunt, mandantes vt quoad fieri posset vitaretur: Plusimum quippe temporis, ac laboris absumit tum discipulis, tum magistris. Cum tamen expeditissimum videretur inter editos libros plausuque famæ comprobatos, à præceptore aliquem eligi, quem communiter sequeretur, atque exponeret, sed tanquam amicus, non tanquam addictus; ita nimirum vt identidem, vbi videretur, ab eo recederet, paucula intenscribens in loco.

Verum nisi homines aut ingenio tardi, aut oblocutione præproperi essent; nihil cunctatiores damnarent quàm, quod legum latoribus inuisum, subditis nonium molestumque, & tamen vsitatissimum vident. Id enim contra tot aduersarios vnâ inuictæ necessitatis tutelâ perstare potest.

Enimuerò dictandi vsum ad philosophiæ traditionem necessarium esse primò quidèm experientiâ docemur, hoc est probatione omnium, si non potissimâ, certè clarissimâ. Quamuis enim in quibusdam gymnasijs magistrorum commentationes auribus, non calamis committantur, prælectiones tamen illæ sicut in conuiuijs crustularia simulacra, non tam ad alimoniam sunt, quàm ad pompam; atque instar meri non epoti, sed extimo ori irrorati, ad horam duntaxat cerebrum roborant. Porrò vix quempiam numerabis adeò acroamaticum, vt per solas aures, hebetem scilicet sensum atque obliuiosum, magistri doctrinam altè immiserit in ingenium. Communis vtique docentium consuetudo, eademque peruetusta aduersùs hanc dicam nobis patrocinatur. Interroga cæteras religiosas familias, atque in primis Dominicanam, quæ maximè certum, atque vnum auctorem sequitur, quæque suam docendi formam alumnorum claritate probauit; interroga, inquam, num ibi & magistri, & discipuli calamo parcant;

Digitized by Google

parcant; num linguâ illinc, auribus hinc satis agatur? Nihil minus. Neque sola philosophia huius moris exempla nobis suppeditat, sed etiam aliæ disciplinæ multò plus auctoritati, ac vetustati tribuentes, adeoque nouis magistrorum commentationibus minus alendæ. Cui nam arti promptius esset aliena tantum prælegere, atque exponere quàm iurisprudentiæ, quæ nouitates perosa, quantacumque nunc est, auctoritate continetur? Nec tamen facile videris iurisprudentiæ magistros qui, si non publicâ, certè priuatâ dictatione discipulos non erudiant. Non ergo facile hanc institutionem redarguas licèt idoneam illius causam non inueneris. Scito namque, neminem rarius errare, quàm integram artificum nationem in ijs quæ arte sua continentur, vt potè quorum præ omnibus habent & scientiam, & peritiam, & meditationem; cum tamen omnis error ex alicuius horum trium defectu nascatur.

At, inquis, ad propriam magistrorum gloriam non ad publicam addiscentium vtilitatem mos iste dirigitur. Fac ita esse; quod tamen falsum pauló inferius reuincam, sed interim fac ita esse. Porrò, si experimento constat, ne in religiosis quidem cœtibus communiter à magistris ingentem hunc meditandi, docendique laborem deuorari nisi hoc glorioloe quasi melle conditum, opus erit vel id permittere, vel à Naturâ impetrare, vt humani animi affectiones, temperiemque reformet. Medici sanè multa ægris nauseantibus concedant, quæ per se insalubria sunt, quò cibi fastidium tollant; quod enim dolentes, & quasi nolentes volumus, id diu velle vix possumus. Vt ergo magistris alacritas sit operosissimi ministerij, corpus iuxta mentemque incredibiliter defatigantis, necesse est vt saltem honestum magistri nomen ac dignitas illis inuiolatum maneat, neque in subdocentis, adeoque subseruientis abiectionem degeneret, quò laboris tristitia saltem muneris decore leniatur. Scilicet quemadmodum possessiones, ita opiniones, publicæ negliguntur, propriæ curantur. Sicut ergo propterea satius fuit vt maxima prediorum pars non publica esset, sed priuatis ciuibus distributa, quò singuli proprium diligentèr excolerent, ita in philosophicâ Republicâ expedit vt præter paucas quasdam opiniones, ac

doctrinas ex veteribus quasi hereditario iure acceptas, & recentibus communes, quilibet magistrorum habeat multa priuata, ac propria, atque à se vnicè curanda; Rariora quidem circa summam ipsam vniuscuiusque quæstionis, præsertim ponderosæ, atque antiquæ, spissiora verò in explicando, probando, confutando, respondendo; ne alioqui hebescant ingenia veriùs quam perficiantur, nec tam constabiliatur philosophia, quàm iaceat: Nec tantum philosophia, sed etiam reliquæ artes: Quando in vnâquaque, vt notaui, semper aliquid nouũ nouitate; si non verâ certè supposititia magistri tradere gestiunt, & veterum præceptis appendicem aliquam recentis obseruationis attexere, ne apud discipulos merè discipuli videantur.

Igitur expediret morem hunc retineri licet vnicè ad magistrorum voluntatem inductus esset. Veruntamen nego ad discipulorum profectum vtilius fore vt vulgati cuiuspiam scriptoris quem præceptor elegerit, exponantur libri, quàm vt noua dictentur.

At enim, inquis, Nonne maior Suarius, Fonseca, Toletus, quàm gregarij præceptores? Credo. Vtilius ergo discipulis illorum, quàm horum scripta peruoluere? Haud cogens consecutio est. Ista enim disputandi ratio in multis peccat. Primum quidem, non quoties scriptor est maior, illico scripta quoque maiora. Siquidem artium inuentores, & quasi parentes longè maiores sectatoribus, & quasi nutricijs fuere; adeòque inter Deos habiti: nec tamen eorum opificia nostris maiora. Putasne, primam ratem à Dædalo extructam cum ingentibus Hispanorum Gaulis, in quibus vnus ad alterum terrarum Orbem pessumdatis Oceani furijs transuehitur, comparandam? Maior vtique Mercurius ac Pan, quorum alter lyræ, alter fistulæ repertor, quam cytharopæi, vel organopæi hodierni. Nemo tamen rudimenta illa vagientis musicæ præferet organis, ac cytharis nostris tam varijs, tam multiplicibus, tam dulce melos profundentibus. Hoc autem quod in artibus haud rarò, in philosophiâ multò sæpius contingit. In artibus enim opificium vnius ab opificio alterius aliud semper est ac distinctum. Quamuis ergo plerumque facile fit imitari quod difficillimum fuit inuenire, aliqua tamen

menopificia adeò excellunt, vt non modo æmulationem, sed ne imitationem quidem nisi longè inferiorem admittant, ceu Virgilij carmina, Tullij orationes, Titiani tabulæ. At in philosophiâ non tam imitamur, quàm addimus; veterum enim rationibus meditationibusque receptis nostras adiungimus. Nullus autem Oceanus adeò magnus quin superinfusa stillula crescat. Quamobrem possunt recentium philosophorum scripta meliora esse quàm veterum, licet horum authores præ illorum auctoribus emineant: Maxima enim illi inuenere, minima hi, sed maximum minimo cumulatum grandescit. Sic etiam Nicolaus Perottus, & Ambrosius à Calepio maiores fuere, vt arbitror, industriâ, ac laude, quàm qui noua dictionaria congesserunt; Sed hæc veteribus meliora quippe maiora, vti quodlibet totum maius est parte sui. Scholasticorum theologorum facile Principem non ætate tantum, sed præstantiâ Ioannem Damascenum salutamus; Quis tamen, vt quempiam hoc tempore theologicis doctrinis imbuat non Caietanum, Suarium, vel alium ex recentioribus præ Damasceno legendum addiscenti proponat?

Nempe vulgatum est exemplum pigmæi, quem si gigantis capiti imponas, gigante celsiorem feceris.

Deinde, non quæcumque meliora sunt per se, meliora sunt vnicuique. Nonne Saulis arma per se ad pugnam meliora, quàm funda, & fluuiatilis lapis? non tamen meliora pastorculo, quem insuetum onus oppressisset potius quàm muniuisset. Nonne merum aquâ melius ad potum? melius vtique, sed non febricitantibus, vel infantibus. Ita præteritorum philosophorum libri validiora sunt arma quàm recentium magistrorum scriptiones, sed teneris discipulorum manibus, imbecillisque humeris nimis grauia, nec ferenda: plus, interdũ habent succi; succum tamen illum infantia condiscentium ingenia pati, & concoquere non possunt.

Enimuerò quemadmodum Aristoteles in Rhetoricâ obseruauit, inter orationes non easdem ad audiendum, atque ad legendum optimas esse, ita quæ philosophicæ dissertationes maximè bibliothecas exornant, non eædem aptissimè gymnasium erudiunt. Scilicet qui librum edit, vniuersam literariam nationem, totamque posteritatem compellat; qui e scholastico

lastico suggestu doctrinam discipulis dictat, ad puerilem imbecillitatem sermones inclinat, neque conuiuium magnatibus, sed lac pueris edentulis parat. Extant apud nos quæ Gabriel Vasquius, quæque Franciscus Suarius è cathedrâ theologicâ tradidere. Hæc sanè si prodirent, pro quam ieiuna, quam grandibus auctorũ nominibus minora viderentur, & tamen erant perquàm idonea discipulis, vt potè qui non melius in tantâ librorum ab vtroq. editorum amplitudine, quam piscatorij lintres in Gaditano Oceano natassent.

Adijce ad has causas, quod philosophia, sicut imber est, qui si largus ac præceps, diluit, non imbuit; guttatim assiduus cadat necesse est, vt in solum penitus influat, eiusque aritudinem emolliat. Non minus commodè irrigantur ingenia, si magister in singulos dies pauculum quid dictet, atque enarret. Nam eæ voces tanquam stillulæ continenter infusæ in mentem peruadunt, eiusque incultam asperitatem subigunt, quam deinde litterarij pulueris agitatione tanquam ærationе conficiunt; interimque discipulus nec receptis prægrauatur, & subsecutura cupidè inhiat, quin hæc ex præteritis suspicatur, & interdum præuidet; itàque non tantum docetur, sed inuenit.

E contrario si librum aliquem typis vulgatum exposueris, discipuli præproperâ auiditate multum legentes præcurrent sine fructu, quia sine ductu; postea verò defloratâ iam nouitatis voluptate, vbi magister eadem interpretari aggrediatur, illa ceu nota fastidient, vel securi atque oscitantes excipient. Effatum verò medicorum non magis in corporis quam in animi fercula valet; ea salubrius nutrire, quæ iucundius cupidiusque manduntur.

Hæ potissimæ fuerunt causæ, quæ hunc dictandi morem in scholas inuexere: qui si laboris, ac temporis multum exigis, non ideò eum inopportunum, sed adeptionem philosophiæ difficilem esse colligas; quando Aristoteles his omnino duobus ipsum *difficile* definit; nimirum: quod fieri nequit vel sine diuturnitate temporis, vel sine perpessione laboris.

CA-

CAPVT XXVII.

Cur non saltem in Theologia certum auctorem sibi Societas præstituat: & an reprehendenda ceu nouatrix aut absolutè aut comparatè ad alias sodalitates.

NVllam audiui criminationem, aut magis frequentem, aut minus æquam aduersus Societatem, quàm quæ ipsam vocat in theologicis præcipitem ceu nemini addictam, nouatricem ceu multa ingerentem in scholas ante inaudita.

Circa vtrumque videamus primum quas leges Societas habeat, deinde quomodo illas exequatur: vt constet num succensendum aut nostris legislatoribus quasi laxioribus in præscripto, aut nostris moderatoribus quasi conniuentibus in violatione.

Age, neminem certum Doctorem Societas sequi iubetur. Ergo effrænatè possumus quidquid libuerit asseuerare, quo nihil exitialius in Theologia: hæc enim disciplina nisi veterum auctoritate quasi cancellis circumseptâ, nullum figet vestigium à præcipitijs vndique ambientibus tutum. Hæc aduersarij.

Ego verò constanter affirmo, nullum esse alium religiosum Ordinem, inquo per suas leges melius huic discrimini caueatur. Quid enim? Alij Ordines ita vni ex suis mancipati sunt, vt eum sequi debeant, etiam vbi singularis, ac solitarius. Nullus enim est auctor cui schola sic obsequatur quin aliquâ in opinione incomitatus incedat. At nobis præscriptum est, in singulis quæstionibus sententias sequi receptas & communes. Et quando inter scholasticos nemini magis plauduat aut Ecclesiæ Romanæ præconia, aut recentium Theologorum suffragia, quam Diuo Thomæ, statutum est, vt eum prælegamus, eiusque doctrinam sequamur; & nemo quem non ei ex animo fauentem moderatores intellexerint, Theologicis cathedris imponatur. Quoniam verò aliqua

sunt

sunt in eo summo Doctore quibus frequentior posterorum existimatio non consentit, iubemur in his maiorem Ecclesiæ partem comitari.

Ad hęc, quoniam aliqua sunt quę scholam ex æquo fere diuiserunt, parte alterâ Diuum Thomam sequente, alterâ relinquente, ius nobis est vtramlibet eligendi, modò rarissima sit ab Aquinate discessio: hanc enim veniam vel ipsi Diuo Thomæ addictissimi sibi sumpserunt; Nec plurima probanti aliunde maior fides quàm ex pauculis improbatis.

Denique, quoniam in multis anceps est Sancti Thomæ sententia, super qua certant qui ei & animo & calamo summopere student, in eiusmodi ambiguitate optio nobis manet; quæ tunc ne Dominicanis quidem magistris inconcessa. Quid ni enim, quando in ipsa diuinorum librorum expositione vbicumque Catholici interpretes discordant cuicumque illorum adhæreas, fidem Deo non violasti?

At inquiunt, cur non passim in omnibus saltem communi aliorum calculo non reiectis Diuo Thomæ subscribere iubemur, quò minor sit opinandi licentia? Modestiæ hoc fuit non licentiæ. Quid enim? Dominicanæ quidem familiæ laudabile fuit, quem alumnum erudiuit, magistrum adoptare, tueri, cunctis præferre. At reputa nouam sodalitatem, cui externorum institutio committitur, quæquæ plures inuenit in Ecclesiâ scholasticos Doctores, eximios, probatos, familiam ducentes; an non inuidiosum si alijs repudiatis in vnius tantum verba iuraret? Ecclesia certè vnâ cum Aquinate Bonaueturam, quamuis Aquinati magnopere dissidentem, Sanctorum Doctorum albo nuper adscripsit: Franciscana Familia studijs inclyta, numero innumerabilis, vel quem memorauit Bonauenturæ, vel Ioannis Scoti doctrinam asserit. Augustiniana Aegidio, Carmelitana Bacconio, Seruitæ plurimum Henrico suffragantur. Quanta ergo vndecumque in nos indignatio, si vni penitus agglutinemur reliquos aspernati? Quando illos omnes in honore habet Ecclesia, & in publicis Academijs Pontificiâ auctoritate, atque adeò pecuniâ fundatis, libera est magistris electio sententiarum super quibus inter insignes scholasticos disconueniat. Quin etiam eâdem auctoritate alicubi certæ statutæ sun cathedræ quarum pos-

essores

ſeſſores Bouauenturę, Scoti, Durandi, aliorumue ſcholæ Principum decreta propugnare iubentur.

Et verò cum hominum mentes ita effictæ ſint à Naturâ vt quod veritatis ſpeciem præfert, vnicè ament, quod falſum videtur, auerſentur; quid aliud erit quàm inuitâ Naturâ inciuilius mancipare regalem hominis partem, ſi cogas ea cõplecti quæ quandoq; falſa eſſe poſſunt quęque ſapientũ bonorumque complures ceu falſa dijudicant? Non æque abſynthiũ palato, fœtor naribus ingrata, ſicut falſitas menti, hoc eſt nobiliori pariter acriorique hominis facultati, & inimicam ſibi peſtem infenſiùs abominanti. Porrò ne ipſe quidèm naturæ opifex ac dominus aſſenſionem à nobis exigere poteſt vbi errari aſſentiendo poteſt: vt ſummam fidem ſibi vindicare queat, fallere nequeat oportet.

Intelligo quid reſponſuri ſint rerum noſtrarum cenſores: linguæ non animo imponendam legem: Magni Aquinatis doctrinam profiteamur exteriùs; ſi quid contrarium videatur, liberum habeat in animo domicilium, ab ore atque à paginis exulet.

Sanè quicumque ita præſcribunt, næ ipſi ignorant quid ſit philoſophari, ſcilicet (id enim ſæpius repetendum) memoriam exercere ſoliti non ingenium. Nil tam intolerandum quàm prò inimico militare, hoc eſt quàm ea munire rationibus, ſuadere diſcipulis, celebrare, tueri, in Regnũ literariæ gentis inferre, quæ auerſamur tanquam falſa, rationi, adeòque Deo & menti contraria, quorum alter veritas eſt, altera tantum boni poſſidet quantum veri. Interpretem animi natura linguam formauit, & ne locutionis emolumentum, inter animantes homini ceu Regi proprium humanæque ſocietati perneceſſarium, fraudibus corrumperetur, procliuitatem quamdam obſequij ac fidei erga animum indidit linguæ. Quo factum eſt, non modò vt duorum teſtimonium liquidiſſima veritatis probatio cenſeatur, ſed vt nemo tam perditè falſiloquus ſit quin plerumque verax: vt in libris de Bono demonſtraui. Fluxa res, ac frigida fictio eſt: citò perſonã ponit, ſegniter agit: &, quemadmodum factitij Semiramidis Elephanti, in campum deduci poterit, pugnare non poterit. Vix vnquam ſuadebit præceptor alijs quod ſuadere non potuit lib. 2. c. 39

tuit sibi, quodque suadere ita studet vt nollet. Effluet ex aliquà tandem rimâ quod fouetur in animo. Ac proinde neutram præceptoris sententiam discipuli benè condiscent: non veram quam non docentur; non simulatam quam tepidè palam docentur, & quam remotis arbitris dedocentur.

Ideò legem Societatis hac in re consultissimam reor. Neminem iubet inuitum Aquinati se adijcere, sed nemini Theologiæ magisterium credit quin is Aquinati ex animo se adiecerit. Ita enim & Aquinatis doctrina nostris in gymnasijs dominabitur, & dominationem obtinebit qualem Rex, non qualem Tyrannus habet, hoc est non extortam sed voluntariam; quæ vt honestior ita firmior.

Hoc loco multi vociferantur, bellè obtendi hæc à nobis in legibus nostris, sed facta longè dissentanea; scriptores, ac professores nostros passim aberrare à Diui Thomæ doctrina; sed multos ex inobsequentibus, ne inuerecundi sint, mendaces esse, non tam Diuum Thomam comitantes, quàm Diui Thomæ inuitissimi verba in suam sententiam pertrahentes; instar quorumdam; qui seditionem in aliquo Regno excitantes, regia tamen vexilla extollunt, & Regis, quem inuadunt, nomen ac tutelam profitentur.

Hæc in vulgus spargi solēt, vt apud illiteratos, hoc est apud plurimos, Societatis doctrinæ si non despecta, certè suspecta sit. Despectio enim vitium æmuli est acutique, suspectio minoris, & caligantis. Et porrò nemo ista in animum inducet nisi vel theologiæ rudis, vel odio, non oculis credens. Examinentur Theologorum nostrorum scripta quorum auctoritate ducimur, quorum scientiâ gloriamur, Vasquij, Suarij, Molinæ, Arrubalis, Valentiæ, Alemanni, Augustini, Toleti, Bellarmini, Lugi, aliorumque eiusdem notæ. Horum inuenies aliquos Diui Thomæ vestigia religiosissimè seruantes: in alijs verò paucula quædam Diuo Thomæ dissentanea numerabis, at consentanea non numerabis, quippe innumerabilia. Idem de singulis præceptoribus aio. Eduntur quotannis in qualibet Academiâ Theses nostræ de vniversâ Theologiâ, vbi quinquaginta paragraphis positiones circiter quingentæ cõtineri solent. In his, cùm plurimas, quatuor aut quinque Diuo Thomæ repugnantes notabis, sæpe nullam. At enim Diuum

Digitized by Google

uum Thomam sequimur nō illum germanum qui scripsit, sed ementitum, & qualem ad libidinem nobis effingimus: Quemadmodum, quod ait ille, *sua cuique Deus fit dira cupido*, ita sua cuique Diuus Thomas fit mendosa persuasio. Non est ita: tribunal certum in promptu est. Plures extant Diui Thomæ commentatores, ac sectatores celeberrimi ex alijs familijs, & scilicet ex Dominicana. Age verò: repetam exemplum quod indicaui: quēadmodum vbi communis Catholicorum consensio diuinis verbis vnam eamdemq; sententiam attribuit, si repugno, diuinæ auctoritati repugno; at vbi præclari interpretes discrepant, cuicumque adhæserim, Deo me adhærere iure profiteor; ita planè, quid ni ego germanus Thomista fuero si vel Ferrariensem, vel Caietanum, vel Sotum, vel Medinam, vel alium eiusmodi ducem habeo quem sequar?

Sed vti Principes nationum, ita disciplinarum habent adulatores suos; quorum alij specie illâ splendoris atque amplitudinis obruti, alij grande aliquid rati grandibus nominibus immoderatè fauere, quidquid infra superstitiosum cultū est, ceu contemptum execrantur. Neque nos aut solos, aut primos calumnia ista momordit. Caietanus ille exacti sæculi primum decus in lyceo, & quasi vnus omnium dignus qui diuinam illam tanquam humanæ sapientiæ Summam commentarijs ornatissimis cumularet; quem tanti habet Dominicana familia, vt ab eo dissētire in qualibet eius Ordinis Academia inuisum, alicubi etiam impermissum; hic, inquam, talis ac tantus illius militiæ ductor, infidelitatis in Sanctum Thomam vulgo accersitur, quasi eius doctrinam identidem non tam explicare quàm corrumpere videatur, quasi patrocinando præuaricetur; & verbis Aquinatem animo Scotum gerat. An nobis dica purganda sit Caietano cōmunis. hoc est viro iuxta Sanctum Thomam eius scholæ principi, eidemque validissimo Pontificiæ potestatis assertori, in cuius sapientiam se inuolasse Romana purpura gloriatur?

Denique neminem indicabis paulò præstantioris ingenij theologum, quem similis criminatio non allatrauerit. Mediocris quippe literatorum turba quàm hebes in videndo, tam acris in inuidendo, viuentium excellentiam perosa, vt habeat, quos illis præferat, maligna quadam veneratione cineres in-

discriminatim adorat: Hæc inter noua, & antiquis contraria non internoscit; adeòq; illos dumtaxat in vnâquaque disciplinâ veteribus obsequentes prædicat, qui nihil veteribus indictum dicunt; Cum tamen potius veterum sapiẽtiam repræsentare in eo denique sit vt illa dicamus quæ ab ipsis nunc si viuerent dicerentur. Per hoc nempe in nobis veterum commẽtationes nõminus fertilitati, quàm nutricationi se idoneas ostendunt, neque alendæ tantum, sed multiplicandæ scientiæ natas. Equidem sic interpretor, si sensus aliquis humanæ gloriæ Cœlites tangeret, non postremum inter sua decora sapiẽtissimus Aquinas numeraret quod tot è Societate scriptores eum eruditissimis commentarijs exornauerint; Inter hos verò sibi honorificentiores duceret Vasquium, ac Suarium, à quibus vel præclare defenditur, quod frequentissimum, vel reuerenter relinquitur, quod rarissimum, quàm Alemannum, & Augustinum, quibus omnia Sancti Thomæ dicta summi pretij, ac proinde nullum eorum summi pretij. Quẽadmodum inter Diui Thomæ discipulos plus decoris redijsse arbitror præceptori ex Aegidio Romano à quo alicubi refutatur, quàm ex gregarijs auditoribus, qui eius doctrinam vniuersam indistinctè ac securè venerarentur; præclariusque eidem arbitror, Caietanum, ingenium illud admirabile, interpretis, & si paulò liberioris, partes sub tanto doctore non dedignatum, quàm Capreolum, & Ferrariensem, prædoctos vtique commentatores in eiusque doctrinâ seruandâ religiosissimos. Scilicet pulchriùs est à summis ciuiliter coli, quàm à minoribus famulanter adorari.

Sed videamus, an hæc Societatis nulli mancipatæ libertas in vitium exciderit ex licentiore innouatione doctrinarum: quod fuerat alterum caput accusationis.

Porrò mihi haud aliud in hac lite votũ est quàm illud commune bonam causam fouentibus; iudicem nancisci non imperitum. Cum enim obtrectatio vel sine probatione vulgarem fidem inueniat, proin calumnia ibi audacior, vbi ex cõmuni ignoratione reuinci difficilior. Tribunal igitur maximè legitimum, hoc est peritos, appello: atque aio nullam ferme esse religiosam familiam Scholasticorum frequẽtiâ celebrem, cui vel maior opinandi cautio, vel minor nouitas quàm Societa-

cretati. Rem asserui turbæ incredibilem, sed eruditis confessam, & planè certam; Age: Duæ in primis fuerunt sacræ Familiæ quarum theologicæ lucubrationes ingenia doctrinis illustrarunt, nobilitarunt Ecclesiam, Religionem communiere, Dominicana, & Franciscana, quarum Institutores non ex vano per somnium visi sunt Romano Pontifici labantem Lateranensem Basilicam humeris sustentare. Verùm inter Dominicanos Theologos quot singularia, quot reiectanea? Non modò Durandus, & Catharinus pietate iuxta, atque ingenio eximij, in quibusdam ab Ecclesiâ improbati, in multis Scholasticorum calculo repudiati; non modo Heruæus Natalis eiusdem familiæ Generalis Magister, & Rorbertus Holkot plurima enunciarunt à communibus decretis alieniſsima; sed illi quibus meritissimò gloriantur, Paludanus, Syluester, Caietanus, Canusque quam multa edidere quæ nemo nunc nec tatis quidem probatoribus ab audaciæ criminatione tutus asseueraret? Ineptirem si hæc ad inuidiam, vel contumeliam: quantula enim ea sunt si cum tot alijs componantur, per quæ reperta viri illi de literis, de veritate, de Cœlo ipso sunt immortaliter meriti? Mirum sanè ingenia mortalium per ardua diuinitatis tam sublimè perreptasse: interdum inibi labasse nil mirum. Scilicet cum se, suaq; omnia Ecclesiæ iudicio subdiderint, quod magnorum est, in sublime iaculati plurimum collimarunt, quod hominum, aberrauere nonnunquam, quod prudentū, erroribus se obnoxios rati, quod piorum denique, Vaticanæ censuræ virgam ferre quàm ingeniosæ pertinaciæ clypeum opponere maluerunt.

Nec secus videre licet in alterâ quam memoraui nunquam satis collaudatâ Franciscanorū familiâ. An Okamus, an, Nouocastrensis, an Aureolus doctrinâ quàm purpurâ clarior, alijque eiusdem ingenij scriptores omnia dixere veteribus consentanea, & extra spem veniæ cauta? Quid plura: Alensis ipse, ac Scotus, hoc est sacri Athenei fastigia, non ita pauca edidere sententias quibus (extra Minorum Academias Scoti sui defensionem laudabiliter professas) nemo ferè sine confidentiæ nota subscriberet.

Rimare nunc Auctores nostros, ac præsertim illos à quibus nobis gloriatio, & quibus à nobis obsequium, Vasquium, Suarium,

rium, Valentiam, Molinam, Sancium, Lessium, Bellarminum, Lugum, alioſque conſimiles: quid in eis deprehendes audaculum aut ſuſpicioſum; immò verò quid deprehendes, cui ipſum auctoris nomen ſatis ad probabilitatem non ſit ſi vnum aut alterum effatum excipias; quale illud Suarij quibuſdam veteribus Thomiſtis commune de confeſſione epiſtolari, nec non illud Leſſij de diuinis auxilijs, quod & ſi cenſuram Eccleſiæ ſenſerit nullam, nos ipſi tamen vtpote Auguſtino, Thomæque vti, opinamur aduerſum, tanquam degenerem à Societate doctrinam vltrò repudiauimus?

Molinæ porrò quaſi noua ſeu verius damnata promenti viri clariſſimi diem dixerunt; Quid tum? in Luſitaniâ primum, mox in Hiſpaniâ, demum Romæ à ſupremis ſuper Religione Iudicijs examinatus, aduocatis eâ gratiâ ex omni Chriſtiani Orbis regione Theologis famâ inclytis, ſemper inuictus, ſemper intactus, nunquam plus gloriæ & ſibi & Societati peperit quàm cum abſolutus eſt tantis accuſatoribus Reus.

Hæc non eò ſpectant vt Societatem modeſtiæ cautioniſq; laude in opinando reliquis Ordinibus anteponam. Multum enim intereſt in quæ tempora quis inciderit. Nempe aliorum Ordinum Scholaſtici veteres meditationi theologicæ ingenium addixere dum in Latinâ Eccleſiâ omnia ferè pacata; nullus nouatorum turbo: ideò informidata eo tempore qualis qualis audentia, ſine qua tandem nemo aut inclaruit aut literas illuſtrauit. Quicumque magnus, hic idem fœliciter audax fuit: contra, vt ille ait:

Serpit humi tutus nimium, timiduſque procellæ.

At Societas exorta eſt per eam tempeſtatem qua nouatorum temeritas diuina omnia peruoluerat, adeòque, ceudum inter finitimos peſtilentiâ graſſatur, nihil tunc peregrinum quin de contagione ſuſpectum. Ideò tuta ſpecioſis præhabuit; maluitque ſalubritati ſtudere quàm palmæ; ſuoſque veterum aſſeclas eſſe, quàm poſterorum ductores. Quid ergo? vſque eò querela iſthæc audacioris nouationis Societatē immerentem ferit, vt ipſa eximias acuminis, atque inuentionis coronas facile ſibi parabiles in Theologico ſtadio publicæ ſecuritati litauerit, non tam repertorum ſuorum mater, quàm nutrix alienorum.

Simi-

Similitudo non incommoda occurrit. Agricolatio quidem mercaturâ nobilior, at non eadem semper vtilior. Illa enim noua promit ac sua, sed proba vitiosis intermixta; hæc verò sui sterilis aliena comportat, sed electa, & quò deferuntur nunquam inopportuna.

Hac secundaria laude Societas fuit contenta, ne primam splendidiùs sibi quàm tutiùs Reipublicæ sectaretur.

Sed quando gloria vel nõ accersita virtutem sequitur, nullaque præstabilior virtus quàm tibi non prodesse vt omnibus prosis, re ipsâ contigit vt dum Societas per insignem laborẽ communi saluti magis quàm priuatæ gloriæ studebat, illam tenuerit, hæc in ipsam inuolauerit. Neque id mirum; nullius enim animantis industrius labor non vtilior tantum, sed commendatior, quàm qui præstantissimum homini succum scitè seligit ex alieno, atque operosè componit in suo.

At me ità differentem turba semiliteratorum sic interpellat: An non recentiorum vnus, aut alter, e Societate in Theologicis libris aliqua edidit non ita communiter assensa? Esto, quid tum? Prætereo, ista manasse in illis Prouincijs quarum longinquitas non patitur communem nobis legem, ne quid promatur quin se publicis nostris Censoribus Romæ probauerit: Ea enim est cuiusque humanæ potestatis conditio vt imperanti plus abesse, ac minus subesse, reciprocentur: Prætereo, eiusmodi scriptorum apud nos nihilo plus auctoritatem valere quàm Durandi, aut Okámi sui penes Dominicanos, ac Franciscanos: Prætereo, id cunctis religiosis sodalitijs commune; & ne longa enumeratio ad inuidiam congesta videatur, duos instar omnium recentissimos produco; Paucis hisce annis Thomas Campanella Dominicanus vir qui omnia legerat, omnia meminerat, prævalidi ingenij, sed indomabilis, quid nõ ausus est aut contra Aristotelem in philosophiâ, aut contra Diuum Thomam, adeóque Scholasticos vniuersos in Theologiâ? Neque illi multum absimilis Valerianus Magnus Franciscanus, pius vtiq; ac doctus, nec minus ad actionem, quam ad contemplationem natus, idemq; vel in sæco Regibus carus, hæreticis formidolosus: Is enim, & libellum vulgauit vbi assiduam quamquam surdam numinis intimè præsentis experiẽtiam comminiscitur in nobis nullius effecti ænigmatis indigentem;

tem; & aliam dissertatiunculam nuper dedit in qua non tantùm inane solidis permixtum aduersus Aristotelem se demõstrasse gloriatur, verùm etiã ibi vacuo tanquam in theatro, accidẽtes rebus qualitates nulli subiecto corpori innixas, sed suâ vi stantes asseuerat; adeòque præcipua Theologorum dogmata super ineffabilis Eucharistiæ mysterio conuellit? Nec tamen hæc qualiscumque nouandi libido ad Ordines illos præclarissimos manat. Alia enim longè sunt hæc duo: præseruidis quibusdam ingenijs laxiores habenas permittere ne constricta violentiùs erumpant; ac, eisdem ceu inculpatis, laudandisque fauere, patrocinari, subscribere. Prætereo, inquam, hæc omnia; & id vnum noto à nostris censoribus vel inobseruatum, vel dissimulatum.

Duplex est nostrorum sententijs theatrum: gymnasia, & bibliothecæ. In gymnasio quidém quasi in publico sacrorum militum tirocinio dapes parare conuenit non innoxias tantũ, sed salùberrimas, ac probatissimas; delectus enim ibi totus parantium est, nullus conuiuarum. At in bibliotheca, tanquam in macello varia ferculorum genera exponenda, haud lethalia quidem aut putrida, sed non omnia optimi succi ac nutrimenti. Varijs enim palatis, varijsq; stomachis, alia alijs, iucundiora, & cognatiora. Scilicet opiniones illæ quæ ab aliquibus nostrorum editæ raris Theologorum suffragijs approbantur, vtcumq; typis permissæ, suggestum non exscendunt: quod si eò clanculum obrepant, illicò exturbantur: talesque sunt quales exules periculo suo interdictam regionem attentantes. Et ne forte diuersitas hæc ex ingenio potius à me concinnata quàm narrata ex vero credatur, nota rei exempla commemorabo.

Gabriel Vasquez, vir ille ingenio, atque eruditione dum viueret (fortiter dicam) nulli secundus, cum hìc Romæ Theologiam profiteretur, eam tradere sententiam parabat, quam postea typis ita suasit vt multis magni nominis persuaserit; amorem Dei super omnia eiusmodi actum esse qui per se, & etiam si eum ab omni habitu diuinitùs infuso incomitatũ animo complectamur, admissi peccati maculam deleat, et in adoptiuos Dei filios amantes transcribat. Hæc sententia paulò nouior tunc theologicis auribus accidebat, ideò à su-

premo

premo Societatis Moderatore ſacеſſere iuſſa ab hoc gymnaſio. Quæ tamen rectionis noſtræ mollitudo eſt, haud Gabriel adactus ad contrarium edocendum: ſed citiùs permiſſum vt Romana hæc Academia tanto doctore, quàm vt ſeuerâ illâ opinandi cautione ſpoliaretur.

Mihi quoque paucis hiſce annis acre certamen fuit; dum, neſcio quid non ita commune ac peruagatum e theologico ſuggeſtu pronunciare volui. Nec priùs obtinui apud eum qui huius Gymnaſij ſtudijs præfectus eſt, & cui prudenter omnia parùm recepta, parùm accepta, quàm oſtendi, tum alios plures, tum verò præclariſſimos ex Thomiſtis illud ipſum diſertè docentes & Sancti Thomæ auctoritate comprobantes.

Cum ergo tam vigili prouiſione ſalubritati Scholarum cõſulatur à Societate, porrò libertas aliqua prælo tuendi poſitiones etiam minus peruagatas adeò non eliminanda, vt fouenda. Ita quippe illam fouet Eccleſia, quæ ſic publicas Academias regit, vt cathedræ aliquæ ſecundarij ordinis Principibus illis minorum gentium in Theologicâ Republicâ, Durãdo, Gregorio, alijs, obligentur: ni enim faciat, horum ſententiæ per ſe probabiles, ſolitudine fautorum debilitatæ, & potentiâ magnorum nominum obrutæ, cadent, ac veterem probabilitatem ponent, nullius vocis ius in Theologico ſenatu retinentes: magno vtique detrimẽto Religionis, cui expedit plures eſſe rationes nec vetitas nec illaudatas tuendi catholicam veritatem; quò in hac ingeniorum diuerſitate nemo ſit quin commentationem aliquam ſuis quibuſdam anticipationibus conſonam, & à nobili theologorum manu ſtipatam nanciſcatur. Ergo, quando viatores iter æſtimant vel turbâ, vel nobilitate veſtigiorum, quid ni è re catholica ſit, opiniones illas tanquam incelebres vias à ſolertibus ingenijs idẽtidem recalcari ne, cum planè deſertæ fuerint, imperuiæ aut inequitabiles exiſtimentur? quid ni conſultum ſit eas penè iam numero aduerſariorum profligatas quaſi redintegrato prælio in ſpem victoriæ reuocari? ſimul ne funditus pereant, ſimul ne contrariæ ſententiæ omiſſiore ſtudio, ceu arces extra ſuſpectæ aggreſſiouis diſcrimen, cuſtodiantur. Hæc enim pax, ſegnitiæ fomes, inimicior foret illis quàm pugna. Veritas namque per

ea ipsa per quæ petitur, illustratur, & silicis ritu nunquam nisi percussa probat duritiam suam.

Quicumque huius Capitis rationes neutro animo, & rei de qua disceptatur, non ignaro perpenderit, enimuerò intelliget nullas obiurgationes adeò in insontem iaci quàm istas in Societatem. Primùm enim quòd nullum sibi certum auctorẽ imposuerit & ne ipsũ quidẽ Aquinatẽ sine exceptione; sequatur (quod tamẽ obsequiũ in eiusdem Aquinatis sodalibus laudabile esse docuimus) reuerentiæ in veteres fuisse ostendimus, non arrogantiæ: nullius quippe auctoritati totum tribuit, quò nullius auctoritati nihil tribuat, neque vnius voluit esse cultrix ne aliorum omnium fieret contemptrix. Nimirum scitè Seneca, *sententiam si quis vnius semper sequitur nonne iniuriã infert cæteris?* Id autem, palam fecimus, non eo consilio institutum quò inauditis antea enunciationibus pateret sacrũ lyceum, sed quò non pateret nisi communibus; à quibus nemo veterum non alicubi segregatur: Nullamque ferme fuisse religiosam sodalitatem in qua id exquisitius seruatum: adeòque nouitatis gratiam vetustatis securitati à Societate posthabitã.

de vita beata c 30.

Dein verò, licet aliqua sint in vno aut altero ex nostris paulò liberiùs asserta, obseruatum est hæc non in illis reperiri quorum apud nos auctoritas pro ratione momentum habeat ad existimandum, non in illis, quorum libros statis censoribus nostris submittendos & lex iubet, et propinquitas sinit.

Tum porrò demonstratum est, quolibet tempore, atque adeò hisce postremis annis cuicumque religiosæ familiæ, & scilicet præclarissimis, atque in opinando castissimis, accidisse vt acriora quorumdam ingenia indulgenter habenda quàm violenter coercenda satius duxerint. Vtique hanc infrequentium positionum indulgentiam vtcumque à Societate prælis concessam aliquando, exedris nunquam. Ibi scilicet doctrinæ offeruntur electuris, hic vacuis, & hiantibus ingeruntur.

Denique planum feci, Ecclesiæ consilio pariter ac bono cõsentaneum esse vt aliquæ theses per se innoxiæ, sed solitudine laborantes, per aliqua temporum interualla subsidijs acutorum redintegrentur, simul ne obsolescant, simul ne contrarijs subnascatur à tranquillitate desidia & inexpertarum virium obscuritas.

Si hæc

Si hæc Scotus noster animo complexus esset, non adeò facilè tantam legum seriem pro componendis studijs nostris excudisset quantam, si cui tempus superfluit, apud ipsum videre poterit.

Id sanè mirandum: Cæteras artes quantumuis tenues & agrestibus ingenijs parabiles, à nemine illarum rudi confidenter assumi videmus; non textoriam, non sutoriam, non coquinariam; vnam cunctarum difficillimam, hoc est legiferam, nemo imperitus confidenter sibi non arrogat: sed eandem nemo peritus nō diffidenter vsurpat. Nimirū homo, animal excellentiam vt summè appetens ita summè arrogans sibi, quasi cunctarum artium possessione gaudet si hanc vnam possideat quæ cunctas regit: In hac verò, ægrotorum ritu, nemo suam imbecillitatem sentit, nisi qui quadamtenus valet.

CAPVT XXVIII.

An sit compescenda inanitas quæstionum, & subtilitas rasiunculorum in Theologia Scholastica Societatis.

HIc locus mirum quot querelarum, quot cachinnorum ferax. Ea proinde Scotus, qui de fœce hausit, auidè exorbuit, & in nos modico felle madentia reuomuit: eadē alij venenatis salibus insperſere, ceu Anonymus auctor libelli cuiusdam inscripti *De Monarchia Solipsorum*, de quo libro alius erit locus differendi. Aiunt, nos Theologiam exaugendo perdidisse dum noua, & inania conquirimus, antiqua & maxima præterimus. Theologicam Scholam ludum tandem esse in quo discipuli eruduntur ad pugnam contra Fidei Catholicæ perduelles: quocirca illas in primis quæstiones in eâ tractandas super quibus bellum versatur plusquam ciuile: alia in quibus integra fide optio ingenijs est, vtriusque partis, vel omittenda, vel primis labris delibanda, quippe ad voluptatem, non ad salutem.

Ad hæc, non tam philosophicis subtilitatibus quàm Scripturæ ac Patrum testimonijs agendum: hoc enim theologicæ militiæ proprium armamentarium & de Cælo nobis instru-

ctum; illa profana tela, & sæpè fallacis temperaturæ.

A triplici hominum genere hæc maledicta. Vel à Scholasticæ Theologiæ insciis, qui suis linguis, sed non suis verbis garrientes, quadam obloquendi temeritate gestiunt; Vel à bonis quibusdam literatis quibus lectio pro cogitatione, recordatio, ad Platonis fabulas, pro scientiâ; quippe sui inopes, alieno referti, quod sibi deest in alijs damnant ne demirentur: Vel ab hæreticis scholasticam Theologiam, quam in suum prætiment, ore cauillantibus.

Cæterum nulla nobis laudatio honestior quàm accusatio isthæc: vt potè quæ nos non quasi priuatos, sed quasi scholasticæ nationis tutores, ac præsides (quam nobis superbiam non sumimus, nec meritis nostris quæsiuimus) in litem vocat. Ita sanè: Vniuersam Scholasticorum gentem expostulatio ista lacessit. Quicumque non planè hospes est in huius disciplinę chartis, nouit, hanc scholasticæ Theologiæ formam multis sæculis ante Societatis exortum inualuisse, eamdem verò non apud nos tantùm, sed apud omnes religiosas familias, apud præcipua Christiani Orbis gymnasia competitoribus Magistris expolita continenter retentam. Quid porrò? quamuis purgatio alia deesset, ipsa tum veterum, tum æqualium exempla nos excusatissimos redderent. Nec enim ij sumus, qui huic militiæ nomen dederimus, quasi noui Imperatores, sed tanquam auxiliares copiæ, disciplinam, quam in castris inuenimus, non mutaturæ, sed seruaturæ.

Verùm honestior vindicatio nobis in promptu est. Atque vt ex eo loco defensionem redordiar qui postremam tenuit partem accusationis. Vasquius noster, Scholasticorum ferè omnium primus, & laborisissimus fuit in eâ sacræ auctoritatis indagine quam à nobis isti requirunt: is quippe theologicas positiones, excussis per summã industriã diuinę Scripturæ, ac Patrũ effatis, examinauit, non lectionis, & memoriæ tantum ingloriã laudẽ promeritus quomodo pleriq. ex ijs qui vetusta cõquirunt, sed ipsã ingeniosã reddens eruditionẽ: & veteres, quas alienas acceperat, tabulas quasi à se affabre pictas, æquo iure trãsci ipsit in suas. Etenim ita in cũctis per se nõ ita perspicuis insistit, vt ex præcedentibus, ex consequentibus, ex proposito fine ad quem verba diriguntur, ex alibi dictis ab

eodem

eodem Scriptore, denique ex omni argumentorum ve ná coniecturas rimetur, & ex fumo lucem educat. Non is er go qualis cauſidicus, qui per teſtes ac tabulas inartificialē probationem adhibeat, ſed qualis orator, qui artificialem & in genij plenā contexit, vt monet Ariſtoteles in Rhetorica. In quo ratiociādi genere omnem vincit admirationem Auguſtinus: cuius ingenium vſtrinam dixerim vbi ſingula diuini eloquij verba conflantur in tela hæreſes certo ictu tranſuerberantia.

Neque hic vnus in Societate Theologiam hoc argumentorum genere conſtabiliuit. Vide ium fortè huic labori pepercerit aut Suarius, aut Didacus Ruiz, aut Petauius. Enim verò in illis nihil quod in hac parte deſideres, immenſum quod admireris, inuenies: vſque eò vt nihil verear enunciare quod explorata veritas teſtificatur, ab aliquót ſæculis neminem planè Scholaſticorum in hac de qua diſputamus diligentiâ noſtris præferendum.

Quid ergo eſt, inquis, cur hæc quemadmodum typos ornant, ita in gymnaſijs non potiorem partem obtineant, reliquâ tanquam frondeſcenti luxurie philoſophicæ ſubtilitatis caſtigatâ? Aduersùs hoc tibi reſpondeo: quia & vſus, & ratio, boni, opinor, conſiliarij, auctores fuere vtm nobis, tum cæteris qui nobiſcum eamdem diſciplinam tradunt, vt ita planè traderetur.

Super vſu nil moror, res ipſa loquitur: De ratione, quam vnuſquiſque litigatorum ſibi adiudicat, diſſeramus.

Primùm quidem quid aliud *Gymnaſij* nomen ipſum indicat, quàm colluctantium arenam? Omnis noſtra diſciplina clamor, ſudor, atque anhelitus eſt: remoue confli&ationem à ſcholis, cadauer ſcholæ relinquis, ſpiritum abſtuliſti. Corporis iuxta, & ingenij vires à nullâ re melius quàm ab hoſtilitate ſouentur; Quod de ſtruthionibus vulgaris eſt error, de ipſis verè affirmaueris; ſi ferrum ingeris, alis. Ille plus poteſt, cui plus poſſe neceſſe eſt: Et quas ſcintillulas ex adoleſcentium ingenijs à principio, vel pudoris vel gloriæ tanquam igniarium violenter expreſſit, paulatim ſubnaſcens habitus ſponte ſua ceu natiuum iubar emittit. Sapienter ille; *non poſſumus, quod diu voluimus*; diu autem nolumus quodcumq.

initio

initio laboriosum ni simul necessarium. Inopis ergo matris, Indigentiæ, gemina diuesq. soboles Vis, ac Solertia. Quo pertinet hæc dixisse? vt appareat, si Conciliorum, si Patrum monumentis res maximè agatur in theologicâ gymnade, omne gymnadis emolumentum ferè casurum. Quàm enim segnis quàm frigida concertatio vbi omnis vel rationum, vel refutationum momento cudendarum officina posita est in verborum serie, conuenientiâ, iunctura, & alijs eiusmodi, quæ lectionis sunt non celeritatis, nec per ingenij, sed per oculorum aciem dignoscuntur?

Quod verò spectat ad militiam Vaticanæ erudiendam, egregiè hallucinantur qui putant melius agi negotium Catholicæ veritatis si tirones pro eâ pugnaturi aptis Conciliorum, & Patrum testimonijs, quàm si philosophicis rationibus instruantur. Nullum enim telum pro vindicandâ Diuinitate validius quàm ratio. Hoc ideò hæretici detestantur, quia, si semel illud è manibus nostris excusserint, aggressorum securi iam fiertent. Video, hæc tanquam in præiudicata iam lite obstructas multorum aures repertura, adeôque dementior essem si enunciationi meæ fidem impetrare potius quàm euincere cogitarem. Age: Mitto quod in Ethnicis, hoc est in maximam Acatholicorũ partem, irrito ictu intentamus quid quid naturalis rationis pharetra nõ eiaculatur; Ideoq. veteres Patres, Origenes, Tertullianus, Iustinus Martyr, Augustinus, alijque complures hoc vno tormento eorum arces prostrauerunt: quos imitatus multa post sęcula Diuus Thomas incomparabilem illum perfecit librum, cuius inscriptio *Summa contra Gentiles*. Sed finge cum solis hæreticis rem nobis esse; an non ij sunt qui Conciliorum, ac Pontificum auctoritatem de medio tollunt? qui Patres nullo in numero habent? qui veteres Ecclesiæ traditiones aspernantur? Scriptum ipsum Dei verbũ quãtula ex parte recipiunt? nam aliâs integris diuinæ Scripturæ libris fidẽ abrogãt, aliàs, vbi aut libido impellit, aut difficultas premit, vel librarios, vel interpretes culpãt, & germanas sentẽtias inducũt, supponunt adulterinas. Quocirca si eiusmodi tantũ gladijs cũ ijs depugnandum, ea nobis iniquissima cõditio est, vt cuspis in nos versa sit, capulus in aduersarios, Scilicet, si quid in Cõcilijs, in Patribus, in veteri Ecclesiæ

historiâ

historiâ, in Conuersione Vulgatâ quam habemus totius sacræ Scripturæ, duriusculum nobis incideris, confestim acuminatum ictum iugulis nostris intentant; Si hæc eadem contra ipsos apertissima, nihil mouentur, tanquam surdâ plumbei pugionis plagâ.

E diuerso nemo tam ferreus est qui à se rationis naturalis vim excutere possit, nisi humanitatem simul excusserit: *Homo* enim hoc ipsum sonat: *animal ratione vtens*: Cui rationi vsq. adeò emancipauit nos Deus, vt ne ipsi quidẽ Deo nos credere vel possimus, vel debeamus antequam Regina illa, tanquam è mentis solio pronunciet, ea suppetere argumenta veritatis, quæ iure sibi vindicent certissimam fidem.

Perge verò: Testimonia illa veterũ monumentorũ, quibus vnicè nostram Theologiam innixam desideras, quæro ex te vtrũ per se manifesta sint, an potius primo aspectu subobscura & ambigua. Non quidem manifesta, nullus quippe iam esset in illis quæstionibus dissidio locus inter Catholicos si alterã partem adeò certa præiudicia constabilirent. Sin autem ambiguitas, & obscuritas aliqua; vnde nàm, rogo, deriuandum lumen, vnde nam petenda conspicilia, nisi à naturali ratione, ac philosophiâ?

Tandem hac imagine rem diiudica. Duo sint militum tirocinia, Alterius tota institutio in hoc vno versetur vt milites optimis telis vndecumque conquisitis instruantur; In altero præcipuum studium sudori ac palæstræ detur. quò non tam loricæ, quàm pectoriæs triplex inducatur, & manus quàm hasta puguacior fiat. Vtra melior belli disciplina? Scilicet Achillis arma sine Achillis robore Patroclum non seruauere. Nec vllum genus munimenti aut minus parabile, aut magis insuperabile, quàm quod animo, & membris inhæret, non adhæret. Nempè illo instructum, maxilla iumenti armatissimum facit; eodem carentibus, soliferrea, onera sunt veriùs quàm arma. Certè Augustinus ingenium Ecclesiæ attulit, non sacrâ eruditione consitum, sed dialecticâ vbertate satiuum: hanc autem facile postea fuit ex diuinæ paginæ fontibus sic irrigare vt magnam daret palmarũ syluam. Et quãuis Hieronymus lectione, Augustinus tamen auctoritate maior quia subtilitate, locupletior fuit, validioremque huius ratiocinatio-

nationem, quàm illius eruditionem hæretici ſenſere. Sed quoniam cum ijs negotium eſt mihi, qui vt auctoritatem rationi præhabent, ita magis auctoritate quàm ratione ducuntur. Placet hoc loco recitare quid exiſtimauerit hac de re non acutulus quidam Sophiſta, qui non tam theologiam, quã theologiæ fumum & vmbram per captiones, & ſcitamenta ſectaretur, ſed Theologus euoluti ſæculi pereruditus, doctrinâ pariter, atque ingenio præſtans, famâ magnus, re maior. Loquor Melchiorem Canum, qui aureo planè volumine hanc ipſam *De locis theologicis* tractationem ante omnes, ſupra omnes eſt executus: idemque primus fuit, reor, qui docuerit, & quod minus eſt, Latinam linguam in lyceo diuina effari, & quod maximum, Catholicos nouatoribus bellum & cladem inferre. Perinſenſum noſtræ familię hominem laudo; ſed laus, iudicij munus debet eſſe, non voluntatis, & merito, non amori rependitur. Is igitur libro 9. cap. 3. ſic habet. *Quapropter mirari non deſino, morem eijciendi humanas rationes, cùm Theologia diſſeritur, in quibuſdam etiam Catholicorum gymnaſijs inſertum eſſe, haud parua certè iactura Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſi illa conſuetudo inualeſcit. Erunt enim ij ſi ita res procedit, optimi, præſtantiſſimique Theologi, qui plurima loca memoriæ tenuerint, & quod Iuris peritis obijcitur, qui Elenchi fuerint librorum, & Indices. Id quod in Germania regnante Luthero accidit, vt Sutores, qui nouum Teſtamentum memoriæ mandarunt, magni, & præclari Theologi haberentur, atque adeò mulierculæ, quoniam Euangelia, & Paulinas epiſtolas memoriter recitare poterant, omnium Academiarum Theologos ad diſputandum prouocarent, auderentque viris concurrere non virgines, ſed mulieres corruptiſſimæ.*

Talis ſcilicet eſt Lutherana Theologia, in qua quoniam nullum acumen, nullũ ingenij ſpecimen eſt, quãlibet optimo quiſq. ſplendidiſſimoque ingenio, quamlibet acie mentis, & veri perſpicientia polleat, quamlibet rerum & diuinarum & humanarum ordinem, ac connexionem teneat, quamlibet omnium cauſas, effecta antecedentia, conſequentia non animo ſolum perluſtrarit, ſed etiam comprehenderit, nullo tamen apud iſtos erit in pretio.

Nec tantum ita ſentit, ſed euincit; quàm enim neruoſa quàm cogentia ſunt illa quæ ſcribit capite ſequent. *Porrò qui*

Theo-

Digitized by Google

Theologiam sic instituit vt nihil habeat cum ratione naturæ coniunctum, omniaque egregiæ disciplinæ dogmata sola scripturarum fide metitur hic, si in ea opinione persistat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, nec Theologiam tolere, tuerique possit, nec fidem, nec humanitatem. Non humanitatem, sæpè enim dicendum est, quia sine ratione humanitas extirpatur. Qui autem rationales disciplinas Theologo auferunt, hi suam illi rationem eripiunt. Quoniam si veritatem quæ in disciplinis cernitur, & hominis intelligentia, à ratione tollas, iacebit profectò, vel nulla erit potius. Nec fides rursum, si ipsa sola sine doctrina, & ratione tueri potest. Nam philosophia, & omni ratione disputandi sublata, cum fide sancta rusticitas manet, quæ, vt Hieronymus ad Paulinum scribit, quantum prodest vitæ merito, tantum simplicitate nocet, si aduersarijs non resistat. Itaque vacillabit fides nisi fidelis, quod Petrus ait, paratus sit reddere rationem, id quod sola fide sine ratione fieri non potest. Theologia denique citra naturæ rationem non constat. Cum enim sit homo rationalis, est illi ingenita ratiocinatio, siue agat secum quid, siue cum altero; siue velit humana, seu diuina cognoscere. Quare vbi homines disserunt, rationem naturalem repellere nec debent, nec verò possunt, nisi homines esse desierint. Ratio enim res omnes continet: quoquò te verteris, præstò est; nulla disputatione excluditur. Quamobrem qui naturalem rationem ab vsu Theologiæ remotam esse volunt, ij omnem à Theologia disputationem excludunt: sine qua tamen quid in vnaquaque re verum sit, discerni, & comprehendi non valet. Quocirca hoc quidem constat, vt opinor, Theologis inter Theologos necessariam esse rationem, quæ est disputationis cuiusq. fons à natura constitutus. Quid quod gratia non tollit naturam, sed perficit, nec natura gratiam repellit, sed suscipit? Sacra igitur Theologiæ humanæ naturæ rationem non abijciet. Multa etiam in Theologiæ principijs continentur, vt alio quodam loco diximus, quæ nisi naturali ratione, & discursu interueniente, intelligi & explicari non possunt. In principijs verò ipsis hærere, à consequentibus, & repugnantibus oculorum aciem seuocare, stultum erit. Rationem item si à Theologia submoueas, Theologia ipsa, & rem amittet, & nomen. Nec enim quicquã aliud est Theologia, si interpretari velis, quàm sermo, ratioque de Deo. Si autem rem ipsam quæras, est, vt à veteribus Theologis definitur, rerum diuinarum

scientia. Scientia verò, vt Aristoteles demonstrauit, non nisi per syllogismum queritur.

Pauca de multis recolo, sed vniuersum illum nouum Cani librum perlustret quicumque istorum, qui rationalem theologiam insectantur, vociferatione turbatur. Nihil enim aut oratione grauius, aut copia vberius, aut ratione validius, aut Scripturæ ac Patrum exemplis & auctoritate firmatius dici potest ad hunc locum perpurgandum. Vnum ex eo huc transferre libet Augustini testimonium sanè conficientiss mũ in libro contra Felicem Manichæum; cuius libri quibusdam effatis carptim desumptis, ac perperam intellectis aduersarij pugnant ac gestiunt. *Fidei*, inquit, *Imperator clementissimus & per conuentus celeberrimos populorum, atq. gentium, sedesque ipsas Apostolorum, arce auctoritatis muniuit Ecclesiam, & per pauciores piè doctos copiosissimis apparatibus etiam inuictissimæ rationis armauit. Verum illa rectissima disciplina est in arcem Fidei recipi infirmos, vt pro eis tam in tuto positis fortissima ratione pugnetur.* En quomodo, simul fidei & auctoritatis arcem idiotis ceu imbellibus protegendis attribuit, simul eiusdem arcis defensionem per argumentorum tela doctis ceu præsidiarijs committit. Et verò an fortè illa ex aliorum penu deprompta sunt per quæ Augustinus ipse ita nostram Religionem tutatus est, vt omnium ingeniorum, ac sæculorum famam occupauerit? Quantus enim insurgit non alia nixus basi, quam natiuo ingenio, vbi contra Ethnicos probat nostræ fidei veritatem; quoniam hæc aut miraculis, aut sine miraculis mundum deuicit; siquidem miraculis, approbatorem habet naturæ dominum; sin absq. miraculis, hoc enim-uerò summum miraculorum fuit, & illius dexteræ, quæ humanos animos pro arbitratu componit ac fingit, quòd religio voluptatibus, diuitijs, profanæque sapientiæ bellum indicens, sine miraculorum phalange tam latè, tam citò victorias propagauerit! Qualem excitat admirationem vbi Manichæum qui homines, quippe malos, à Deo nescio quo auctore malorum conditos asseuerabat, in hunc modum premit. Hominem ideò malum prædicas, quia malis obsidetur; At eatenus? hæc homini mala sunt quatenus illi debentur contraria; hoc est bona: nemini quippe malum, quod sibi debitum, & con-

ueniens; sed id cui bona debentur, naturâ bonum est; Homo igitur naturâ bonus. Quid memorem illud aliud cõtra Pelagianam hæresim initium gratiæ nostris meritis subiungentem, quam ita iugulat: Quicumque benè de Deo meretur, antequam quidquam faciat, aut velit, bona cogitatione tangatur necesse est: At arbitrarium Deo fuit hanc, vel aliam illi cogitationem immittere: Gratis ergo hanc immisit; quam bonam esse intelligebat: Gratia igitur Dei omne meritum anteuertit. Quid multis opus est? In singulis Augustini paginis ad manum sunt commentationes eiusmodi non subtiliores, quam solidiores, admirabiles nobis, insuperabiles aduersarijs domi natæ, non foris aduectæ.

Quid dicam de Græcis Patribus, qui Arium, Nestorium, Euthychetem, Dioscorum, Samosatenum, reliquosque ingeniosè impios, ac diuinitatem ipsam adortos, non sine philosophicæ rationis hastâ profligarunt? Quam rationem vsque adeò Concilia ipsa Oecumenica non repudiant, vt complura inibi inter fidei dogmata censeantur, quæ à Deo quidem enunciata sunt nunquam, sed ex diuinis enunciationibus naturali rationi coniunctis perspicua consecutione gignuntur.

Addam aliquid inutile quidem ad turbam, sed quò nihil exploratius, nihil validius, si res mihi sit cum viris intimos sacræ doctrinæ articulos callidè perscrutatis. Principes hæreticorum sectæ fibras habent scholasticis rationibus & quidem subtilissimis inhærentes; licet earum quasi frondes, & ramuli ex auctoritate ac sacrâ historiâ dependeant. Ità planè Arius contendebat, pugnantia affirmare quicumque affirmet, genitum genitore non iuniorem non minorem. Nestorius, duas naturas in vnam personam coalescere non intellexit. Eutyches è contrario vnitatem personæ confessus in Christo, ex hac ipsâ distinctionem in eo naturarum repellebat. Paulus Samosatenus, in vnâ personâ duas voluntates admittere dissentaneum habuit. Pelagius alienum peccatum iure imputari posse nobis inficiabatur, nec hominem per se liberum esse aiebat si diuinâ gratiâ indiget ad vitanda delicta & honestatem amplectendam. Iconomachi surda simulacra, & rationis expertia humano cultu ac veneratione dedignabantur. Consequentium Græcorum præcipuus error in eo fuit,

quod Spiritum Sanctum à solo Patre deriuarent, ne hic, quasi mancum inualidumque principium socio Filij adiumento indigere videatur. Denique postremi Nouatores libertatem exturbant tãquam collatæ in electos beatitatis meritum diuinæ beneficientiæ surripientem; Deum auctorem peccati faciunt, vt potè cuius iniussu reliqua nihil efficiunt: Augustissimæ Eucharistiæ fidem negant, quoniam vni corpori duplicem locum tribuere inter ea figmenta ponunt quæ omnem prætergrediuntur potestatem.

Præcipuæ igitur sectę non aliter vigent ac animantes: sicut hæ in cerebro, sic illæ in ratione suos neruos infixos habent, qua non eneruatâ, debilitari possunt, excidi non possunt.

Hæc de illâ Theologiæ parte, quæ imminet in perduelles, nec tam docet, quàm armat. Sed non tota hæc disciplina præliaris & sagata est; multa eius pars togata, tranquillè actuosa, honesteque pacifica. Quis hoc neget? An si nemo de Deo impiè crederet, vt factiosi homines thoracem ferreum ponunt simultate composita, sic nos diuinam scientiam tanquã onus inutile deponeremus? Nõ opinor. Similis ea mihi videtur equestri disciplinæ, quam bello necessariam, etiam pacis commoda, voluptatesque commendant. Haud immerito sæpè culpat Aristoteles Respublicas illas quæ vsque adeo ad hostes vincendos dirigunt institutionem, vt, quomodo postea illis deuictis fœliciter viuendum sit, consulere prætermiserint, cùm tamen non bellum paci, sed pacem bello ceu finem natura & ratio proposuerint. Mirum sanè philosophos Ethnicos humanam huius vitæ fælicitatem in vmbratili ac tenuissima nescio qua diuinarum rerum suspicione veriùs quàm notitiâ posuisse, eam non modò diuitijs, honoribus, voluptatibus, sed exploratissimæ de rebus inferioribus scientiæ præferentes, è diuerso plures Catholicorum despicere tanquam nescio quid inane cognitionem illam adeò firmiorem qua naturalis ratio fidei pennis adiuta diuinitatem peruadit: quasi cognitio illa per se repudianda sit nisi vtilitatis dotem polliceatur.

Nemo, vt reor, hæc à me dicta interpretabitur quasi nos militiæ pertaesi inertiam laudemus quam colimus. Quando potiùs id peculiare nobis est inter sacros Ordines, vt quicumque

que religiosa vota Societatis, idem capitale bellum hæresi ac superstitioni solemni ritu profiteamur; semper vel sub pellibus velim præcinctu, nunc quidem in acie, nunc verò subcenturiati milites, & ad imperatoris nutum in hostes irruptura. Contra quos hostes non segnius eminus calamo, quàm comminus linguâ nostri decertant. An fortè arrogantiæ obiurgatio mihi pertimescenda si asseuerem, inter recentes Catholicæ fidei vindices Bellarminum nostrum, si minus omnium primum, certè nulli secundum? An si id eloquar, quod vel nobis tacentibus bibliothecæ millenis vocibus contestantur: Confecto illorum armilustrio, qui pro aris fortiter stylum exercent, facilè dimidium agminis è Societate constare? Hæretici sanè pro eadem sumunt, doctrinam Catholicorum, ac Iesuitarum.

Cæterum sic belli labores non detrectamus vt pacis munera non aspernemur. Haud opinor restam nihili est Deus vt eius meditatio cuitate mentis nostræ dignanda non sit nisi vectigal pendat emolumenti.

Audio tamen cauillantes, quadrare in nos illud pernulgatum Senecæ, *operosè nihil agere qui in litterarum inutilium studijs desudent; quæ sine commodo, nihil tacitam conscientiam iuuant, sine præmio, non doctior videberis, sed molestior.* De breuitate vitæ cap. 13.

Verum tamen hoc ita obtrectantes interrogo, num titulos articulorum Diui Thomæ percurrerint, num Alberti Magni, num Alensis, aliorumque Theologiæ Principum. In ijs namque pleraſque illarum quæstionum inuenissent, quas nobis, ceu superuacuas imputant; alias insuper innumeras, quæ à nobis ceu minus graues in hac angustiâ temporis omittuntur. Quòd si aliquas addidimus (hoc verò disciplinis omnibus commune est, idemque laudabile tanquam prouentus, non vituperabile tanquam lasciuiâ, vt alibi iam demonstrauj) si inquam aliquas addidimus, singulis nostris additamentis denas me oppositurum polliceor ab illis magnis veteribus agitatas, quæ ad istorum obloquentium normam longè inutiliores nostris haberentur. Quid dicam de Sanctis Patribus, qui in sacrarum litterarum commentationibus tam minuscula inquirunt, tam operosè, tam de industria, tam prolixè, vt scholasticos, si cum illis conferas, ieiunos dixeris, & festinantes.

Ita

ita verè ecclesiastis illis Senecæ verbis vulgò tractitatis, vt traducentes magni scriptoris sensum se nihil aliecuius offendant. Quandoquidem illa nõ in philosophos, sed in antiquarios intorta: hoc est in eos qui facta quædam singularia, ac nunquam fortuita veritatis inuestigant, non qui veritatem contõplantur immutabilem, vniuersalem, & quæ re ipsa vel alio nomine, Deus est, vel deficere sine Diuinitatis defectione non potest. Exempla Senecæ sunt: *Quem numerum remigum Vlysses habuisset: prior scripta esset Ilias, an Odyssea; an eiusdem esset auctoris*, & alia huius notæ. Quid ad scholasticos ista? Potius aliud literatorum genus verberant scholasticos ablatrantium. At quæstiones eiusmodi quales à nostris Theologis agitantur, quamuis nihil idoneas actioni, frugiferas nihil, adeò non contempsit Seneca vt in hac parte à Stoicorum castris recedere tanti habeat. Audi illum *de vita beata cap. 31.* præclarè sic disputantem.

Duas respublicas animo complectamur: alteram magnam, & verè publicã, in qua dij atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum respicimus, aut ad illum, sed terminos Ciuitatis nostræ cum sole metimur: alteram cui nos asscripsit conditio nascendi. Hæc autem Atheniensium erit, aut Carthaginensium, aut alterius alicuius Vrbis, quæ non ad omnes pertinebit homines, sed ad quosdam: Quidam eodem tempore vtrique Reipublicæ dant operam, maiori, minorique: quidam tantum minori, quidam tantum maiori. Huic maiori Reipublicæ & in otio deseruire possumus. imò verò nescio an in otio melius; vt quæramus, quid sit virtus, vna plureſne sint: natura an ars bonos viros faciat: vnum sit hoc quod maria, terrasque, & mari, ac terris inserta complectitur: an multa Deus corpora eiusmodi sparserit: continua sit omnis & plena materia ex qua cuncta gignuntur, an diducta. & solidis inane permixtum sit: Deus sedens opus suum spectet, an tractet: vtrum ne extrinsecus illi circumfusus sit, an toti inditus: immortalis sit mundus, an inter caduca, & ad tempus nata numerandus. Hæc qui contemplatur, quid Deo præstat? Nec tanta eius opera sine teste sint. Solemus dicere, summum bonum esse secundum naturam viuere; Natura nos ad vtrumque genuit, & contemplationi rerum, & actioni. Vt autem illud primum ex his duobus ostendat, nihil diuinius quàm quæ latissimè conse-

quenti

quenti capite adiungit. Vnum è multis seligam, quod omittere mihi religio est. *Curiosum nobis Natura ingenium dedit; & artis sibi ac pulchritudinis suæ conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formosa solitudini ostenderet.* Egregiè dictum! Sacrilega vox est quæ qualemcumque veritatis contemplationem, in qua omnis tandem Dei gloria continetur, quasi augamentum irridet. Et verò si veterum sapientum non nemo posteritatis præconium meruit quod duo de sexaginta annos addiscendis apicularum ingeniis addixit; si Aristoteles minimæ cuiusuis ac fedissimæ animantis meditationem sedulò persecutus, puerile fastidium vocat hæc aspernantium, nec videntium in his omnibus latere sublime aliquid hoc est naturam & Deum; si Archimedem & Apollonium quasi semideos veneramur, quorum alter cilindro, ac sphæra, cono alter pœnè conclusit ingenium; quid erit quare nos pœniteat minutiùs indagare proprietates ac dotes rerum celsissimarum, hoc est Dei, aut per se concepti, aut eiusdem corporati, & obstupescente naturâ mortalis; tum verò superarum mentium, dein cælestis gratiæ, donorum, ac virtutum, quæ nos ipsos pœnè transfigurant in Deos; denique mysteriorum ex quibus, tanquam manantibus è Christi latere fontibus, hæc ipsa dona perenni vbertate deriuamus? Vt quorumdam fluminum arena ipsa pretiosa est, quorumdam animalium fœces ipsæ odore sunt nobiles; ita rerum tam sublimium de quibus Theologia disputat, nulla pars, nulla proprietas tam humilis est, quam iure humana meditatio despiciat.

Fateor hic iterum, quod supra de nostrâ philosophiâ disserens fassus sum; aliquos nostrorum in quibusdam quæstionibus contentiùs morari, quarum scientia non quidem inutilitate sit aspernãda vt i dicti tant aduersarij, sed obscuritate desperanda. Atqui difficillimum, vt ille ait, adeòque rarissimum, retinere ex sapientiâ modum.

Nec item diffiteor à nonnullis vsurpari rationes nescio quas non tam quæstionem expedientes, quam linguam impedientes, quas tibi in theatro obiectas difficulter enodes, animo tacitè recognitas, non tam nodum, quam nodi simula-

crum

crum deprehendas. Non diffiteor, inquam, hæc omnia; non tamen queror, ni de ipsâ humanitatis conditione querendum putem. In cunctis humanis artibus multa peccantur: propter ea tamen peccata nisi insignis quædam segnities, aut ostitantia deprehendatur, artifices non tam probris incessimus, quàm miseramur. Quis ergo vel mirationi vel exprobrationi locus, quòd non omnia peragantur aptissimè in arte illâ quæ non mortales, sed cælestes planè requireret professores? Nempe, quando studia Societatis eiusmodi cauillis tam segniter vellicari sentis, vis nostra probè insectari? Vna est insectandi ratio nocentissima nobis, eademque insectantibus honestissima, si superes, non si vitupres.

CAPVT XXIX.

Coercenda ne sit in Societate nimia edendorum librorum intemperantia. Vbi quanti sit, qualemcumque mediocritatem in literis non aspernari, sed fouere.

SEntio me iam peruenisse ad eum locum quo studiorum nostrorum tractatio terminatur; & quò maximè in loco multos inuenimus monitores. Flagitant quippe ne tam copiæ studeamus quàm excellentiæ, cuius individua comes est raritas. Qui summis non fulget, inquiunt, is, ne omnino lateat, qualemcumque mediocritatem ostentet. At Societas in vno quoque scribendi genere permultos emittet; quid iuuat humiliorem aliorum farraginem aggerare, quæ gloriam per magnos partam vel erratis deterat, vel ingloria permixtione inobscuret?

Ita disputant, non dicam obtrectatores, sed passim nostri: nec enim iuuat dissimulare. Verum scitè Aristoteles sapientum factis quàm verbis maiorem auctoritatem attribuit. Quippe dum loquimur, sæpè non tam rem ipsam, quàm rei rudem quamdam atque imperfectam effigiem animo versamus; vbi res instat;

instat, aliò longè vultu in conspectum venit. Id fausse putauerim, cur in qualibet Republicâ quædam semper damnantur, semper retinentur. Non tam id accidit quia prauitas cogitanti displicet, experienti placet, quam potius quia sæpè quod cogitanti prauum apparet, idem experienti necessarium adeòque eligendum se probat.

Vt verò huius dubitationis inspectio plenior sit atque exquisitior, præstat, eam in duas partes diuidere. In alterâ examinabitur publicum aliorum bonum: in alterâ priuatum, decus & commodum Societatis.

De priore nunquam vidi populare offendi quod in mercatum præter exoticas merces vulgaria comportẽtur, quòd in macello non phasianæ tantum aues, sed etiam ouina, & bubula venalis exponatur.

Percurre omnia rerum genera; nunquam querimur, præter eximia & rara suppetere etiam gregaria, & de medio sumpta. At enim, dicet aliquis, nihil vulgare mihi placet, mecumque non vulgares vniuersi consentiunt. Audio, sed interrogo: Ita ne vulgaria non tibi placeant vt eorum vsu non delecteris, aliorum tamen vsui eadem suppetere nihil prohibeas? Id si asseris, laudo: regalis enim ingenij est cibaria publici saporis populo quidem parare, non sibi. An rursus mediocritatem in omni rerum genere tam vehementer improbas vt eam è foro, è mercatu, demum è Republica exturbes? Enimuerò nemo non delirus id affirmabit. Maxima enim pars humani victus ac commercij bonis mediocribus constat. Quod si hoc in cunctis alijs rerum generibus valet, quodnam hoc insolens fastidium est in literario commercio, vt mediocria non despiciamus tantum ceu nostris palatis fatua, sed quasi afflatu noxia detestemur? An vulgares libri graueolentes adeò sunt, vt eorum halitus etiã non odorantes offendat? Vix vllum è Societate volumen extitit quin multos delectauerit, erudiuerit: alioquin emptores, aut certè lectores nullos inuenisset. Igitur nihil edidimus sic despicatum quod non multos sibi demeritum sit, probatores: nec tamen accusatores in se concitauit vllos mediocritate sua: quando nemini saltem inuito nocuit; Volenti autem non fit iniuria, nec proinde facultas conceditur accu-

sationis. Age, librum quempiam è nostris ceu futilem damnas: Ego contra sic eum vindico: Vel huic libro publicæ famæ testimonium suffragatur, vel aduersatur. Si suffragatur, audaciùs ipse castigas quod plerique collaudant; sin aduersatur, neglexisse debueras non perlegisse; adeòque perinde tibi fuisset ac si ineditus: demens est qui cibo vescitur quem experti palam ac passim nauseant. Et verò quemadmodum rusticis vinum defruto asperatum, quàm albanum salubrius, & ijdem furfureo pane præ siligineis pastillis aluntur, adeòque expedit vt hæc varia potionum, ac ciborum genera conquirat curator annonæ; ita non pauca sunt ingenia quibus alendis nihil aptum nisi vulgare. Præterea, sicut multorum ventriculus præ caloris inopiâ leuioribus tantum escis concuquendis par, grauioribus impar quamuis optimi succi; ita multi lectores non lectissimis, sed facillimis opportunè reficiuntur.

Insuper, non quod per se vulgare, vnicuique vulgare. Prima latinitatis rudimenta non vulgaria, sed recondita sunt pueris elementarijs. Nullus ergo liber adeò gregarius, quin multorum captum nedum scientiam exuperet.

Sed quæro ex istis monitoribus, vtrum vnis nobis, an omnibus literatis auctores sint huius edendorum librorum parsimoniæ mediocria interdicentis: Si vnis nobis; quid est quod nostra mediocritas publico noceat, aliorum prosit? (Nam de publicâ tãtum vtilitate agimus in hac parte:) Sin autem omnibus hoc idem suadent, volunt ne libros cunctos æqualis esse præstantiæ? Non credo, nam omnia mediocria tunc erunt, nihil excellens: An potius aliquam in ijs inæqualitatem consentiunt? Confestim ergo & summa erunt, & media, quin etiam infima. Scilicet hoc eò vsque necessarium est vt ne ipse quidem sapientissimus opifex Deus potuerit aliter aptiùs fingere structuram suam, quàm vt pauca præstarent, plurima mediocria essent, aliqua in imo iacerent.

Sed fastidiosi isti exactores excellentiæ, dum per ea quæ dixi arctiùs vrgentur quàm putauerant, video in quam arcem se recipiant. Nimirũ fatentur, nihil hanc librorum mediocritatem Reipublicæ incommodare, sed illam nobis indecoram dolent; sicut vulgares tabulæ quas Apelles delinearet

nearet, Reipublicæ quidem nihil esse detrimentosæ, sed Apelli ingloriæ atque inhonestæ.

Aggredior ergo posteriorem capitis partem, in qua istud ipsum explorandum sepositi. Et primùm aio non eam nobis esse superbiam vt quippiam indecorum nobis esse putemus quod è republicâ sit. Tunc minorâ prætermittimus quando per hæc à maioribus laudaremur: at, qui mediocria scribunt, scriptionem omittere possunt, audiere vix possunt. An igitur in religiosâ familiâ publicæ salutis dicatâ fuerit laudabile, eam vsque adeò pudere si quis suorum aspiciatur quin suspiciatur, vt eâ gratiâ velit opem illam subducere moratibus, quæ à mediocribus, hoc est à pluribus, scribendo proficiscitur? Ecqua Respublica, ecqua Ciuitas quantum nis profana, & gloriabunda, tamâ exuperantis famæ cupiditate flagrauit vt vel mediocres periculos ex artificum manibus eripuerit, vel mediocri symphoniæ silentium indixerit, vel mediocribus aut Oratoribus, aut Historicis, aut Poetis qualemcunque illam ingenij, atque artis patefactionem inuiderit? Alexander quidem summo tantum pictori sculptoriquè se fingendum permisit; inferiori tamen pictorum agmini negotium suum agere non interdixit.

Et verò, si maximè res ad gloriam familiæ, non ad populi vtilitatem dirigenda sit, hanc scribendi frequentem mediocritatem quibusdam clarissimis intermicantem excellenti paucitati præhaberem.

Hortulorum est, peregrinis tantum floribus pingi, lectissimisque pomis gemmascere: pomeridianæ gustationes non cœnæ sunt, quæ cadentibus tantùm dulciarijs renident. At felicis Campaniæ, vel Siciliæ vbertas non magis præstantiâ, quàm copiâ frugum nobilitatur; at conuiuiorum celebritates omni ferculorum genere circumsonant. Nec aliter in magnis emporijs non tam excellentia mercimoniorum, quàm affluentia, quàm varietas, laudem habet. Scilicet ipsa mediocrium rerum abundantia sæpè mediocritatem prætergressa gloriæ fastigium attingit. Nec Ormuzianam plagam aureis scatentem venis sed vulgarium frugum sterilitate infamem, Aegypto, Pannoniaq. laudabiliorem censueris, hoc est tanquam mundi non quidem ærarijs, sed horreis. Nilum

certè super fluminum vulgus non humoris diuersitas, sed copia sustollit. Nec Principum æraria à peculijs priuatorum monetæ speciem, sed numerus distinguit.

Cum his causis aliæ consentiunt: inter quas haud leuis momenti est incitamentum illud ad studia literarum, & auocamentum ab otio, quod mediocribus præstat hæc vulgandorum librorum venia paulò liberalior. Porrò gloriæ cupido vel in religiosis viris nouissima exuitur, & si ritè attemperata sit, honesta, non tantùm innocens, esse potest. Hæc verò mirum quales stimulos adijcit ad exantlandos labores, ad aspernandam pellacem torporis dulcedinem, ad alia liberioris vitæ delectamenta recusanda, vt ne oti moriamur, sed qualecumque vestigium ab excessu duraturum in hac mortalitatis semitâ relinquamus. Quod si veteres Monachorum institutores humani ingenij naturam conspicati, otijque insidias penosi, alumnos suos in storearum textura distinebant, quò, non plane cessantes, saltem nihil agendo agerent, quis culpauerit in religioso recessu, vnuscuiusque, pro sua virili parte scribendi studium, quod ingenia exacuit, attollit, & optima cuiusque priuati reperta publici iuris facit?

At horas scribendo fallant, sed vulgaria non vulgent. At, quis est qui scribat sibi? Scriptio certè in locutionis genere continetur: quicumque autem se non alios alloquitur, is inter insanos numeratur.

Verùm magnopere vereor, ne dum super mediocribus edendis altercamur, ij qui nostram mediocritatem ad perpetuas tenebras damnant, iudices tam accurati sint, vt reum, quem damnant ignorent; ideòque rem *mediocritatis* vocabulo subiectam nihil percipiant. Hæc nomina *summum*, *excellens*, *mediocre*, *infimum*, & similia horum non nisi comparatè dicuntur: nulli rei conueniunt si per se sola spectetur neque cum alijs conferatur. Quapropter sæpè aliquid quod excellens iure vocaueris comparatum cum vno rerum genere, mediocre, quin etiam infimum est appellandum, si cum præstantissima illius generis parte componatur. Obtia sunt exempla. Muscam inter mundana corpora eximium quid esse nemo inficiabitur qui ad philosophorum

ac

ac Theologorum pronunciata eam Cælo, ac Soli præstare fateatur. Hæc eadem inter animantes vilissima est. Ratio discriminis patet: nã in genere illo amplissimo corporata vniuersa complexo longè plura muscæ decedunt, quàm præsient: at in parte hac prænobili corporum, quę solis animantibus constat, ferè cuncta muscæ conditionem supergrediuntur. His ita constabilitis percunctor ex te, cum quonam commentationum genere componis opera illa Societatis quæ inedita velles, quoniam mediocria esse dijudicas. Cum toto ne illo librorum agmine, quos passim indocti, doctique scribunt? Non puto. Nam plerique librorum huiusmodi ephimeram vitam exigunt salgamariorum tabernis potiùs quàm bibliothecis nati; Cum tamen inter multa librorum millia per Societatem euulgata perpaucæ exiuerint opellæ tam miseræ quarum facies illocabilis fuerit. Libros loquor, non pagellas nescio quas. vbi oratiuncula quæpiam, aut breue carmen typis imprimitur, non quasi res multi pretij, sed ne multi sint pretij, hoc est vt modico sumptu cum pluribus amicis communicentur, nec quasi ærea monumenta, ac perennia, sed quasi papyracea figmenta, & citò interitura. Si ergo de iustis libris loquamur, vtique perpaucos eorum à Societate profectos recensebis qui, si eos consideres in elẽcho librorum omniũ vno eodemq. anno vulgatorũ per Europam, te iudice pro singulis quibus vincuntur, denos nõ vincãt. Verũ qui in aliquo ordine ex vndenis quibusq. denos exuperat, is profectò mediocritatẽ, quæ à *medio* dicitur, longè superat. Itaq. etiam ante hac seruatum id puto, quod in octauâ, eâdemque nuperrima Societatis Congregatione lege præscriptum: ne cui nostrorum librorum lux publica permittatur quin mediocritatem non mediocriter excedat iudicio censorum.

At enim respondebis, te non cum omnibus libellorum quisquilijs opera Societatis conferre, sed cum illis, quæ aliquam famam ac pretium inuenere; In horum manipulo complura Societatis volumina nil supra mediocritatem assurgere. Sed quicumque sic disseris, vtique libros illos nostros eâdem oratione & mediocres dicis, & negas, quando mediocritatem illorum asseris non qualemcumque, sed inter

libros

eripiet? Ad hoc, quàm rarò censores recenti libro quamuis commerito, eiusmodi excellentiam adiudicabunt? familiare siquidē est præsertim apud senes (rem loquor haud nouam, sed per cuncta sæcula, & omnium scriptis decantatam) vt quantum existimationis defunctis augetur, tantum viuentibus detrahatur. Dextro igitur Ioue conceptum sit oportebit volumen illud quod nostri censores pronuncient, in librorum laudandorum genere non tantum versari posse sed eminere. Quamobrem plerique etiam illorum quibus tale debenetur elogium, partim arrogantiæ pudore, partim repulsæ metu tutam obscuritatem periculosæ ambiti præli aleæ præhaberent.

Verum suspicor, si à nostris nulla mediocritatis gloria sperari posset, summos pariter, ac mediocres Societati defuturos, nisi quantum vnius Dei demerendi studium nullis humanis illecebris conditum per se valeret in multis ad asperrimos literariæ vitæ labores deuorandos. Etenim literariæ præstantiæ culmen ab aliquibus vtique feliciter obtinetur, à nullis hoc iter aggredientibus sine temeritate speratur. Porrò quotus quisque est, qui certam vnam taxillorum faciem primo iactu obuenturam ita confidat, vt lucrum ingens, si id accidat, si secus, ingentem iacturam paciscatur? At quantò difficilius, atque infrequentius quòd aliquis inter ardua literarum sentieta verticem pertingat? Id enim vix singulis non inter trigenos senosque (quot omnino sunt varij duorum taxillorum vultus) sed inter millenos datur. Quandoquidem in id multa conspirent necesse est quæ vel seorsim rara, coniunctè autem prodigio similia; ingenium, cultura, valetudo, otium, studium, & hæc omnia vehementer. An putas, nauem illam à circumlustrato Terrarum Orbe celeberrimam soluturam fuisse vnquam è portu hac lege, vt mercede, ac laude careret omni nisi nisi ambitum emetiretur? An Tullius oratoriæ facultati se dedisset si ei denunciatum foret, labores omnes incassum, illi cessuros ni Græcæ eloquentiæ famam oppressisset? Idem fit in qualibet arte. Aliqui prospero decursu ad primas peruenerunt, quos diffidentia quædam stupida costernasset si in secundis tertijsque nullam se laudem adepturos intellexissent.

Nemo

Nempè, rein summam collectâ, liquet, hanc librorum ubertatem ex optimis medijsque conflatam & Reipublicæ proficere, & Societati. Reipublicæ quidem, tum quia, ni omnia æqualia sint, ac proinde nihil eximium; pauca eximia, plura mediocria, nonnulla infima esse oportet; Tum verò ob varia hominum ingenia, quorum multa mediocribus præ optimis & erudiuntur, & delectantur; Prætereà ob frequentem, ac parabilem adeòque sperabilem cunctis qualemcumque literarum gloriam; quò fit vt cessationis pudor, & studiorum alacritas crescat: Tyrannicum quippe est non ciuile, inscientem populum quasi obsequentiorem optare, & pecudes quas regas velle, non homines. Præterquam quòd ademptis mediocribus, summorum quoque notitiâ, notitiæque soboles, gloria, & veneratio adimeretur.

Nec minus hæc ipsa librorum fœcunditas parenti, hoc est Societati consentanea; tum ad virtutem (quod satis est) quò Reipublicæ seruiat, tum ad gloriam, quò literarum amor ac profectus per cunctos Societatis alumnos pertinens ostendatur: Quando in vnâquaque rerum vniuersitate non tantum eximia quædam bonorum raritas, sed ipsa mediocritatis affluentia non mediocriter & prodest, & placet. Maximè cùm huiusmodi mediocritas operum quæ Societas emisit, veriùs excellentia sit comparatè ad vniuersam prodeuntium Scriptorum cateruam; nec aliter mediocritatis nomen, primo auditu inglorium, quàm inter eximios adeòque non mediocres, mereatur. Ideo à postremâ Generali Congregatione lege cautũ, quod antehac vsus pariter, quãtum in rebus humanis & diuerso mortalium iudicio subiectis caueri potest, obtinuerat, ne quid nostri exeat quin mediocritatem non mediocriter excedat. Si arctioribus cancellis editio constringatur, si aliquid hac notâ laudatius exigas vt prælo digneris, non modò communium ingeniorum studia frigescent, sed ne ipsi quidem præcelsi eam sibi laudem aut præ modestia arrogabunt, aut præ censoriæ senectutis ingenio, quàm prælargo maioribus, tantundem auaro minoribus, impetrabunt.

Vno verbo, nulla res citiùs nostrũ Ordinem vniuersũ infrâ mediocritatẽ deijceret, quàm ista affectata cuiuscumq. in-

ter nostros mediocritatis vel dissimulatio, vel despectio. Vt diuitias sic doctrinas, qui maximas obtinere curat, quales cumque non dedignetur. Vix vnquam aliquod vel industriæ vel Naturæ donum ibi eminebit, vbi nisi emineat, iacet.

CAPVT XXX.

De Tertia Probationis Anno, deque illius vtilitate multiplici.

DIsciplinarum spatia emensos non corona præcingit tãquam emeritos, sed nouum Tirocinium probat ceu dubios atque inexpertos; Non ab ijs Societas artificem manum remouet quasi iam probè tornatis, sed eosdem, quasi etiam tum rudes, atque informes, nouæ reddit incudi elaborandos: Neque verò paucos dies, ac veluti ad speciem: Annuus hic labor est, omni alio studio interdicto præterquam vt veræ, absolutæque virtutis studiosi fiant. Nimirum intellexit Ignatius, quàm procliuè sit, quàm frequens, vt mortalium ingenium, in ea quæ curat semper immodicum, res illas, quas præstantioris cuiuspiam boni gratiâ a principio aggressum est, propter ipsas deinde ac tanquam bonorum fines persequatur. Ita jn plerisque hominum accidit vt pecuniam, quam ad sumptus ac vitæ necessitates initio quærebat Oeconomia, ad aspectum deinde atque acerunm seruet atque aggeret Auaritia. Id verò in nullo rerum genere promius est, quàm in doctrinis. Hæ siquidem non sicut nummi suaptè naturâ gratiam omnem ab vtilitate sibi concliant: per se trahunt, natiuusque sunt hominum animis, in quo summum bonum vetus philosophia collocauit. Iam verò, mortalium viribus diuino beneficio supra naturam prouectis, gradus est quod meta fuisset. Scientiam paramus non tanquam thesaurum, sed tanquam instrumentum. Verùm decor ille qui se Naturæ oculis prodit, quantulus cumq. sit, acrius rapit, quam ille quem non nisi caliginatis fidei obtutus inspiciunt. Quod sæpè accidit, vt in humana sapientia,

quam

quam tanquam viaticum cœlestis itineris cõquisiuimus, tanquam in patrimonio conquiescamus: quæque apud hominum animos debuit esse Diuinitatis pronuba, eosdem ab amore Diuinitatis auocatos ignobili connubio sibi despondeat. Accedit, quòd cerea illa nostrorum iuuenum ætas, quà docendo, qua condiscendo, dum aliorum mores emendat, aliquid ex ijsdem ad se imprudens trahit: aque similem dixero; nam sic aliorum vitia extinguit, vt incalescat ex illo tãquam ignis attactu. Virtus in populo velut in palæstra versatur: scilicet si remoueas languet, si admoueas, & paluere, sordescit, & plagis debilitatur. Verè Seneca: *Inimica est multorum conuersatio, nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.* Vt ergo perpetuus somnus nihil morte distaret, post diuturnam tamen vigiliam, sõnus desideratur, quò redintegratis viribus strenuè iterum euigilemus; Ita virtutes illas quas profitetur Societas, iugis solitudo non tam foueret, quam interimeret; easdem tamèn externo vsu attritas hæc requies mirificè instaurat. Sic ratio, sic Deus Ignatio suasere; sic experientia posteris confirmauit.

Querantur nonnulli hanc temporis iacturam in Societate, quo tempore pernicia multorum ingenia subsistunt nihil discendo. Sed falsò queruntur: idipsum est, artem perdiscere conducibilem iuxta religiosis viris, ac perdifficilem scientiæ amatoribus: obedire nihil discendo. In quâ profectò arte plura & perardua condiscunt. Discunt eo anno veterani tirones, quem eorum aliqui post primum tirocinium condiscendo reliqua dedidicerant, obscuritatis amorem: discunt, vno Deo satis impleri: discunt denique, quid illud sit cur cætera sint condiscenda. Porrò magni Dionysij documentum illud magnus Aquinas laudat, ad Dei typos atque imagines effingendas viliora præ splendidioribus accommodata: Nec enim periculum est ne in papyraceâ effigie perinde atque in sole veram diuinitatem commeniscamur, & numinis simulacrum pro vero numine veneremur. Ita plane suspicioſus erit Dei cultus in laureis tantùm ac theatro, nisi hanc suspicionem purgaueris, eumdem libenter colens in scopis, ac solitudine: Non vitam sed voluptatem quærit

in cibo, qui parùm condita quamuis saluberrima repudiat: similiter non Deum, sed oblectamentum, non virtutem, sed nobilitatem in religiosis ministerijs amplectitur, quicumque ea tantùm amplectitur quæ oblectant ac fulgent, insalubribus obscurisque recusatis.

Et sanè pleraque Societatis munia, vti in communem vtilitatem spectant, ita apud homines sunt in honore. Quocirca verendum erit, cauendumque, ne munera illa tractantes, hac fluxâ illecebrâ consopiti, diuina præmia segniùs ac remissiùs curent. Neque aliter tuti erunt ab hoc periculo, nocentiore quò splendidiore, quàm si identidem assuescant officijs illis à quibus omnis abest naturalis irritatio, quæque vnum stimulum habent, spem amoremque cælestis boni.

His vtilitatibus aliam adiũgere. Lyceum, dum etiam dispares congregat, eosdem fermè coæquat: schola, domicilium, exercitatio, eadem vniuersis: Feruentis alieni more, seruor ille gymnasticus quantumuis diuersa cõmiscet. Quin etiam æmula res studium est, æque ac stadium. Vtrumque dum vnam palmam seu in præmio, seu in laude proponit multis, hoc in cunctorum animis votum accendit, non tam cutrere, quam præire; adeòque ad bonum illud contendere quod, quantumcumque est, comparatione constat. At studijs exactis magna subit inter nostros disparitas conditionis: Alij primarijs Vrbibus; alij gregarijs destinantur. Hunc Cathedra; hunc Magistratus adoptat; illum puericiæ, ac plebeculæ catechismus vocat. Nihil autem sua sponte durius humano ingenio, quam, ijs quos modò æquaueras, postbaberi; tum verò maximè si discrimen illud non fortunæ fauor, sed meritorum iudicium existimetur. Asperum quippe est in imo iacere; at longè asperius, dignum te haberi qui iaceas. Quò molliùs id feras, vna Cœli meditatio proficit; quæ perennem celsitudinem temporariæ humilitati pollicetur.

Id cum ita sit, Societas probos medicos imitatur, qui, cùm commisso corpori necessarium vulnus parant, id antea fatagunt, vt sauciandi membri sensus hebescat. Ita Societas annuo impendio alexipharmacum suis comparat quod humanorum sensum obtundat, eorum animo quantum fieri potest in cœlestia defixo, vt ad terrestres ictus stuporẽ cõtrahat, atq. indolentiam.

Nec

Nec tamen otium illud à studijs aut cum nausea, aut sine fruge transigitur. Quod enim vacat à cœlestibus meditamentis, partim datur sacræ lectioni tum diuinæ Scripturæ tum quorundam Patrum, qui non tam doctiores, quam meliores legentes faciunt; partim recolendis, explicandis, commentandis regulis, & constitutionibus nostris; partim pueris, ac rudibus cathechismo imbuendis: tum verò excipiendis, delendisque confitentium noxis, & pascendis per solemnes quosdam dies sacrâ dape confluentium vndique conuiuarum agminibus, & animam agentibus in eâ postrema luctâ cohortandis, iuuandisque; denique identidem per vicos & plateas habitarla quadam, atque incompta eloquentia, adeòque pugnaciore, populis ad cælestium cogitationem, ac studium excitandis. Porrò sæpè verum est illud Senecæ, *qui nihil agere videntur, maiora agunt*.

CAPVT XXXI.

De graduum discrimine in Societate.

PRobatis in hoc postremo tirocinio socijs, varia eisdem munera committuntur, aut philosophiam docendi, aut concionandi, aut procurandi rem familiarem, aut regendi piorum hominum ad nos conuenientium sodalitia; in qua munerum administratione non minus quam in illo ipso tirocinio se iterum probant. Nulla enim certior virtutis probatio quàm actio. Vbi verò in eiusmodi officijs aliquot annos consumpserint, & tertium supra tigesimum ætatis annum expleuerint, ita vt nihil iam inexpectatum ab exercitijs aut ab annis vel sperandum, vel timendum, certum assumunt gradum, ac perpetuò duraturum. Tunc quidem in duplicem classem diuiduntur qui priuata scholasticorum vota susceperunt. Alij professionem ineunt quatuor solemnia vota complectentem; tria scilicet quæ cunctis Religiosis familijs communia sunt, ac præterea quartum de missionibus obeundis

dis ad quamcumque fidelium, vel infidelium plagam pro nutu Summi Pontificis, vel Præpositi Generalis, etiam sine viatico. Et hi quidem non solum insolubili nexu Societati iungantur, se ipsi duntaxat primarijs Societatis Magistratibus capessendis apti sunt. Neque enim extra hos eligere licet eos qui aut Prouincijs aut Professorum Domibus præsint, aut altiores in Societate gradus obtineant. Hos verò tantum intelligam vbi in hac tractatione professos nullo adiecto attributo simpliciter nominauero.

Alij enim, sed pauci, inter nos trium duntaxat communium votorum solemnem professionem nuncupant, quæ illos Societati quidem indiuiduos reddit, non tamen maioribus muneribus in eâ procurandis idoneos, adeòque in alterâ classe mox enumeranda censentur.

Alter ergo est ordo *Adiutorum spiritualium* quos vocant. Eorum vota publica, sunt non solemnia, nec proinde sic fixa & indissolubilia quin Præpositus Generalis ex grauissimis causis possit eosdem votorum obligatione liberare, atque à Societate remouere. Cæterum in munerum administratione his cum professis trium votorum æqualis conditio est.

In eiusmodi classium varietate hanc legem habemus. Qui adeò in philosophiâ, ac theologia profecerint, vt possint vtramque cum dignitate tradere in Vrbe aliqua non ignobili & discipulis frequente, hi quidem si pietate simul, ac moribus conspicui sint, quarto solemni voto se se obstringunt. Quòd si minor alicui sit celsiorũ disciplinarũ possessio, sed is vel in politiore literatura, vel in diuinæ eloquẽtiæ theatris excellat; vel Indicas linguas, hoc est instrumẽtũ ad ingẽtia animarum lucra strenuum iuxta ac perarduum, laborioso apud illas gentes vsu sibi parauerit, vel Pontificij iuris peritiam teneat eximiam, vel piè, aptèque gubernandi dexteritate, ac prudentiâ emineat, vel alijs egregijs Dei donis insignis fuerit, arbitrarium erit Præposito Generali, vt ad quartum solemne votum asciscatur.

Qui eiusmodi dotibus carent, spiritualibus Adiutoribus annumerãtur. Si tamen aut virtute præclari, aut beneficio aliquo in Societatem collato de illâ egregiè promeriti, aut alijs egregijs dotibus perornati triũ votorũ solẽni professione dignãtur.

Hæc

Hæc ad ſummam lex, & conſuetudo Societatis eſt in graduum diſtinctione: quæ diſtinctio vti noua, ſic multis inuiſa: eadem, vt peculiaris eſt Societati, ita multis obtrectationi fuit.

Præ aliis verò Scottus vulgarium criminationum in nos buccinnator auidiſsimus, congeſtis ſine delectu quæ aduersùs hunc noſtrum morem vulgò effunduntur, ita ſcribit, vt non alio vitio noſtra ei diſplicere pateat, niſi quòd noſtra. Vt enim ardet illi animus ad nos reprehendendos, ità modò nullum *profeſſorum*, atque *adiutorum* diſcrimen vellet, omneſque professione nectendos: modò nos obiurgat quaſi in professionis honeſtamento laxiores, adeòque monet, vt hæc non niſi pauculis quibuſdam virtute, ac ſapientia ſummis conferatur.

Multa quoque ſuper hoc argumento muſsitat, ac turbat libellus Marianæ adſcriptus. Quocirca erit curæ prætium eorum accuſationes expedire.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Diluitur prima accusatio, quòd non semper digni professionem obtineant.

PRima Scotti causâ, ob quam hæc inter professos, adiutoresque distinctio delenda videretur, hæc est, *si ex plerisque patet, aliquibus conferri gradum coadiutorum spiritualium, qui tamen re vera digni essent gradu professorum, & hinc fieri, vt non pauci petant dimissionem e Societate, vel in perpetua animi amaritudine viuant.*

Equidem scio, id communiter expectari nunc a me, vt acriter pugnem, huic causæ locum non esse; quippe in Societate nostra semper electionẽ cum meritis cohærere. Ego tamen liberaliùs agam cum aduersario. Do tibi, Scotte, professione interdum insigniri aliquos quibus alij præstatiores ab eadem arcentur. Quid tum? Ideo ne abolenda præmiorum ac pœnarum distributio in quauis Republicâ, quòd nonnunquam & indigni præmia sortiantur, & innocentes ad supplicia damnentur? Enimuero id si asseras, continuò euelles duo illa fundamenta quibus vniuersa ciuilis gubernatio cõstat. Quis enim Areopagus, quænam ad votũ non ad spem excogitata Platonis Respublica id sibi vindicet, vt præmiorũ pœnarumque distributiones nunquã labantur? Diuinum hoc est, non humanum, in expendendis meritis numquam decipi in rependendis mercedibus nunquam violare mensuram.

Imò verò si Scottus legisset vnquam orationem Tullij pro Gneo Plancio, vidisset vtique pronunciatum quoddam sapientissimi Senatoris, quod non modò hanc eius expostulationem euertit, sed vulgaribus ingenijs mirationem facere potest. Affirmare non dubitat ibi Tullius, eam esse hominum conditionem vt Respublica gubernari vix posset si hæc persuasio dominaretur, non nisi dignos extolli, non nisi indignos præteriri.

Ratio validissima dictum probat. Cum enim plerique sint

sint ij qui summa nonobtinent; hoc solatio cõplures nimiũ sui amatores leniũtur, fortunã sibi defuisse non meritũ; Eam cæcam esse; non pro dignitate, sed pro libidine dona dispergere; sortis, ac virtutis tenuitatem nihil inter se habere commune. Ita non pauci dulci quodam errore, & publicæ quietis tanquam nutricio se mulcent; ni fecerint, in seditionem erupturi, eò Reipublicæ perniciosiorem, quò plures cõtra pauciores, hoc est contra meritissimos, quodam honoris thyrso perculsi ferrentur.

Ita fermè Tullius disputat. Sanè in religiosis cœtibus, non ex hoc quasi adulterino falsoque metallo, sed ex auro vero ac solido concordiæ vinculum texi par est. Ex auro, inquam, aptissimo humilitatis symbolo, vt potè quod ita cæteris metallis pretio ac nitore præstat, vt imum locum sibi vindicet tanquam debitum. Cæterùm illud voluntariæ demissionis culmen optari cunctis potest, exigi à cunctis non potest; certè Scotus euicit exemplo suo, non esse id cunctis è Societate commune vt infima sibi præoptent. Cum ergo, sicut ex vna parte nulla nocentior Societati pestis existeret, quàm frequens distribuentis iustitiæ violatio, ita altera ex parte eiusmodi violationis vitatio perpetua in mortalium cœtibus sperari nequeat, haud erit inutile leuamentum animorum hæ scabiè laborantium si norint, non hoc ipso quod cæteris post habeantur munere, ratum esse perspectumque, eisdem sæ æstimatione ac merito posthaberi.

Ssd certè adeò rara est inter nos professionis dignitas successu carens, vt solatium illud tenuiculum sit ac ferè nullum nisi philautiæ nescio quo tanquam microscopio sæpè grandescat. Sanctè testari queo, licet fama plerumque fortunæ inimica felicibus obtrectet, miseris adulatur, ex tamen quo in Societate viuo nunquã publicè dictitari auditũ à me, aliquos professione dignos per iudicum aut errorem, aut iniuriam fuisse repudiatos; Quamuis nonnunquam eueniat, decòra ingenia aut per infirmam valetudinem à studio prohibita, aut per indiligentiam profectu vacua, in examine cecidisse. Neque verò examen illud est veluti fatum quoddam immutabile, inexorabile. Etenim, vbi suspicari licet reiectum esse quempiam vitio non tam scientiæ, quàm fortunæ, quæ non

tantùm bellici, sed etiam literarij campi domina est, indulgere consueuit Præpositus Generalis semel reiecto noui examinis aleam. Quo fit, vt in maximâ tum iudicum, tum moderatorum clementiâ, vix vnum aliquando audierim qui sibi ipsi vsque adeò blándiretur vt, se repulsum iniuriæ loco censeret. Porrò annis iunctim reputatis vix in singulis Prouincijs per singula decennia quinos numerabis quibus examen infortunatum obtigerit.

At, inquis, etiam ij quibus interrogantium suffragium fauet, subinde à professione repelluntur arbitrio Præpositi Generalis. Verum dicis. Non enim solas literas habemus in pretio: virtutem doctrinæ præferimus; neque Lyceum quoddam, aut Academiam nouam, sed nouam Christi centuriam instituit Ignatius: Interrogantes de scientiâ iudicium ferũt, moderatores de virtute. Nec tamen quos scientia professioni pares facit, virtutis vacuitas ad gradum vnquàm deprimit Adiutorum: Sed vbi culpæ aut grauitas intoleranda, aut emendatio propter frequentiam insperabilis, à Societate diuelluntur. Sin autem mores vtcumque ferendi sint, non inculpati, neque spes melioris frugis exaruerit, differtur professio, dilatione tum in supplicium, tum in probationem adhibitâ. Sed, vt in bonâ Republicâ infrequentes graues poenæ sunt, ita perpaucos ex nostris professio moratur. Certè in hac Romanâ Prouinciâ duos, tresue eiusmodi reperies; Hi verò annuam, aut biennem non amplius dilationem pati solent; si longior, diu memorabilis, quoniam rarissima. Res narro cunctorum oculis expositas, in quibus mentiri non tantùm audax foret, sed insanum.

Iudicet iam vnusquisque, num in hac paucitate eorum, quibus professio vel negatur, vel differtur, frequens esse possit iniuria.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Diluitur contraria accusatio, quòd largius agatur in professione deferenda.

ALtera pars accusationis obtrectationum feracior est. Vix vllum esse iam Adiutorum, ac Professorum discrimen. Omnes promiscuè profiteri; quo factum est, vt quod erat præmium, atque honestamentum, iam mera vacuitas pœnæ ac dedecoris habeatur. Neminem hoc tempore magis lætari quòd asciscatur inter professos in Societate, quàm communiter mortales lætentur quòd integris membris sint & nullâ insigni notâ deformes. Id verò quam noxium: Ingentem esse corruptionem regiminis, si quod remuneratio fuit, commune iam debitum, quodque anteà priuatio insignis præmij, supplicium euadat. Nempe illa Respublica bene habet in qua ciues præmiorũ spe magis, quàm pœnarũ metu ad benè facta permouẽtur. Spes enim amoris socia est, metus odiũ comitatur, illa aureum ingenuorum calcar, hic rudis mancipiorũ stimulus: altera voluntariũ auget, altera inuolũtarium quadãtenus & coactum efficit. Ita (puderet fateri ni prudens lector vitia non tam nostræ familiæ, quàm humanæ naturæ sit agnituris) ita, inquam, disputarunt subinde nonnulli qui de suâ professione iam securi, alienam raram, ac difficilem voluissent. Neminem quippe talia differentem audiueris, quin vel re ipsâ professus esset, vel saltem dotibus professionem certissimam pollicentibus exornatus. Plerisque siquidem mortalibus, vel egregiè probis, commodus quidam error subrepit vt publicum bonum priuato metiantur emolumento. Quicumque Senatoriam dignitatem cupit, is nouam Senatorum cooptationem perutilem fore contendit; hic idem vbi primùm inter Senatores adscriptus est, omnem nouã adscriptionem ranquàm superuacaneam adeòque noxiam condemnat. Idque non verbis tantùm, sed mẽte; ex proprij nimirum commodi tanquàm præstigijs hallucinatâ: nec tam ex inuidiâ ne plures fruantur, quàm ex gloriâ vt præclarius sit in ipso quod rarius in cæteris. Nos

autem nullo priuatorum compendio id consilium adhibito rem ipsam expendamus.

Vtiq. sic interpretor: satiùs esse, vt liberaliùs, quàm vt parcius agatur in professione deferendâ. Liberalitatem volo non prodigentiam: quò postremæ Congregationis decretum collaudo, nimirum vt ex quatuor alienæ scientiæ exploratoribus, non duorum sicut anteâ, sed trium arcana suffragia disertis verbis concepta, & iuramenti religione firmata desiderentur.

Intellexit quippe Societas quàm cupidus sit vnusquisque, non penitus ferus, vt per ipsum alijs fœlicitas potiùs, quàm miseria paretur. Quæ naturalis propensio, suâ spõte proba, eò excessit, vt homines maiori miserationis, quàm crudelitatis vitio laborent; ideòque ad illam præcipuè purgandam Tragœdiæ sint institutæ, vt Aristoteles interpretatur. Quoties ergo quatuor iudices ex æquo diuisi fuerint, probabilius est fauentes humanius indulgere, quàm aduersantes seuerius refragari. Nec enim iudices illi ex eâ sunt hominum classe, quibus maxima de professione sit gloria, quibusque propterea honestius sit professorum ordinem rarescere, quàm amplificari: Sed cum veterani sint Theologię in primarijs Academijs Magistri, & multarum laurearum athletæ; nihil de suâ dignitate detractum intelligunt ex multitudine profitentium. Propterea Societas non iniustè agit si positâ discordium suffragiorum æqualitate, examinatum repellit. Nec enim agitur de supplicio, quod infligere nefas est, nisi crimen pateat, sed de remuneratione, cuius assequendæ nemo ius habet, quin eius meritum liqueat. Non verò liquet si res in ancipiti est apud iudices quos beneuolentia potiùs quàm odium suspectos facit.

Postremam hanc igitur Societatis sanctionem probo, & nihilominus in priori sententiâ perstò, liberalitatem prę parsimoniâ in concessione professionis expedire. Nimirum coarctatio hęc noua professuros non imminuere, quod Scottus vellet, sed exacuere contendit. Quando nonnulli tantùm in literariâ palęstrâ desudabunt, quantum sibi ad hanc palmam opus esse intelligent, cæterà otiaturi.

Porrò vix quispiam est è scholasticis nostris, vt potè quorum

rum magnus in admissione delectus, qui non possit explere mensuram doctrinæ ad profitendum desideratæ; nisi natiua ingenij feracitas pet socordiã sterilescat. Quare lex illa seuerior doctiores professos faciet, pauciores vix faciet. Et verò pauciores facere neque caritas optat, neque vtilitas suadet. Caritatis porrò consilium quis dicat, certamen forte cunctis dare non vt plurimi vincant, sed vt succumbãt? Tyrannicũ hoc est non paternum; neque alio titulo infamis habetur Euristeus in fabulis. Quod si scholasticis nostris ea caritas esse debet in Societatem, vt in eam interiùs ingredi, atque in vnum perpetuò coalescere ardeant, præclarè scilicet huic alumnorum caritati Societas respondet si eosdem à se repellere, atque arcere vicissim contenderet. Egregium enim verò id esset mutuæ beneuolentiæ certamen!

Respuit quidem Societas Professorum turbam, vt in constitutionibus habetur: at neminem è suis scholasticis talem denique fieri vellet, qui iure in hominum turba, non in delectu sit numerandus: frequentiam ergo professorum optat, turbam non optat.

Hæc de caritate, iam de vtilitate. Ad vtilitatis igitur etiã leges curandum est vt professi quamplurimi sint, adiutores pauci. Euinco id primum ex illo communi præcepto, auxiliares minimam totius exercitus partem esse oportere. Comprobo ex eâ Populi Romani deliberatione quam refert Seneca *In Senatu*, inquit, *dicta est aliquando sententia vt seruos à liberis cultus distingueret. Deinde apparuit quantum periculum immineret si serui nostri numerare nos cœpissent*. Age verò, si à numero seruorum hoc est vilis turbæ, & ad infima natæ, populus ille Mundi expugnator sibi timuit, an non à multitudine honestorum hominum, quorum nec illiberalis ortus, nec ignobile ingenium, nec abiecta consuetudo, timendum erit, ni singularis quædam numinis gratia admirabilem demissionis amorem, ac voluptatem inspiret? lib. 1. de Clem. cap. 24.

Comprobo ex illo eiusdem Romani Populi more, quem de re ciuili scribentes passim collaudant, vt scilicet victis clades in lucro esset, dum in societatem Romani nominis adnocati, non tam inter æmulorum subditos, quam inter terrarum dominos numerabantur. Scilicet hęc omnia ex vno

tanquam

tanquam initio pendent; Illi nimirum Vniuersitati feliciora succedent, ad cuius quamplurimas partes successuum felicitas pertinebit. Ideò populares Respublicas expugnare, perarduum est, adeòque illas in quibus præcipua bona vel re, vel spe pertingunt ad plures. Validiùs enim pugnant qui pugnant sibi: Neque ab alijs militibus tutior Principis defensio, quàm quibus mutatio Principis esset imminutio potestatis. Acutè Durandus vocem illam scholasticorum, quæ docet, commune bonum priuato naturaliter anteferri, ità interpretatur, vt id verum tantummodò sit si priuatum omne bonum in illo communi concluſum appareat: quo pacto creatarum rerum bona omnia constant in Deo, quo sublato cuncta corruerent: ideòque insitum esse fatetur creatis rebus, vt diuinum bonum præ suo æstiment, ceu totum præ particulâ.

Hic tamen malignè agam, si nostros Adiutores laudatione meritissimâ defraudauerim. Illos enim tam ingenuos Societatis amatores experior (loquor id quod etiam exteris quibus cum agunt liquere potest) vt professis in hac communis parentis caritate nihil decedant: Quò diuinum nescio quid natiuas, consuetasque mortalium affectiones perficientem in ipsis fateri cogor. Quam caritatem Societas vt remuneretur, vt foueat; mutuam in eos caritatem & exercet, & debet, ab omni despicientiâ, neglectuque remotissimam. Verùmtamen, quæ humanâ ex libertate pendent, varia semper sunt, atque intuta. Quid ni ergo aliquando contingat, quempiam ex Adiutoribus, quoniam à præstantissimis Societatis muneribus excluditur, eam quasi à se alienam putare? eique non tanquam filium, sed tanquam subditum, aut famulum auxiliari? Id vbi acciderit, iam is desinet esse idoneum Societatis instrumentum. Iure siquidem ille amantium exercitum ad certam victoriam desiderabat. Igitur præciso nexu illo caritatis quo hic anteà Societati non tam domicilio quàm animo cohærebat, satius est eumdem ab eâ separari posse; quasi excrescentes vngues, capillosque non eâdem costantes animâ ac reliquum corpus, adeòque illud onerantes potiùs quàm perficientes. Id causæ est cur Ignatius Adiutorum cum Societate communionem solutilem fe-

ceris

cerit. Magna quippe corporis tum deformitas, tũ molestia si vnguiũ capillorumq. inutilem sarcinã ponere nequeat. Aliquos tãtùm Societas interiùs per solemnẽ trium votorũ professionem agglutinat sibi, quorum dotes, & benè facta, vel hãc suspicionem diluunt, vel certè merentur vt eorum gratiâ hoc qualecumque discrimen eligatur.

Quod verò vrgebant, ab hac professorum multitudine professionem vilescere; eam quippe iam ex honestamento in meram dedecoris vacuitatem degenerasse; adeò non euincit, vt si probè examinetur, accusatio in laudem vertenda sit. Sine dubitatione pronuncio; multò contentiùs in professione promerendâ desudari hac ipsâ de causâ quòd illa gregarium quid est, non egregium. Etenim duo sunt bonorum genera; Alterum eorum quibus potiri vulgare, his porrò carere miserum est; Alterum quorum possessio præclara, horum contrà priuatio tolerabilis habetur. Scilicet homines leuiter ferunt non assurgere ad summa, à communibus arceri vix ferunt. Cum ergo studiorum labor assiduus, & potiorem vitæ partem conterens, per se plures exterreat, nulla potentior irriratio ad eum deuorandum, quàm innatus quidam horror infimæ conditionis ne ad mediocra quidèm ascensuræ. Quod si professio ingens decus esset ac rarum, vereor ne plures ad eam promerendam ingenio idonei, otium sine dedecore honestissimis sudoribus anteferrent. Certè vix aliquis est inter plebeios, qui vt vitam non malè agat morosissimos opificiorum labores detrectet: eximia illa, laureæ, infulæ, purpuræ, multos quidem inflammare videntur, si cãdidatos cum possessoribus numero conferas, at si eosdem cum totâ hominum vniuersitate comparaueris, ornamenta hæc in magnâ procorum viduitate iacere dixeris. Vix enim ex centenis quibusque singulos deprehendes quibus operæ pretium videatur ad ea pro viribus eniti. Multi dicuntur in stadio currere comparatè ad eum qui accipit brauium, ille enim vnus est; At comparatè ad sedentes, spectantesque, & tamen pedibus celeres, quàm pauci cursores? Cur, enimuerò? quia præstabilissimum quidèm est in stadio vicisse, at, non vicisse quia non contenderis, nil indecorum est nil miserum, quippe commune. Acriores stimulos habet auersatio mali,

quàm

quàm appetitio boni. Cum ergo labor, si quid aliud, in malis naturę inimicis habeatur, non aliter hic validiùs ingeritur, quàm si malum aliud immineat labore molestius, cuius non alia sit deuitatio quàm strenua laboris perpessio. Ex his cõfeciſſe me arbitror, expedire quod huic Societatis consuetudini quasi vitium imputatur; Nimirum vt non tam professio sit inter iucundissima, quàm priuatio professionis inter aspera; quò vnusquisque ad eius adeptionem strenuè connitatur, adeòque nemo iaceat infra illum literaturæ gradum qui cunctis fermè scholasticis nostris parabilis est nisi vel oscitantia, vel inualetudo interceſſerit.

Quod enim addebatur, meliorem esse Rempublicam si amor boni, præ metu mali ciues exstimulet, infinitum quid est atque ancipitis significationis. Porrò vel *mala* vocas quæ spoliãt naturalibus bonis, ceu exilia, carcerem, verbera, & similia horum: & do tibi quod ais. Hæc autem mala Societati adeò infrequentia, vt ferè ignota.

Sin appellas *mala* priuationes quorundam bonorum, quæ bona licet non cuiuis naturâ debeãtur, tamen sic latè patent vt eorũ absentia quasi pars infœlicitatis expertes mordeat; sanè nulla esse potest recta Respublica ab eiusmodi malis vacua. Sicut enim pulcherrima quædam præmia insignibus meritis sunt proponenda, sic etiam expedit gregarias vires, si nauiter exerceantur, indonatas non esse, ne fortè labor prævalidorum sit, adeòque rarus, torpor mediocrium, & cõsuetus. Id ergo seruandum est (vt nouam huius rei similitudinem inueniamus in stadio) quod Romæ nuuc in baccanalibus ludis. Ibi nempe brauium spondetur non pernicibus dumtaxat iuuenum cruribus, sed etiam tenellis pueris, confectisque ætate iam senibus. Ita in benè ordinatâ Republicâ mercedes quasdam esse oportet mediocribus viribus expositas, quarũ pro nde vacuitas cùm rara sit dolenda contingat.

Cæterum haud in Societate desunt multa, ac præclara præstantis literaturæ decora, veluti sublimium facultatum in primarijs gymnasijs cathedræ, studiorum ibidem præfecturæ, in regalibus Vrbibus sacri suggestus, aliaque sexcenta, per quæ insignior quorundam doctrina à secundario profitentium populo secernatur.

At

At enim, inquiunt, magna hinc animorum amaritudo ijs qui ex professione repulsam patiuntur, eò inhonestiorem quò rariorem; quæ amaritudo continenter glisçens venenatum quid, ac lethale in venis Societati tanquam ægro corpori molitur.

Malè ominatis parcite verbis. Annon euici, opus esse vt in qualibet Republicâ quædam facilè parabilia sint ornamenta quorum priuatio erubescenda? Quid est cur inde tristiora Societati nostræ, quàm cæteris vniuersitatibus præcinantur? Sanè infausta hæc Marianæus libellus tanquam instantia vaticinabatur, vaticinijs tamen à successu quadraginta fermè annorum damnatis; Tot enim ex eius libelli scriptione fluxerunt anni, per quos & ea lex in Societate retenta est, & nihil graue ac turbidum ab Adiutoribus paratum. Nec verò, si rem ipsam spectemus, satis causæ ad timendum. Adiutores enim spirituales sunt duplicis conditionis. Alteri ad Societatem afferunt grandiorem ætatem, eamque rudem literaturæ ad professionem desideratæ. Hi porrò ab ipso ingressu secundariâ sorte contenti, & nihil posteà inopinatum nacti, non ægriùs ferunt infra professos recenseri, quàm obedire, quàm pauperascere, quâm carere profanis honoribus, commodisque in religiosæ vitæ adoptatione repudiatis.

Alteri verò sunt, qui adolescentiam Societati dicarunt, quosque studia vel emensos, vel ingressos, spes professionis fefellit. Ab his quoq. tripliei de causa nihil pauendum. Primũ, quia si quid turbare aueant, nec numero, nec scilicet auctoritate, ingenioque par illis cum professis congressus. Tum verò, quia ni ea conditio satisfaciat, exitus facilis; Rarò enim ab inferioribus nisi pro libertate pugnatur. Demum quia si nulla tandem Respublica adeò corrupta est vt omnes æqualitatem peruelint, quid censendum est de religiosâ familiâ, in qua pietatis, ac voluntariæ demissionis cultus nunquã aut intermissus, aut remissus?

Paucis recolam quod multis exposui. Neque caritas, neque vtilitas nobis suadet, vt profitentium raritati studeamus. Non quidèm caritas: quando enim ab vnoquque nostrorum Scholasticorum exigimus eum Societatis amorem, quo is ad intimum ac perpetuum cum illâ tanquam cõiugium aspiret,

ingratè cum ipsis, atque illiberaliter ageretur nisi in idem votum Societas mutua caritate conspiraret. Quam voti consensionem vt frequentissimè successus expleat, Societati perutile. Alioquin multa erunt Societatis membra tanquàm ascititia, & solutilia, neque ex inuitamento propriæ vtilitatis publicam totis viribus quæsitura. Quam Sodalitatis formam non optimam fore & ratio ipsa per se, & sapientium Rerumpublicarum exempla contestantur. Neque leges nuperę professionem arctantes, professorum paucitati, sed præstantiæ consuluerunt; cuius præstantiæ mensura in multis eadem est ac necessitas ad profitendum. Non enim, vt professione decorentur; requirimus supra id quod cuncti fermè Scholastici nostri possunt si valeant, si satagant. Nec professio per eam copiam minus optabiliter quæritur ceu vulgaris; quin auidiùs, ceu necessaria. Mœror quidem hinc non profitendi grauior, sed etiam rarior. Præterquam quod lenitur tum quia norunt, se cogente legis imperio ab inuitis, & libentiùs suffragaturis repudiari, tum quia præter summorum Magistratuum communionem de reliquo planè professis coæquantur, tum quia si intoleranter pertæsum fuerit, abitus patet; Ad extremum quia assiduus religiosæ virtutis cultus, & iuge cum humilitate commercium ictus hebetat huius teli; quod plures in quauis Republicâ petat necesse est. Adstipulatur his rationibus experientia: quando nihilquam spirituales Adiutores contra Societatem moliti sunt; imò plerique pari caritate ac Professi in eam exarserunt. Scilicet inanima sunt in quibus partium nulla disparitas. Et subsistere, modicè fertur, si præstantiam merita conserant, fastus & insolentia non comitetur.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

Expenditur altera ratio ab Aduersarijs petita ex periculo inhoneſtæ mendicationis in Sacerdotibus à Societate dimiſſis.

HAec eſt altera ratio quam Scottus intentat. Cum enim Adiutores noſtri dominio quocumque bonorum ſe abdicent, ſi poſteà contigerit eos à Societate dimitti, mendicatò cogentur viuere, quod & Sacerdotio indecorum, & Pontificum, Conciliorumque ſanctionibus aduerſum. Sed miror tam parum oris eſſe Scotto, vt hæc Sanctiſsimo Innocentio X. proponere non vereatur. Quaſi verò hallucinati fuerint tot ſapientiſsimi eiuſdem Innocentij Deceſſores, non dicam Paulus Tertius, Iulius Tertius, qui hanc Societatis legem approbarunt, non dicam Tridentinum Concilium, cuius decreta cũ acuratiſsimè Sacerdotum egeſtatem auerterint, Societatis tamen inſtitutum ſine exceptione, aut controuerſia confirmarunt: Non, inquam, hos appellabo quando hunc nominatim articulum ab his excuſſum nõ legimus; & poſtea Pius V. ſuper eo nutauit. Sed num caligaſſe credendi ſunt duo Gregorij XIII. & XIV. qui re ſciſſa eiuſdem Pij V. iuſsione priſtinam Societati facultatem reddiderunt? An Clemens Octauus qui auditis ſententijs ampliſsimorum Cardinalium tum Tridentini Concilij Interpretum, tum ſacroſanctæ Inquiſitioni præfectorum, nihil eſt in re mutandum exiſtimauit? An Paulus V. qui rem interiùs ſcrutatus, auditiſque per Cardinalem Bellarminum rationibus quibus nixi Patres in ſeptima noſtra Congregatione coacti hanc Societatis legem, & conſuetudinem tutabantur, integra omnia ſeruauit?

Vulgata loquor ac typis edita. At enim, dices, homines hi tandem fuere quos proinde ſuſpicabile eſt vel ſua ſponte, vel officijs noſtris deceptos. Quid eſt ergo cur leges, poſt tertiã non modò ſupremi Principis, ſed minoris Magiſtratus ſententiam ſilere iubent litigantes? Scilicet quia expedit (quod

ille aiebat) mortalium controuersias esse mortales. Alioquin ni Deus interfit qualis, & quantus videri cœlicolis solet, ne ipsa quidem vicaria Diuinitatis potestas iterato quantumuis iudicio accusationes extinguet; reisque sordes perpetuò eximet.

Age verò; alium proferam suffragatorem qui nunquam fallitur, mihique in hoc vniuerso opere solet præsto esse, experimentum: Appello singulos Christiani Orbis Antistites, & rogo, multos ne viderint è Societate dimissos in miserâ fame. Non satis rogani, rogo vt testentur, ex æquali vtrorumq. numero vtrum plures cibariorũ egenos compererint inter Sacerdotes à Societate dimissos, an inter eos quibus ad Tridentini Concilij decreta patrimonium constitutum, Sacerdotiumue aliquod alimenta sufficiens collatum fuerit.

Enimuerò nemo, vt arbitror, ita deerrabit vt credat, patrimonia hæc aut Sacerdotia ante sacrorum Ordinum susceptionem desiderari ab Ecclesiâ diuinos tanquam sponsores cunctis fortunæ casibus occursuros. Quid enim? Mitto incursiones hostium, exundationes fluminum, motus terræ, calamitates grandinum, aliasque fortuitas agrorum sterilitates; domorum ruinas, vel incendia. Mitto lites inopinatas, quæ alienum, vel alijs obligatum produnt quod sacris initiandus suum ac liberum putarat, vel ostentarat. Sed præter hæc quàm frequentia, vel ægrotationum impendia, vel æs alienum omni sacrorum canonum priuilegio reiecto contractum, vel alia fexcenta, quæ Sacerdotem tenuiculo patrimonio dotatum in turpem egestatem pertrahunt? Enimuerò ne ipsa quidem Belisarij fortuna, vel Marij Consulatus & triumphi mendicitatis securitatem homini præstant. Satis ergo Sacerdotum statui consultum, vt in humanis, vata est Ecclesia ij si tantum initiarentur quibus nulla probabilis suspicio mendicationis necessitatem minaretur. De reliquo, aggerem adamantinum fortunæ incursibus apponere, illius tantum sapientiæ, ac potentiæ est, quæ fortunam regit.

Hæc cum ita sint, expendamus vtri ab egestatis periculo remotiores, an qui sexcentorum scutorum patrimonio præditi, vel modico sacerdotio potiti, an qui emissis in-

Socie-

Societate votis sacros Ordines suscipiunt.

Primò ex his, quos postremo loco nominaui, vt summum singuli inter quinquagenos à Societate recedunt: cæteri extra omnem famelicę inopiæ aleam: Nullius enim Cresi thesaurus tam fidelis ad vitæ necessaria, quàm religiosa paupertas. Tum verò ex illis pauciſſimis qui post acceptum sacerdotalem characterem à nostrâ Sodalitate discedunt, si quis bona sua Societati donauerit, nunquam alimoniæ indigus amandatur. Quod si eadem bona transtulerunt in cõsanguineos, hi ad eosdem enutriendos si minùs ducantur amore, lege coguntur.

Sed finge vndecumque inopem. Stilponis certè illum decantata comitabitur opulentia, qui se omnia sua secum portare prædicabat. Ad luxum profectò, ac delicias plus virtũ est inexterioribus fortunis, quàm in interioribus bonis. Contrà ad naturæ necessitates hæc præ illis firmiora, quippe nunquã defertura. Diuites pauperascere frequentissimum; at virum literis, cæterisque animi dotibus instructum emendicatò viuere, vix auditum. Atque hoc est patrimonium illud maximè omnium stabile quo dotati sunt quicumque in Societate sacris Ordinibus admouentur. Patrimonium porrò tutius quàm *verberata grandine vinea, Fundusq. mendax.* Patrimonium immobile quoniam mobile; nunquam enim remouetur à nobis quoniam mouetur nobiscum. Hoc patrimonium Dionysio alendo constantius, quàm Regnum Cereris domicilium, fuit. Hoc vbique terrarum quærit illis aut opportuna sacerdotia, aut commodas Magnatum clientelas, aut lucrosam docendorum iuuenum curam, aut alia eiusmodi munera victũ amplè suppeditãtia. Scitè Venusinus.

Ad summam sapiens vno minor est Ioue diues.

Ac rem ita se habere patefactum est in eâ, quam nuper laudaui, septimâ Congregatione, vbi nostri Præpositi Prouinciales ex omni terrarum plaga congressi vix decem in cunctis Regionibus recensere potuerunt, qui sacerdotali ordine consecrati, ac postea è Societate egressi, mendicitate premerentur. His verò non magis consulendum, quàm multò pluribus qui vel vt inemendabiles ab alijs religiosis familijs expulsi, vel ob maleficia beneficijs ab Ecclesiâ priuati, indecoram

coram, sed non immeritam paupertatem ferunt. Cum enim nemo innocenter, eijciatur à Societate, tum maximè Adiutores spirituales qui publica vota nuncuparunt, non nisi graviores compertæque noxæ à nobis diuellunt inuitos. Qui verò pertinacibus, molestisque flagitationibus dimissionem extorquent, hoc ipso nomine contra suscepta vota sacrilegi sunt; quocirca si egressi egestatem offendunt, meritam criminis mercedem offendunt. Sed rarum hoc est, atque insolitum. Nec enim auicula euolabit è caueâ, ni victum sibi in aperto paratum cernat.

Quare nil peculiaris incommodi, aut dehonestamenti ex hoc Societatis more imminet sacerdotali dignitati; nisi quantum illita odio ingenia, tanquam infecti oculi, vbique nubes vident, quia secum ferunt.

Cætera quæ Scottus obijcit super hoc Professorum, atque Adiutorum discrimine digna non sunt, vt eorum superuacua responsio lectorem nostrum non tam edoceat, quàm fatiget. Quare cum eiusce discriminis veras, intimasque iam causas exposuerimus, cætera quæ improbandi libidine congeruntur facile præterimus; Aristotelis documentum secuti: talia esse veræ sententiæ fundamenta extruenda quibus cunctæ aduersariorum rationes tanquam fluctus scopulis quiescentibus allidantur. Nempe, ne friuola quidèm ex aduersis contemnere, patroni est abiectius de Iudicum intelligentiâ existimantis.

CAPVT XXXV.

De Regula Societatis super detegendis aliorum arcanis culpis.

PRæstat hic examinare quasdam Societatis Regulas, quas modò præcisè, modò amplificatè narratas in magnâ inuidiam osores nostri apud vulgus trahunt. Nihil enim tam probum, quin si aliquid addas, vel detrahas, vitiosum fiat.

Harum præcipua est quam habemus de aperiendis religioso Moderatori cæterorum arcanis culpis. Super qua regula

regulâ primùm scito, eam non loqui de culpis exterorum, sed nostrorum dumtaxat. Tum verò excipi, quas deprehendimus non modo in sacrâ homologesi, sed per occasionem petiti consilij. Tertiò scias, hanc regulam nominatim cunctis ostendi in ipso Societatis ingressu, vt noverint, si placeat in Societatem nostram conuenire, cedendum esse qualicumq. iure, quod alioqui haberent ne occultæ ipsorum noxæ detegerentur. Scias quartò, eiusmodi noxas pandi religioso moderatori, non tanquam Iudici ad pœnam, sed tanquam patri ad medelam.

Quintò scias, nullius ne leuis quidem peccati præcepto nos adigi ad eiusmodi denunciationes, sed tantùm eas nobis licere, *adhibito tamen caritatis modo*, vt nostra loquitur constitutio.

Aduersùs hãc regulam sine fine inclamatũ. Quippe nulla materies ad calumniã aptior, quã quę prima fronte videatur in subditos vel iniquior, vel asperior. Cum enim plerique hominum subsint, pauci præsint, communis est & subiectorum fauor, & imperantium inuidia. Et quemad modum confusa distinguere, subtilis ingenij est, adeòque rari, ita pauci cum de imperantibus disputant, obseruant discrimen quod est inter eos qui inuitis imperant, ac eos quorum imperio se alij sponte submittunt. Hoc porrò discrimen scitè notauit vir acutissimus Ioannes Ciampolus vbi profanos legislatores cum religiosorum cœtuum fundateribus contulit. Quis enim Tyrannus immanior, quàm qui populos sorte sibi, & non voluntate subiectos ijs legibus deuinciret quibus spirans ille typus Christi Franciscus familiam suam amplissimã obligauit? Quocirca miror aliquos addubitasse, num rata sit illa abdicatio iuris circa non nullum famæ suæ detrimentum, quæ fit à nostris dum huic regulæ se vltro subijciunt. Quid enim? ratum erit cedere iure quod immune ab omni patriâ, regalique potestate obtinet vnusquisque connubij iungendi, stirpisque propagandæ: ratum erit abstrahere à se penitus dominium illud exteriorum rerum quod ipsa nostri earumque procreatrix natura nobis ingenuit: rata erit non tantùm perpetua humanarum voluptatum abdicatio, sed irreuocabilis electio vitæ tantis asperitatibus obsitæ, quantas capi-

capitalis noxæ meritum vix coæquaret: & irrita erit facultas qua Religiosis sodalibus meis permittam, vt si quid forte à me peccatum deprehenderint non quidem à me consulti, sed rem aliunde odorati, id non vniuersis significent, non multis, non paucis, sed vni? Cui nam verò? Illi scilicet quem sponte Christi loco mihi præfeci, cui me formandum perficiendumque commisi, cui perennis meæ fœlicitatis procurationem vnicè credidi; quique arcanum illud non tanquàm aliquid suum communicare cum alijs, sed tanquam depositum sibi vni custodire fideliter debeat, eamque scientiam vsurpare non tanqnam iudex in vltionem, sed tanquam pater in salutem?

An pia Sodalitas in hanc institutionem consentiens malè audiet apud alios quàm quorum auribus absona quæcumque nostra?

At, durum est ex occulto crimine apud Antistitem meum opinione imminui. An nescis commune medicamentorum esse, vt tristia sint, quò ex eorum horrore cautio à morbis accuratior. Et sanè hoc primum, hoc summum medicinæ fundamentum est, morbi notitia in medente. Nullo pretio non emerentur perspicilia perquæ in penitissimas ægroti fibras, ac latebras medici acies penetraret. Nihil tam occultum tam erubescendum, de quo medicum celes: quò locus est factus religiosissimo illi Hippocratæo sacramento super fideli arcanorum silentio.

Clamant, aliquando crimen esse in posterùm innocens, nullamque postulans curationem. Rarum id erit, ac vix opinabile. Nulla enim fruges tam seminalis quàm peccatum. Quod aiunt: Bonum fusile esse, vtinam non verius in aduersarium Boni Peccatum conueniret. Sed esto, quod fingis aliquando contingat. Percunctor ex te, num benevolus quispiam si quid ab ægroto intemperatè, & contra medici præscripta patratum videat, idque medicum edoceat, reprehendendus fuerit quasi obloquutor, quamuis notitia illa per se superuacua videatur ad futuram curationem. Minimè verò. Nempe medici iudicium hoc est non aliorū. Quot sunt quæ ab imperitis neglecta magnum tamen re ipsa momentum haberent ad morbi tractandi modum si medentibus

tibus innoteſcerent. Hoc verò multò magis in religioſum moderatorem valet, cui animi cura, non tantùm corporis; quique non modò (ſicut cuncti artifices ſuâ inarte) reliquos plerumque antecellit in eiuſmodi morborum peritiâ, ſed in latentium factorum notitiâ; cui notitiæ ſi alia, quantumuis rei per ſe minuſculæ, accedat, plurimum faciet ad ſanationem ægrotantis. Quippe in omni rerum genere minimum eſt quo maxima conſummantur.

Si tamen perſpectum ſit, renunciationem illam nil profuturam Sodali, ſeu quòd hic emẽdatus planè iam ſit, ſeu quod per moderatoris curam inemendabilis dignoſcatur, fatemur nefas tunc eſſe nullo profectu famam eius contaminare. Sed vtrumque inſolitum; atque adeò, ni pateat, non credibile.

At enim, vociferantur, hunc morem diuino præcepto repugnare, quo iubemur priuatâ monitione peccantem corripere, antequam peccatum Eccleſiæ prodamus. Hanc accuſationem non vberiùs quàm ſapientiùs euertit Suarius. Quapropter ne librarij potiùs, quàm ſcriptoris vice fungar, omittam pleraque illorum quæ ipſe affert vel ſuper expoſitione contextus Euangelici, & Pontificiarum legum, quæ hunc locum tangunt, vel ſuper enucleandis hac de re aliorum ſententijs. Satis habeam ſi præmittam, quod ipſe multis palam facit: ea Chriſti verba communiter explicari de peccato admiſſo *in* ipſum denunciantem, hoc eſt *aduersùs* ipſum, & de quo ipſe publicam vindictam poſtulet, Eccleſiam compellans non vti fontis parentem, ſed vti iudicem, quæ illum ſit habitura *tanquam ethnicum, & publicanum*: adeòq. documentum illud Chriſti non tam eſſe legem neceſſitatis, quàm perfectionis. Certè S. Thomas 2.2. q. 33. art. 2. & 7. pronũciat, nullo præcepto nos teneri per ea Chriſti verba, quo anteà ex naturali lege non teneremur: quandoquidèm ex Euangelio nullum præceptum arbitrarium, ac nouum, atque, vt aiunt, *poſitiuum* nobis iniungitur niſi ſuper vſu ſacramentorum. Quæſtio igitur vniuerſa pendet ex ipſo præcepto naturalis caritatis: Quodtamen præceptum multi grauiſſimique ſcriptores ſuper præmittendâ fraternâ monitione aſſerunt, antequam Euangelica, nedum iudicialis, denunciatio adhibeatur.

Digitized by Google

Hanc porrò quæſtionem vt enodemus, rogo te, num diuino ac naturali iure obligemur vt carnea fercula, lineam ſubuculam, lineamque ſyndonem ſuppeditemus ægro ſine illis interituro. Quis neget? Cur verò altera Carthuſiano, Franciſcano altera non miniſtrabis? Quia in eiuſmodi vitæ adoptione alienarunt à ſe ius illud tum iuſtitiæ, tum caritatis quo ſibi horum ſuppeditatio naturâ iubente deberetur; Et tamen interius quid eſt, & coniunctius vnicuique ius vitæ, quàm famæ: vitæ ſiquidèm à Naturâ nobis creditæ cuſtodes ſumus; fidem violaturi ſi depoſitum negligamus: Famæ neglectus, modò cætera innoxius, inter ſanctimoniæ facinora commendatur. Et verò præceptum illud quod obiectas, vt pleraque alia, per ſe quidem tenet, non autem in peculiaribus circumſtantijs, in quibus vel publicæ, vel priuatæ ſalutis ratio moras repudiet, aut peccantem monitoribus aſperum, & monitione ipsâ exulcerandum non ſanandum intelligatur. Vulgata loquor. Nempe moralis Theologiæ Doctores tradunt, haud ità frequenter eas circumſtantias incidere (quę mortalium nequitia eſt) vt ad illam mitiſſimi ſeruatoris regulam ſuâ ſponte optimam expediat primùm quidèm remotis arbitris peccantem monere, tum verò coram duobus, vel tribus eumdem corripere, antequam eius peccatum Eccleſiæ renunciemus,

Quæ cum ita ſint in vniuerſum, & nullâ factâ proprij iuris abdicatione; quid ſi hæc accedat; & peccans cuius ſolatio lentitudo illa præcipitur, malit præſentem medicinam qualiquali exiſtimationis impendio, quàm mitiora remedia, ſed ſera, adeòque intuta? Certè ſi licet ipſi peccatum ſuum cuntis ignotum religioſo parenti detegere, quod apud omnes religioſas familias laudabiliter vſurpatur, cur non hoc idem eo permittente conſcijs ſodalibus licebit? Quod ſi ſemel licebit, aut iterum, cur non ſemper, ſi vniuersè, & in omne tempus id fieri peccans ipſe permittit? Et verò ex animi ſententiâ id in omne tempus permittit, vbi ſciens & prudens Societatem ingreditur, in cuius limine hanc regulam nominatim perlegit, expendit, recipit.

Vrgent hoc loco Aduerſarij: Num vos igitur id vobis vindicatis, vt meliorem formam inſtituiſſe putetis, quàm, quæ

à Deo,

Digitized by Google

à Deo, & à Naturâ præcipitur? Ambigua est hæc interrogatio: meliorem porrò esse ad iubendū vniuersè, negamus, meliorem verò ad eligendum, atque vtendum, fidenter asserimus. Nec enim ea quæ optima sunt electione, atque vsu, eadem optima iussu: quando hæc prima, hæc summa laus legis, vt seruabilis facilè sit pro conditione subditorum. Melioris ergo sunt electionis, atque vsus quæ in religiosis vniuersitatibus statuuntur; quàm quæ Christus in Euangelio permisit: Permisit enim etiam non optima facere modò fierent necessaria, hoc est modò cauerentur mala. At quæ incommodè cunctis etiam inuitis imponerentur, hæc eadem laudabiliter statuuntur ab aliquo Christianorum delectu, quibus operæ pretium sit ad virtutis culmen etiam per aspera festinare. Permittit Christus connubia, dominia, imperia: fide constat potiorem his esse virginitatem, mendicitatem, obedientiam, quibus religiosi Ordines continentur. Non aliter in re nostrâ. Concedunt Deus, & Natura vnicuique mortalium ius quoddam famæ, hoc est rei quam vulgaris opinio pretiosissimam fecit; quo iure prohibentur cæteri sontium labes operire, ne in ipsorum quidèm bonum, nisi prætentatis alijs remedijs famæ innoxijs. Id verò præscriptum est à Naturâ non quia tanti sit famam tueri, vt eâ gratiâ differendum sit præstantius medicamentum; sed quia indulgendum fuit mollioribus hominum animis, quorum ad quamlibet in famâ punctiunculam acerrimus sensus. Nec enim efficacissima remedia, si eadem asperiora, ingerit medicus, præterquam vbi vel periculum imminens cogit, vel ægroti robur, atque alacritas inuitat. Inuitat verò in Religiosâ familiâ & robur virtutis multò grauiora perferentis, quàm delicati vulgarium humeri; & eorumdem alacritas haud egrè haustura quodcumq. salubre quamuis triste, atque imbecillis stomachis recusandum. Cogit quoque contagionis periculum in eo corpore, vbi & perpetuum idemque intimum inter membra commercium, vnius labem citò produceret ad vniuersa, & vbi eorumdem membrorum ministeria eiusmodi sint, quæ integerrimam sanitatem deposcunt vt perficiantur.

Ex his efficitur sapienter statutam esse in pluribus ijsdem-

que præstantissimis Religiosis familiis, quas Ribadeneira, & Suarius enumerant præsertim verò in Dominicana, & Franciscana, hanc eamdem facultatem significandi præpositis occultas sodalium noxas: quarum leges Ignatius, vt in alijs multis, ita in hac parte, quæ Societati summopere congruebat, ad suum Ordinem deriuauit.

Multa hìc agitant reprehensores, quò huius regulæ innocentiam quam rationibus euertere nequeunt, suspicionibus infuscent. Quid si culpa eumdem læserit moderatorem, veluti acrior in eum oblocutio? Quid si ille peccanti subiratus, aut subinfensus esse noscatur, ac proinde grauiore manu curaturus? Enimuerò eiusmodi euentibus prospicit illud regulæ temperamentum iubens in ea exequenda caritatis modum: Imò verò vniuersè occultas nostrorum noxas domestico antistiti significare, fas quidèm nobis est, mandatum non est.

Addam id quod quilibet liberali ingenio præditus ex sui experientiâ facilè credet in hominibus non illiberaliter natis educatisque; è quibus affectiones ac persuasiones quædam simulantes honestatem, quamuis humanam, & non planè religiosam, vix vnquam eraduntur. Horret adeò vnusquisque nostrum qualemcumque exploratoris. aut emissarij speciem, vt facultatem, quam regula cunctis præstat, rarus admodum vsus consequatur: adeòque multò plus inter nos alienas labes celando, quàm renunciando peccatur.

Porrò Doctores ciuilis artis passim queruntur, ita vulgarem errorem obtinuisse, vt veras accusationes cum calumnijs promiscuum dedecus contaminauerit; cum tamen alteræ sint Reipublicæ pestis, alteræ columen. Et Plato, laudatissimus ille morum præceptor, vsque adeò accusationes probauit, vt in Gorgia multis ostendat, amici Oratoris esse peccantem accusare, eique pœnam dicendo moliri tanquam morbi medelam; inimici verò, alienas noxas tegere, ac tueri ne supplicio curentur. Hoc tamen sic infinitè prolatum (quod in platonicis effatis non rarò accidit) ingenij plus habet, quàm veritatis. Mulcta enim quæ irrogatur à Iudice, non vnam sontis emendationem, sed publicum salubris terroris exemplum parat. Quare grauior est, quàm priuata salus

ſalus peccantis exigeret. Ideò non pœna, ſed venia, inter Principis beneficia vel à prudentibus numeratur.

Cum igitur irrogatio pœnæ malum inferat reis; cumque nullum tenacius publicæ conſeruationis vinculum, quàm mutuus amor, alieni boni molitor, malique depulſor, haud nocenter vicit ea perſuaſio, quę vltroneos aliorũ accuſatores notat in infamiâ, ni delictum aut ipſis iniurium, aut Reipublicæ ſit exitioſum, quaſi violantes ciuilem illam caritatem qua Reſpublica conſtat. Sicut enim honor publica eſt benefici facinoris remuneratio, ita infamia publicum quoddam eſt nocentis facti ſupplicium. Haud verò facile quiſpiam ita vnquã exuet humanos ſenſus, vt oſorem ſui nõ exiſtimet hominem, qui nullâ iniuriâ laceſſitus, nulla publici diſcriminis auertendi religione compulſus, crimen ſuum vltrò iudici prodit, ſibique publicationes bonorum, exilia, relegationes, tormenta, cædem machinatur. Hæc de vltroneis criminum denunciationibus vniuersè diſputauerim. At longè alia ratio eſt in causâ quam tueor. Nempe, cum maleficium minimè ſpargatur in vulgus, ſed vni tantum indicetur, eique vni, quem tu parentis loco delegiſti, quique arcani ſibi crediti obligatione teneatur, interdicto ſibi quocumq. vſu illius notitiæ præterquam in ſalutem tuam, cui tu, dum viam perfectæ virtutis compendiariam ingreſſus es, omnia tua quandocumque reſeranda non abnuiſti; Enimuerò delicatior fueris ſi, cum id fortè reſciueris, renunciatorem inter maleficos auerſeris. Porrò Maximus ille concelebratur quoniam non ponebat rumores ante ſalutem: tù verò non rumores, ſed voculam exiſtimationi tuæ ſubaduerſam adeò exhorrebis, vt per eamdem quamuis tibi ſalutarem cædi te ac ſauciari exiſtimaueris. Hominis hoc eſſet religioſam ſubmiſſionem non profitentis, ſed auerſantis.

Haud ergo hic attinet agitare quæſtionem illam: Vtrum rata queat eſſe abdicatio iuris in propriâ famâ. Id quidem à pleriſque Theologis affirmatur, quorum ſententiam prudenter ſequi potuit Ignatius; ſed prætereo hanc defenſionem regulæ noſtræ: alia longè planior ad manum eſt. Eadem ne ſunt, famam vniuersè prodigere, vel aliquam famæ particulam in propriam ſalutem impendere? Interdicet ne mihi

mihi quispiam, arcanum meum, etsi meo nomini indecorum, amico credere vel ad consilium in re ancipiti, vel ad solatium in ægritudine animi? Quid famæ turpius quàm in puellâ nobili vitiata virginitas? ideò ne id significare prohibebitur aut medico, aut prudenti matronæ, si morbum inde contraxit non nisi aliena ope sanabilem? Esto irrita sit, non modo imprudens (quam ratam plerique opinantur) plena quædam ac nullo emolumento redempta alienatio iuris in famâ. An quia filius familias donare nequit, profũdere neq̃it, nequeat etiam sumptus vtiles facere? An quia famam temere abijcere non possum, adeò tenaciter eam adigor custodire, vt religio mihi sit, apud vnum, aut alterum tantillo famæ decrescere, quò rei familiari consulam, quò vitam tuear, quò animi vitia corrigam, quò virtutem, quò perennem deniq. fœlicitatem adipiscar? Enimuerò ne apud eos quidèm quibus popularis hæc aura pro numine est, cui numini vitã mortalem simul, & immortalem alacriter deuoueant, adeò vnquam inualuit vesana hæc famæ superstitio vt renuant quippiam inhonorificum sibi cuiquam mortalium recludere quantouis aliorum bonorum emolumento.

Qui secùs disputant, intelligant enimuerò se recentibus fidei defertoribus patrocinari. Quid enim illi contentiùs pugnant, quàm, piacularis confessionis institutum, tanquàm famæ inquinamentum, nimis humanæ fœlicitati, nimis aduersari naturæ, adeòque non beneuoli Numinis pium inuentum fuisse, sed tyrannicam Vaticani iussionem? Eiusmodi maledictorum insaniam ea in primis ratio castigauit quâ Catholici demonstrarunt, nil proficientius Reipublicæ, quàm vt ægri mortalium animi medicum adeant, retecta sibi vlcera non ferro, atque igni, sed leni vnguine sanaturum. Quid ergo? Quicumque catholicorum nomen tuemur, cunctis forendam ac salutarem Christi sanctionem agnoscimus, iubentis recludi omnem quantumuis maculosam animi latebram Sacerdoti, & iniquũ, aut intolerãdum existimabimus, vt religiosus cœtus peculiarẽ virtutẽ sponte professus permittat, non quidẽ vt animi arcana, sed occulta facinora patefiant præposito, cuius peritiæ, & caritati iure plus fidũt, quàm cõmunibus animarũ pastoribus reliquus populus Christianorũ.

Libet

Libet rationis euidentiam auctoritatis reuerentiâ confirmare; Quamuis enim vtrique per se submissionem debeat humanus animus, tamen is est aliena mordendi appetitus vt quidam rationibus expendendis impares, adeòque semper validioris affectionis præda, nisi magnorum suffragiorum auctoritate deterreantur, damnatoriæ tabellæ passim temerè subscribant: alij acutuli, quasi glorioſum rati magnis nominibus aduersari, id ipsum improbare amant, qnod summis defensoribus placet, nisi rationum efficacitate perdomiti. At si quis rationibus imperuius, idemque auctoritatis contemptor fuerit, is vtique vultum hominis præferre potest, nomen vindicare non potest.

Age igitur: S. Thomas quodlibeto 11. art. vlt. multus est in approbandâ inter religioſos viros eâ consuetudine quam seruat Societas Iesu: Pauca referam ex multis. *Quia variæ sunt*, inquit, *conditiones subditorum, & Prælatorum, ideò tenendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis seruanda est caritas, & quod melius, & magis expedire videtur: & si hoc intendat, scilicet emendam proximi, & senuet quantum potest bonum caritatis, denunciando non peccat.* Et infra ad primum argumẽtum: *Si statim aliquis referat Prælato adhibens debitas circumstantias, & considerans magis expedire, non facit contra præceptum Euangelij.* Quam Diui Thomæ doctrinam amplexi sunt clarissimi moralis Theologiæ doctores, Syluester, Tabiensis, Antoninus, Gabr. Astensis, Vmbertus, Gerson, iisque concinit Caietanus, quorum testimonia videre licet apud Suarium loco laudato.

Sed, vt hoc religioſis ordinibus sua sponte ita sit, perspectissimum tamen illud est apud theologos, vbi eorumdem antecedens consensio, & iuris abdicatio, qualis habetur in Societate Iesu, quamlibet iniustitiæ superstitionem amouit, quòd Canus, hoc est Societatis nostræ reprehensor haud quaquam inuitus, aut timidus, non diffitetur.

Sed priuatorum doctorum auctoritati vicaria Numinis cathedra cumulum ponat: Legem hanc Societatis carptam in Theologicâ Summâ à quopiam ex illo literatorum genere quibus sacra doctrina pro instrumento est non erudiendi alios, sed agitandi, excussit accuratè Summus Pontifex Gregorius

gorius Tertiusdecimus, non iurisperitia, quàm caritate minor. Cumq. verba constitutionis caritatis modum impensè commendantia collaudasset, nihil mutandum ratus, iniustam illam reprehensionem ex libello typis designato deleri iussit.

Supereſt paucis refellere quod multi garriunt, hanc esse inter nos caritatis peſtem, atque odiorum, rixarumque sementem verrimam. Sed rixæ istæ ac odia inteſtina, semper ne discessionibus, ac turbis fœta, nunquam enixa? Non elephantorum, non palmarum sobolem tarditate nobilitatam sæcula morantur. Porrò alterũ ab institutâ Societate sæculum agitur; per quam temporis amplitudinem norunt supremaTribunalia, num alia sit frequens religiosorum sodalitas, in qua rarior eueniat ciuilis discordia, atque expoſtulatio. Norunt exteri omnes, num alibi inuenerint animos arctiùs fœderatos, quique aut honeſtiùs, aut amantiùs de sodalibus loquantur, eorumque tum prosperà, tum aduersâ familiariùs ferant. Porrò, vt in peracuta dissertatione nuper edita Ciampolus euincit, nulla verè poteſtas eſt multitudinis, sed vnitatis; hoc eſt concordiæ, ac beneuolentię, perquas multa in vnum coaleſcunt. Delirant igitur osores noſtri dum simul infinitam neſcio quam ac timendam Societatis potentiam in inuidiam adducunt, simul leges, atque institutiones noſtras mutuæ caritatis inimicas esse contendunt. Sinant discordias noſtras seruire incolumitati publicæ, ne fortè per concordiam illam quam violenter beneuoli nobis obluctantibus machinantur, in eam extollamur potentiam cuncta submissuram, quam ipsi de republicâ sollicitam anxiè pertimeſcunt.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXVI.

Num ratum sit votum quo professi spondent, si adigantur ad Ecclesiæ cuiuspiam regimen, audituros se consilia Præpositi Generalis, eademque, si meliora sibi videantur, quàm quæ ipsis occurrerant, executuros. Et primùm examinatur, num liceat hoc Societatis votum editis libellis oppugnare.

NEotericus scriptor in quibusdam *moralibus decisionibus*, quas vocat, nuper vulgatis, litem nobis mouit super honestate illius voti cuius summam huic capiti inscripsi, & quo voto cuncti ex professis nostris obligantur.

Quis verò mirabundus non quærat, vnde nam tanta homini suæ doctrinæ fiducia, vt tanquam illicitum, improbumque damnare non vereatur votum, quod per integrum sæculum extra accusationem vsurpauit religiosa Sodalitas vniuerso terrarum Orbe disseminata, tot magnis oppugnatoribus agitata, tot Christi Vicarijs excusa; quod votum vt honestum, ac sanctum suscepere nonnulli quos nunc ad aras ex Vaticani oraculo veneramur, innumeri quos fermè vt sacræ doctrinæ oracula Christianus populus vbique gentium veneratur? Non ita scriptores nostri. Certè Gabriel Vasquez, vir minus quàm vellem timidus, & alienæ auctoritati submissus, vbi incidit disceptatio de Carthusianorum interdicto carneos cibos supra mortem auersante, cum plura in illud ab alijs disputata retulisset, ea tamen studiosè diluit, sic omninò præfatus: *Egò verò nulla alia auctoritate maiori nixus, quàm sanctissimæ, & antiquissimæ huius Religionis consuetudine, aliam omninò sententiam sequi decreui.* Ita Vasquius At non ita Aduersarius noster, qui nemine præeunte, & in re valdè planiore primus vexillum extulit aduersùs votum, quod Ignatius, Xauerius, Franciscus Borgia, hoc, est adorata

1. part. 2. disp. 162.

Christianis nomina, quod Lainius, Salmeron, Valentia, Molina, Vasquius, Suarius, Lessius, Sancius, solâ appellatione magni elogij nobilitatem implentes, quod denique tria illa sacra non magis doctrinæ quam purpuræ lumina, Toletus, Bellarminus, Lugo, religiosè nuncuparunt; vt alios innumeros sileam in omni diuinâ litteraturâ præclaros.

Et certè hoc peculiare in votis rebus contingit, vt in his quæcumque leuis prauitas graueſcat in ſcelus. Impium quippe eſt iniurias Deo pro muneribus deſpondere.

Quo circa ſi votum illud noſtrum in re inhoneſtâ verſatur ſicut aduerſario placet, fatendum erit, quot quot in ſolemni Societatis profeſſione Chriſto ſe deuouerunt, adeòque viros illos nuper enumeratos ſanctimoniâ, ac ſapientiâ prænobiles, ſacrilegos fuiſſe, non pios; niſi quantum inculpatus quidam mentis error interioris animi probitatem ab admiſſi piaculi labe cuſtodiuit.

Super hæc, miror virum alioqui pium, & in hoc genere literaturæ non ineruditum, neſciuiſſe id quod inter eiuſmodi argumentorum ſcriptores vulgatiſſimum eſt, ſcilicet Pontificum interdictum ſæpius ac verbis ampliſſimis confirmatum, vt ne cuiquam liceat inſtitutum Societatis, aut quamlibet eius particulam editis libris impugnare quâtumuis diſſimulanter; ſed ſi quid contra illud occurrerit, priuatim id Summo Pontifici exponatur, cuius arbitrij ſit mutare illud, vel cuſtodire: inflicto violatoribus anathemate. Ita enim in Bullâ Gregorij Tertij Decimi, cuius initium eſt: *Aſcendente Domino*, & in aliâ Bullâ Gregorij Decimiquarti, quæ incipit, *Eccleſiæ Catholicæ*, luculenter habetur.

Sed antequam demonſtro, aduerſarium in Pontificia decreta peccaſſe, iuuat auertere inuidiam illam, quam nobis conflant homines ad reprehendendùm procliues, ad examinandùm incurioſi. Vociferantur enim, intolerandam eſſe arrogantiam, velle vt noſtra, perinde ac diuina, ſceleſtos reddant vel dubitantes. Quid enim? an non Ariſtoteli, an non Platoni probatæ leges cenſorem patiuntur poſterioris ęui iudicium? an non multa Auguſtini, Ambroſij placita in examen vocantur? Quæ iſthæc elatio eſt, quaſi, ea quæ Ignatius conſtituit, attentare, crimen ſit gigantum in aſtra bellantium,

tium, & anathemate quasi Aethnâ imposito comprimendum?

Porrò, quicumq; sic disputat, vulgò declamare nouit, prudentiam humanæ gubernationis nec pictam nouit. Audi quàm falsò ratiocineris. Aio, quò procliuius est vt humani legislatores interdum errent, eò æquius esse interdictum reprehendendi receptas eorum leges ni palam iniquæ sint, ac intolerandæ. Vt dictum euincam, sumo quod egregiè notat S. Thomas, omnes humanas iussiones tantum non amplius habere legis, atque auctoritatis, quantum consonant legi illi æternæ, de qua multa etiam ethnici, atque in primis Aristoteles in Ethicâ, & Cicero in libris de Legibus. Legis enim vis, ac definitio est, vt subditis prosit. Quocirca si homines diuino quodam acumine inferiora hæc citra errorem penetrarent, vix vllum in ponendis legibus arbitrium Principis versaretur. Vel enim lex illa quam poneret, in hoc rerum statu subditis expediret, & ea vtique tunc ad ius naturæ pertineret; vel non expediret, & nulla esset humana potestas eam præcipiendi. Totum ergo legislatoris arbitrium complecteretur nonnulla, quæ vt ait Aristoteles, ab initio nil interest vtro modo constituantur, postea verò multum interest vt quomodo constituta sunt, ita seruentur, quò legis reuerentia custodiatur. Tametsi ferè nunquam tanta est inter duas aduersas sanctiones publicæ vtilitatis æqualitas, vt qui vtramque linceis oculis penitus introspiceret, conferretque, alteram alterâ potiorem esse non deprehenderet. Quare nisi horum ignoratio mortales occuparet, vnum fermè, atque idem esset ius naturale, atque humanum; sed Natura ipsa per insitum nobis lumen rationis duo legum genera promulgasset: Altero (& hoc est illud quod appellatur in præsentiâ *Ius naturale*) semper, & omnes tenerentur: altero non nisi certæ quædam Nationes, & in quibusdam certis temporum, ac rerum articulis. Hòc ergo tantùm secernerentur, quòd illud immutabile foret, hoc commutabile.

1.2.q.95 art.2.

Sed quando nebulosa hominum acies, quam præterea obortæ affectionum ac perturbationum caligines grauius obnubunt, magnam allinit eligendis aut repudiandis rebus

obscuritatem, necesse fuit vt Magistratus constituerentur nō modò tanquam legum custodes, sed conditores. Quæ potestas cum in salutem, non in perniciem populi concedatur, proscientia non autem nocius comprehenditur. Ea quæ dixi, certa sunt apud mediocriter eruditos.

Ex his autem colligo, nullam esse deteriorem Reipublicæ pestem, quàm effrænatam quorumdā ingeniorum audaciam, quæ sanctiones à legitimis potestatibus editas subditorum consensione receptas, vsu comprobatas, palàm exagitare gestiunt quāsi noxias adeòque irritas. Quippe tanta est, vti dicebam, boni, malique in rebus humanis ambiguitas, vt nulla sit lex tam firma, quæ illorum ictibus concuti nequeat; nullum sit ingenium adeò vulgare, quod, si libido hæc incesserit, non multa promere valeat suspicionem afflatura vniuscuiusque Reipublicæ legibus, atque institutis. Ita verò passim propinabitur subditis dulce illud venenum, quod, se vindicem libertatis cum venditet, re ipsâ flagitiorum licentia est & humanæ societatis dissociatio.

Reputet iam hic vniusquisque mortalium cœtus, si duplex reserandum videretur à Tartaris antrum, & ex altero quidèm eruptura essent ea monstra quorum cædes vindicati generis humani gloriam Herculi comparauit in fabulis, tum ex altero eiusmodi ingeniorum turmæ, quorum ausis cuncta vbique legum potestas nutet, & aurea illa humanæ concordiæ, ac communitatis vincula rescindantur; vtri ex his antris validiores obices contentiùsue moliretur beneficio & caritate pacis humanæ.

Tria sunt; quæ criminum prauitatem, adeòque & pœnam, & ignominiam, exaugent.

Primum est deprimentium quod ex illis criminibus Reipublicæ imminet, veluti ex seditionibus, ex fœdere cum hostibus, & ex alijs eiusdem generis.

Alterum est eorumdem patrandorum facilitas, quo nomine, ait Aristoteles in problematis, morte mulctatos qui furabantur vestes eorum qui in balneis lauabantur, cum è diuerso qui ex priuatâ domo quidquam surripuisset, duplo tantùm damnaretur, atq; huc reuocat S. Thomas cur in vetori lege grauior pœna castigaret fures ouium quàm cæterarum

Sect. 30 quæst. 14

1. 2. q. 105. art. 2. ad 9.

rum rerum quarum custodia facilis est; & adhuc grauior fures boum, quàm ouium, vt potè quæ oues pascuntur gregatim, adeòque minori negotio quàm armenta, per vnius pastoris vigilantiam tutò conseruantur.

Tertium denique, quod pariter S. Thomas loco laudato egregiè notauit, est illecebra quam habet patratio eiusmodi criminis (nisi ea illecebra sit quæ mentem perturbet, ac rapiat, adeòque libertatem imminuat) quantò enim illa vehementior, tantò retundenda est acriori metu cùm supplicij, tùm dedecoris, quò plus valeat periculum detrimenti ad cohibendum, quàm spes emolumenti ad pelliciendum. Ita furtum ingens, ità pecuniæ adulterinæ confectio probrosissima delictorum sunt, acerbiùsque puniuntur quàm vulnera. Nihil enim dulcius, quàm alieno viuere, & nullo laboris pretio nummos, hoc est voluptatum omnium satellites, comparare.

Hæc vberiùs exponere ciuilis scientiæ foret: sufficiat ea hic in transcursu non docuisse, sed memorasse, quò gradum faciant ad nostra.

Iam verò, nullum est ex tribus illis capitibus, quod legum vigentium agitatores non crimine tur.

Quantum enim spectat ad perniciem, vnde nam hæc grauior cuilibet vniuersitati, quàm si subditorum animi in foro illo cunctorum formidolosissimo, vbi se iudice nemo nocens absoluitur, reuerentiâ legum exoluantur? Porrò leuior Orbi terrarum clades illata per solares equos quo die (vt mystica ferunt commenta) imperitum aurigam nacti grassabantur effræni, quam inferrent beluæ humanis in animis stabulantes, si semel legum lupos excuterent.

Tum verò de facilitate, quid promptius, quàm in his rebus nunquam beneficia detrimenti pura conferentibus, & vtrinque opinabilibus, eiusdem rei probatio, vel improbatio pro declamantis voluntate? Nempe, vti dicebam, si disputantium incursionibus inaccessa cõstaret humanarum legum vtilitas, porrò earum vnusquisque sibi præco esset, neque ex Principis nutu, sed ex Naturæ iussu proficiscerentur. Certè nemo baiulorum, aut agricolarum tam hebes, atque infans, cui aduersùs dominantes leges eloquij copia non fluat,

quique

quique proficientem earum immutationem suæ prudentiæ non arroget.

Denique, vt de postremo grauitatis capite, hoc est de huius criminis inuitamento dicam, quid iucundius, quàm populorum dominos tibi sistere tanquam reos, & illis quorum sapientiâ mortalium cœtus reguntur, vsque adeò excellere ingenio, vt hallucinatos deprehendas? vno verbo, assumere tibi ius, & potestatem Areopagi homines pariter, ac Diuos iudicaturi?

Cum ergo tres illi fontes, qui maleficijs pranitatem allinunt, in hoc vnum abundè confluant, quid mirum si alienarum legum criminatio detestabilior est, quàm alienorum finium aggressio? Quemadmodum infensiùs execramur eos, qui calami, quàm qui ferri stylo cætetos petunt. Quippe læsio illa, quamuis per se leuior, tamen & lædenti perfacilis, & læso indeclinabilis.

At cùm eiusmodi scriptionis licentia vniuersè illiberalis sit, iurique gentium inimica, tum verò illiberalior, atque iniustior, vbi offendens, offensique eiusdem Reipublicæ membra sunt, eodemque præside ceu capite continentur: quales sunt omnes Religiosorum cœtuum sodales; Horum enim institutio, leges, ac regimen vnius Romani Pontificis auctoritate constant; sub quo, tanquam sub communi Imperatore, variæ cohortes stipendia faciunt. Quid enim aliud est cuiuspiam religiosæ familiæ præsertim celebris, atque amplæ legem aliquam vituperare tanquam improbam, ac sacrilegam, quàm *Catholicæ Ecclesiæ Episcopum* (quo se titulo Romanus Pontifex designat) hoc est Dei inter homines *excubitorem* arguere vel oscitantiæ in eiusmodi legibus examinandis, vel hebetationis in dignoscendis, vel præuaricationis in comprobandis?

An non hac arte perimitur fiducia illa tam salutaris, quæ homines allicit in religiosa cœnobia ceu in portum securitatis, Petri nauigio deductore? Porrò si semel ea opinio inualescat, aliquas ibi leges sanciri atque vsurpari per se scelestas, ac Deo inimicas, quis iam tutò vitam illam capessat? quis veneretur?

At enim, inquis, regulam hanc nominatim à Romano Ponti-

Pontifice confirmatam non legimus. Enimuerò inexpugnabile perfugium! An quoniam non singula Diuini Codicis verba Tridentinum Concilium reponit ac probat, sed tantùm enumerat vniuersè titulos sacrorum librorum, licebit particulam aliquam Ecclesiastici, aut Apocalipseos refellere, quasi à Concilio non definitè receptam inter eloquia Diuinitatis?

Resistit adhuc aduersarius in quadam appendice, memoratas dissertationes suas communiente; atque ita nos vrget. Vel hoc vestrum votum compertum erat Pontifici, vel incompertum. Si quidem compertum, dum cætera explicatè confirmat, eo non commemorato, coniectura nobis est, non eam fuisse Pontificis voluntatem, vt illud perinde ac reliqua confirmaret. Sin incompertum, haud vtique confirmare voluit, quando voluntas ad incomperta non tendit.

Ita ne verò? Nonne vides, hoc si biceps argumentum teneret, nullam fore confirmandi formulam adeò amplam, adeò validam, adeò exquisitam, vt res, quas confirmatio definitè non recitat, ratas efficiat? Per omnia enim transferri poterit diuisio eiusmodi: Vel caput illud quod in confirmatione non recitatur, notum erat confirmatori, vel ignotum: si notum, id vtique silentio repudiasse censetur; sin ignotum, voluntas in ignota non cadit. Quocirca & in Principum diplomatis, & in priuatorum tabulis, nisi ea, quæ comprobanda sunt, quantumuis prolixa, ad litteram exscribantur, nulla erit potentissimæ locutionis amplitudo, quæ vim ac robur ad prætermissa diffundat; ac proinde nulla erunt aut priuatorum pacta, aut municipiorum iura, aut religiosorum Ordinum instituta, quæ per valentissimam quamque supremæ potestatis confirmationem stabilimentum obtineant iustis litibus imperturbatum.

Id ergo apud omnes in actis confirmandis vsitatum, vt præcipua quædam explicatiùs referantur, cætera generatim; adiectis videlicet eiusmodi formulis, quæ declarent & vniuersorum in comprobante notitiam, & vniuersa comprobandi voluntatem. Quales formulas vix aut alibi reperies, aut animo excogitabis vberiores, ac pleniores, quàm leguntur in tot Apostolicis literis nostrum Institutum, ac Ius omne

Digitized by Google

ne confirmantibus. Nec mirum in Gregorij XIII. confirmatione recenseri cætera simplicia vota, quæ nostri professi emittunt, hoc vno præterito. Nimirum diploma illud, vt ex contextu liquet, eò dirigebatur vt irrequietas quasdam animas nostri Instituti perturbatrices, verbisque impugnantes vt irrita, quæ factis aliqui nostrorum libenter violarent vt molesta, perpetuò coerceret. Illis autem nihil negotij fuit aut esse potuit cum huiusmodi voto; tum quia ei satisfacere non erat turbæ haud raro licentiã adhinnientis, ac proinde placita credituræ, sed paucorum quos eximia virtus emeritos iuxta atque inuitos attolleret, adeòque ad laxitatis classicum minimè cõcursuros: Tum vero quia eiusce voti violatio neminem habet cognitorem, ac iudicem nisi Deũ: Hic enim, qui solus videt in corde, nosse potest, an Episcopus è Societate assumptus meliora putet consilia à Præposito Generali oblata, quàm quæ antea meditabatur, adeò. que, an sit voti reus.

Cæterùm, quis nescit, in generali sermone particulas omnes peculiares comprehendi quoties duo concurrunt. Alterum est, vt loquens eas omnes nouerit; Alterum, vt, nisi comprehendere cogitasset, excipere debuisset.

Vbi enim hæc duo conueniunt, vtique nec scientiam, nec volũtatem defuisse suspicio est, quarum altera pura deest vbicumque plenum, & efficax voluntarij genus deest.

Vtram verò illarum audeat negare in Summis Pontificibus Aduersarius? Scientiam ne postquam Institutum nostrũ; in quo votum hoc disertè ponitur, toties typis cusum, & recusum, ac per omnes Mundi partes integro sæculo peruulgatum? Postquam hoc, de quo disputamus, votum à tot millibus professẽtium quotidie, ac palam vbique gentium, nuncupatur? Postquam de illo scriptores nostri clarissimi, atque in primis Vasquez, Sanchez, Suarius, Castropalao, editis libris vberrimè exposuerunt? Postquam toties indomest cum Ius nostrum vniuersum Romani Pontifices diligentissimè inquisiuere; atque inter cæteros Paulus Quartus, cuius Pontificis vitam Castaldus describens testatur, municipale Ius nostrum à Paulo per duos scientissimos Cardinales examinatũ, ac deinde à Pontifice probatum, vnâ exceptâ

cap. 17.

psalmo-

psalmodiæ immunitate, quam eo defuncto recuperauimus. Quid dicam de Gregorijs Tertiodecimo, & Quartodecimo, ex quorum diplomatis liquet, quàm accuratè, quàm subtiliter tum suâ sponte, tum alienis instigationibus extimulati, cunctos Instituti nostri articulos, ac fibras excusserint? Vt nihil referam de Successoribus Innocentio Nono, & Paulo Quinto, qui hoc idem Institutum verbis amplissimis comprobarunt. Enimuerò, si tot tantisque Pontificibus post euolutum sæculare spatium, post adhibitam toties insignium Purpuratorum curam, hoc votum nostrum tot editorum codicum monumentis, tot in dies vouentium linguis contritum, atque vsurpatum, nihilominus ignoratum arbitraris, stipites non homines Petri Sedem tenuisse arbitraris. Porrò quid magis decantatum inter eos qui iurisprudentiam odorati sint, quàm, scientiam Principis, vt potè quid à sensibus remotum, atque adeò suâpte naturâ imperspicuum, coniecturis probari, etiam vbi ageretur de tuendâ consuetudine, Principis leges abrogante?

Leuis negotij mihi est conficere alteram partem, hoc est, debuisse Romanos Pontifices hoc votum nominatim excipere, si animo excepissent. Quis de hoc ambigat? Sanè Romani Pontificis munus est sacrilegos vsus euellere: Ad eum & tanquam Magistrum, & tanquam Præsidem spectat geminas illas diuinitùs sibi creditas scientiæ, ac potentiæ claues exercere, ac proinde & subnascentes morum prauitates ignaris patefacere, & easdē vsurpantibus interdicere. Quod si hoc Summi Pastoris officium per vniuersam Ecclesiam pertinet, quanto potiore iure debet ille hanc curam religiosis Ordinibus & tāquam Romanæ Sedi interiùs addictis, & tanquam gymnasijs; atque exemplaribus perfectæ virtutis, Christianæ genti propositis? licebit ne igitur Christi Vicario permittere in illis tanquam piam, ac sanctam, sponsionem aliquam, non gratam, sed inuisam, non decoram sed iniuriam Maiestati Diuinæ? Sed parum tuisset id permittere, nec prohibere: Licebit ne, Institutum hac labe vitiatum confirmare, ne vnius quidèm voculæ purgatione adhibitâ, imò potentissimis verbis, amplissimis formulis? Porrò Gre-

gorius Tertiusdecimus, cum plura quæ in Societatis Institutum ac leges spargebantur, discretim retulisset, ita subinde pronunciat vniuersè: *Præmissas omnes, & quasuis alias illis similes assertiones contra dicta Societatis Institutum, vel quomodolibet in illius præiudicium pronunciatas, aut scriptas, falsas omninò, & temerarias esse, & censeri debere.* Subdens, *Præcipimus igitur in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, necnon inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia sæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, eò ipso absque alia declaratione incurrendis (quorum absolutionem nobis, & successoribus nostris reseruamus) ne quis cuiusuis status, gradus, & præeminentiæ existat, dicta Societatis Institutum, Constitutiones, vel* (obserua particulam illam disiungentem, & amplificantem, *vel*) *etiam præsentes, aut quemuis earum, vel supradictorum omnium articulum, vel aliquid supradicta concernens, quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore directè, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat.* Hæc ille, *Motu proprio, ex certa scientia de plenitudine potestatis, constitutiones quoque ac statuta, & decreta qualiacumque, ac si de verbo ad verbum insererentur pro expressis habens.* Quibus verbis planissimè concinunt ea quę habet alter Gregorius huius nominis Decimusquartus in laudatâ Constitutione, cuius principium est, *Ecclesiæ Catholicæ*, quæq. manauit, vt ibi narratur, post exquisitum examen vniuersi Instituti nostri peractum à certo quodam Purpuratorum cœtu mandante Sisto V. eiusdem Gregorij Decessore. Porrò per eum confirmandi ritum leges, ac statuta reddi, vt aiunt, *Papalia*, & æqualis roboris, ac si à Petri successore manassent, vox est Iurisperitorum communis, cui Romanæ Rotæ responsa nō semel cōsensere. Quid ni ergo Romani Pontifices & Societatem nostram, & Catholicam gentem vniuersam decepissent, si per tam ampla, tam multiplicia, tam exquisita diplomata legem illam Ignatij, illumque Societatis morem confirmare nihil volentes, ijs tamen & verbis, & factis vsi essent vt hac de re nemini dubium occurrerit antequam neotericus oppugnator nostras tenebras excussisset? Absit, vt de Pontificijs oraculis ambiguitatem, atque obscuritatem huiusmodi suspicari liceat! Nempe nihil erit in Ec-

clesia

cleſia tam explicatum, in quo latebram aliquam coecumque receſſum ſubuereri nefas ſit.

Hoc loco Aduerſarium ſic reclamantem mihi videor audire: Cur igitur ſi res adeò perſpecta eſt, ſique diſſertationes meæ Pontificijs interdictis palam aduerſantur, proſcriptæ non ſunt Apoſtolicâ auctoritate, quod vos tam enixè certaſtis?

Videbitur hoc alicui pro Aduerſarij cauſâ inexpugnabile munimentum. Ego verò fidenter ſpondeo, me demonſtraturum, nullo telo magis penetrabili eius doctrinam iugulari, quàm iudicio Apoſtolicæ Sedis poſt editos einſdem libellos.

Age porrò: Cur eos nondum illa proſcripſerit quamuis Apoſtolicis oraculis contrarios agnouerit, cauſę multæ ſubeſſe poſſunt; Quot enim libri non niſi poſt plures annos proſcribuntur? An interim probati cenſentur? Ita cum libris, quomodò cum hominibus agitur. Quicumque à bono Principe plectuntur, noxij ſunt, at non è contrario quicumque non plectuntur, innoxij.

Verùm ſontibus libris parcere nonnunquam licet, ſontibus moribus, ſi medicina ad manum eſt, nũquam licet. Quid eſt ergo cur poſt excitatas ab Aduerſario Tragœdias contra votum hoc noſtrum, illud à duobus Chriſti Vicarijs Vrbano, atque Innocentio non modò indemnatum conſiterit, ſed ne appellatum quidem? Sanè is quem poſtremò nominaui, Innocentius, cæſarei, ac pontificij iuris ſcientiſſimus, & ad Societatis Inſtituta curas ſuas declinare non dedignatus, multa diſpicienda propoſuit Octauæ Congregationi noſtræ, dubius animi vtrum ſuper illis temporum conditio aliquid immutandum ſuaderet: quorum pleraque retinenda Societati viſum, ob cauſas eius Sanctitati reuerenter expoſitas, eique probatas, duobus exceptis articulis, qui vim, ac neruos Inſtituti, & Conſtitutionum non petebant, altero de cogendis nono quoque anno Generalibus Congregationibus, altero de ſeſquiannua vacatione ſingulis Magiſtratuum triennijs intermiſcenda. Cæterùm neoterici huius oppugnatoris accuſationes vſque adeò neglectæ ſunt à ſapientiſſimo Principe, vt eâ de re ne conſultandum quidèm, aut cogitandum exiſtimaret; ſed ſilentio; diſertâ ſcilicet accuſatoris

damnatione,& reos,& causam honestissimè absoluit. Et tamen nullus erat iam dissimulandi locus post rem tota Vrbe, atque Italiâ decantatam, si tantilla labis suspicio votum hoc nostrum infuscaret. Quanta enim fuisset indiligentia, vt leuissimo verbo vtar, ea capita super sanctionibus, & moribus nostris sedulo recognoscere, in quibus non innocentia, sed vtilitas ageretur, & interim illud negligere in quo anceps foret religionis abusio, & iusularum dedecus, atque iniuria?

Quis iam neget, silentium illud Apostolicæ Sedis, dequo Aduersarius gloriatur, vim habere planissimi eloquij, votum nostrum comprobantis, eius criminationes tanquam futiles aspernati?

Cur ergo Aduersarius vrgebit, tãtopere luctati estis, vt lectio mearũ disputationũ prohiberetur? Quò alij à nobis per iniuriam vexandis deterrerentur. Non credo, ait, sed veriùs, quò simul cum rationibus meis, voti vestri vitium lateret.

Vide num vehementer erres. Libellus ille tuus quàm claudos habuerit pedes, bibliopolis fides esto, quàm exigua vitæ spatia sperare possit, quilibet semidoctus extra Ptolomæi, & Chaldæorum doctrinam facilè prænunciauerit. Iam verò intelligas, curæ nobis esse vt rationibus tuis protegetur vita, non præcindatur; Ego ipse hisce vindicationibus quas supremo Societatis Antistite iubente conscribo, disputationes tuas integras discretè reponam. Quamuis enim opusculis hisce meis neque scriptionis præstantia, neque scriptoris fama diuturnitatem portendat, tamen ipsa argumenti conditio facilè obtinebit, vt neque breuioris æui, neque contractioris notitiæ futura sint, quàm ipsa Societas.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXVII.

An prædictum votum Episcopos Præposito Generali subiectos faciat; Vbi multa super natura Iurisdictionis.

ID primum est quod nobis obijcit Aduersarius; Cui si respondeam in Constitutionibus luculenter dici, nullam ob id iurisdictionem Præposito Generali in Præsules illos conseruari, reclamet illicò; iurisdictionem verbo sublatam re ipsâ retinetis.

Ingenuè loquor, errorem adeò palmarem ab homine Theologiam è suggestis professo, & quæstionum conscientię scriptore, nunquam expectassem. Quasi vero ius ipsum Naturæ, quod Principes adigit in grauioribus Regni negotijs prudentium audire consilium, illudque si populis conducibile intelligant, sequi, Principes ipsos consiliatorum iurisdictioni subijciat. Sed leue hoc & ferendum. Aliud parit magis monstruosum Aduersarij doctrina; hoc est defunctorum in superstites subnascentem ex interuallo iurisdictionem. Quid ni? Quandoquidem haud rarò ius naturæ nos iubet eorum consulere monumenta, &, si, quod monent, verum esse liqueat, amplecti. Enimuerò magnum sapientibus regnum asseris, mi homo, non permetaphoram, ac similitudinem, quale illis Plato vindicauit in Lysíde, quodq. Aristoteles à verâ, propriâque dominatione discreuit in Ethicis; sed verum illud ac solidum regnum, quod inflatis buccis Stoici iactabant. Scilicet nemo est in potestatis fastigio constitutus quin sæpe nequeat innocenter, vel omnium consiliantium voces excludere, vel, si probum esse consilium intelligat, aspernari.

Iam vbi Rex, vel Optimates ita constituti sunt, vt supersacris, aut bellicis, aut forensibus negotijs debeant conuentum aliquem peritorum interrogare, illicò, si Aduersario credimus, non principalis in eis conditio est, sed alijs imperantibus emancipata. Haud putassem excidisse ab Aduersarij

sarij memoriâ doctrinam illam vulgatissimam Diui Thomæ, vbi affirmans, ritè ac plenè actus legis enumerari ab Isidoro hos quatuor omnino, *permittere, vetare, præcipere, punire*, ait *cunsulere* non esse actum legis quia potest fieri à priuato, & ideò Paulum, cum author esset cuiusdam consilij, explicasse: *Ego dico, non Dominus*.

1.2.q.92 art. 2. ad 2.

Magno ement sententiam istam oppugnatoris nostri nouatores qui regimen à Deo institutum Aristocraticum, non Monarchicum asseuerant. Obtinebunt enim ipso Iudice, quandoquidem iussus est Moyses cum consilio septuaginta seniorum negotia transigere; quis autem dubitet, ita iussum, vt si meliora Senatus ille proponeret, deteriora sequi Moyses sine labe non posset?

Et tamen adeò hæc omnia sunt falsa vt, etiam si aliquando non committatur iusdicenti iudicium vllum super veritate sententiæ quam priuatus ab ipso consultus enunciabit, sed eam quàlemcumque sequi iubeatur, nihil propterea iurisdictionis consiliario in iusdicentem, aut in controuersiam illam tributum sit. Vulgatam apud legisperitos rem loquor. Num fortè in conferendis sacerdotijs iurisdictio est penès examinantes non penès Episcopum, quamuis hic in multis ab examinantiũ suffragio abire non possit? Num si Magnati causa quæpiam expedienda committitur, de vnius, vel alterius certi Iurisconsulti sententiâ, iurisdictio Iurisconsultis illis collata censetur? Adeò non censetur, vt in Romanâ Rotâ Auditores illi quorum responsa scisciatari & in pronunciando, sequi iubetur iudex, delegentur passim postea à Summo Pontifice vt causam appellationis cognoscant; cum tamen nihil tam contrarium foret ordini iuris, quàm vt damnatus reus ad iudicem, à quo prouocat, remittatur.

Sed cum hæc ita sint, quantò planior nostra res est, vbi Præsulis consilia excipientis est, eorum probitatem suo marte dispicere, ac iudicare? Quid tam meæ in te iurisdictioni repugnans, quàm, tuo iudicio non meo rem esse à te transigendam?

Præstat hic iurisdictionis, atque adeò obedientiæ, quæ iurisdictioni obsequitur, primam vim, ac definitionẽ explicare, quales inquisitiones suspicor Aduersario neglectas.

Porrò

Porrò duo sunt inter homines genera potestatis. Alterum *despoticum*, alterum *politicum* Græci nominant: à Latinis *dominicum* illud, hoc *ciuile* nuncupatur. Primum sanè contrà Naturam dicitur à iurisprudentibus; Præcipit enim non in subditi, sed in præcipientis bonum, atque adeò compellit hominem, hoc est animal propriæ fœlicitati natum, non suæ, sed alienæ fœlicitati seruire; qualis natura est inferiorum rerum, vt pote in quas fœlicitas propria nõ cadit. Hanc potestatem Naturæ aduersam, progenitores violentissimi, Bellum, & Victoria pepererunt; mitigationem scilicet vltricis iræ victorum in victos; quos si clementer seruarent, sibi seruos efficerent, eisque, perinde ac rebus rationis expertibus, in rem propriam vterentur, ac proinde (quæ superba triumphantium cõpido est) assurgerent tanquam in Deos: Diuinum quippe est, ita posse hominibus imperare, vt eis imperando non seruias.

E contrariò potestas politica, seu ciuilis, tota spectat ad subditorum vtilitatem. Cum enim homines conditi sint societatis indigentes, neque societas constare possit si quisq. priuatis commodis facta, & consilia metitur, priuatoque iudicio in multis hebeti, & perturbationibus caliginoso actiones vitæ moderatur, necesse fuit vnum aliquem Magistratum quasi magistrum constituere, cuius sententiam Reipublicæ tutricem cuncti sequerentur. Hac enim arte, ex multis exiguis homuncionum viribus perficitur ingẽs quoddam robur longè supra heroum, ac gigantum fabulas; per quod humana sodalitas sit immanium belluarum, ac pœnè Naturæ domitrix, & domina maris, ac terræ.

Hæc ergo potestas in Magistratum translatâ, vocatur, *iurisdictio*, quæ in eo sita est, vt iubentis existimationem existimationi nostræ, adeòque voluntatem existimationis progeniem, voluntati nostræ præponamus. Vidit hoc egregiè Diuus Thomas, vbi quærit, *vtrum vnus homo teneatur alteri obedire*; cumque id affirmet, ita planè ad sui dicti confirmationem philosophatur. *Oportet in rebus naturalibus vt superiora moueant inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collata diuinitùs. Vnde etiam oportet in rebus humanis quòd superiores moueant inferiores per suam voluntatem* 2. 2. q. 104. art. 1.

ex vi

ex vi auctoritatis diuinitùs ordinatæ. Mouere autem per rationem, & voluntatem est præcipere. Et inferius. *Diuina voluntas est prima regula qua regulantur omnes rationales voluntates* ad 3. *cui vna magis appropinquat quàm alia secundum ordinem diuinitùs institutum, & ideò voluntas vnius hominis præcipientis potest esse quasi secunda regula voluntatis alterius obedientis.*

Ità planè S. Thomas dum primam, atque intimamam obedientiæ naturam exponit. Neque ibi tantum, sed in attitulo sequenti ita disputat. *Proprium obiectum obedientiæ* ad 3. *est præceptum, quod quidem ex alterius voluntate procedit. Vnde obedientia reddit promptam hominis voluntatem ad implendum voluntatem alterius, scilicet præcipientis.*

His vniuersè constitutis, odorare iam amicè, si fortè vestigium vllum iurisdictionis inuenias tributę à nostra lege Prępositio Generali in Præsules è Societate delectos. Certè voluntatem illius contemnere Præsules possunt, iudicium possunt: veritatem, si per eius verba cognouerint, repudiare non possunt; Quam tamen si re ipsâ repudient, non Præpositum Generalem, sed Deum offendunt, cui spopondere. Ità propemodum qui præconis voce iussionem audit Magistratus, si eam violet, non præconis, sed Magistratus auctoritatem violat.

Quid plura? certum est, non esse priuati hominis iurisdictionem in se alteri conferre, vti statutum est in iure ciuili, & l. priuatorum C. de iurisd. om. Iud. latè expositum Vasquez. Et nihilominus frequenter piæ fœminę vouent (cuius voti frequentia satis ne prudens hic non quæro) facturas se quæcumque Sacerdos earum ductor iniunxerit, & quidem non sub eâ exceptione *si meliora videantur*, sed absolutè. Passimque litigatores priuatum arbitrum cooptant, cuius opinioni non sub eâ exceptione, sed absolutè se obtemperaturos iurant. Quid ni ergo iurisdictionem priuatis tribuant? Tribuunt sanè si ad oppugnatoris nostri trutinam res expendatur; at si ad sapientum libellam, nihil minus: nulla enim in supradictis euentibus per votum, vel iusiurandum aut Sacerdoti, aut Arbitro facultas acquiritur compellendi priuatos illos vt fidem seruent; quippe qui non eorum iure, sed vnà Dei religione tenentur. in l. 2. disp. 165 cap. 4.

Hac ipsâ de causâ, & consiliatores designati à Republicâ, & cœ-

& cœtus ad sacerdotum doctrinam explorandam delectus ab Episcopo, & iurisperiti delegato iudici à Principe adiecti quacumque iurisdictione vacant, quia nimirum qualibet potestate vacant adigendi obstrictos eo voto, vel sacramento, vel iure, vt suis placitis obsequantur, neque aduersùs inobsequentes iustam habent violatæ potestatis querelam.

Sed hæc quæ per se planissima sunt, exquisitiùs tamen hic disputantur quàm Aduersarij refutatio desideraret. Nec enim vna compellendi potestas in re proposita deest ad iurisdictionem tribuendam, sed scilicet eminentia illa iudicij supra iudicium, aut voluntatis supra voluntatem; sine qua nemo vmbram aut laruam aliquam iurisdictionis somniauit.

CAPVT XXXVIII.

Aduersarij Rationes capitulatim reponuntur, & examinantur.

SED tempus est vt suis ipsius oppugnatorem verbis audiamus, eiusque rationes natiuo e fonte scatentes degustemus.

Obligari hoc voto Episcopos assumptos ex Patribus Societatis docent Vasquez 1.2. disp. 165. cap. 8. num. 89. in fine. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 6. n. 15. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. de Religios. mutantib. statum cap. 17. n. 8. Palaus par. 3. tract. 17. disp. 4. de Voto Religios. obed. puncto 24. num. 8. in fine. Quia tale votum est de maiori bono, & fit pro eo tempore quo quis erit Episcopus: alioquin frustratorium esset, quia nunquam obligaret.

Existimo tamen huiusmodi votum ex sua natura non obligare Episcopos assumptos ex Patribus Societatis; sed eodem pacto se habere, ac si nunquam illud emississent.

Mouear, quia tale votum ex naturâ suâ non habet validitatem: vt enim votum ex naturâ suâ fiat validè, debet esse de eo, quod licitum est ipsi vouenti: vnde si priuata persona voueret, se occisurum omnes qui digni sunt morte, non validè voueret,

ueret, quia non licet ipsi malefacere occidere. Rursu debet esse de eo, quod non est in praeiudicium alterius, alioquin votum, vt praeiudiciale non teneret.

Huiusmodi autem votum Patrum Societatis est de eo quod non licet vouenti: quia habet pro obiecto subiectionem Episcopi ad Generalem Societatis: non licet autem vouenti ponere talem subiectionem, etiamsi ipse sit Episcopus qui subijcitur: quia non est dominus gradus Episcopalis, quem tenet & cum ipsi se additat, non potest de ipso aliter disponere, ac exigat gradus. Rursus est in praeiudicium status Episcopalis, cui ipse non potest praeiudicare: & inuertit debitum ordinem, quia facit quod superius subijciatur inferiori.

Respondet Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. de Profess. qua fit in Societate cap. 9. num. 3. per hoc votum non obligari Episcopum obedire Generali vt Superiori: imò nec ad sequendum consilium, nam hoc esset quaedam virtualis obedientia, sed solum teneri consilium sequi, quando iudicat esse melius. Haec tamen responsio non euacuat difficultatem; nam obligatur ex voto ad audienda consilia Generalis; vnde consurgit in ipso obligatio ad Generalem in ordine ad regimen Ecclesiae; in cuius virtute potest Generalis vocare ad audienda consilia, & hoc potest ab ipso exigere; & Episcopus in virtute voti teneretur obedire; vnde votum daret ius Generali ad exigendam hanc obedientiam: vbi autem est obligatio obediendi, ibi est subiectio. Ita oppugnator.

Enimuerò egregia confecutio! Fac Episcopum, fac Summum Pontificem nectere se voto audiendi craftinam concionem ab Albritio nostro! confestim is Albritio subditus mancipabitur, confestim Albritio potestas erit Episcopum, aut Pontificem vocandi ad exaudiendam concionem. Expungatur iam e Diui Francisci laudibus quòd vouerit stipem erogare cuicumque per Deum petituro; tot enim sibi praesides fecit quot emendicantes, cum tamen priuatâ auctoritate praesidem sibi statuere, & iurisdictionem alteri in se conferre, inter crimina, nõ inter laudes, numerari debeat.

Sed haec vniuersè Aduersarij doctrina tot supra exemplis, & rationibus profligata est, vt eamdem rursus premere non defensio sit, sed immanitas desaurientis in cadauer.

Vnum praeterire non licet, quod factum ipsum, non ra-

tiones

Digitized by Google

tiones contingit, quodque ita pro certo sumit Aduersarius vt tamen eius rei ne indicium quidem vllum appareat vel in nostro municipali iure, vel in nostris scriptoribus illud interpretatis. Ait enim, debere Episcopum è Societate assumptum, si vocetur à Præposito Generali ad audienda eius consilia, illi obedire. Prætereo, quàm longè distet votum nostrum ab obligatione obedientiæ; sed quis nam tibi auctor fuit, amice scriptor, vt sententiam voti peruerteres tam enormiter? Igitur si Rex aliquis, aut Senatus debet ex Constitutione Reipublicæ audire super aliquibus negotijs consilia peritorum, poterit vocari ab illis peritis ad ipsorum audienda consilia? Quid in tuâ Sodalitate statutum sit, vir bone, non calleo, certè in nostrâ, Rectoribus, Præpositis, seu vrbanis, seu prouincialibus, adeòq. ipsi Præposito Generali, præceptum est vt in grauioribus deliberationibus priuatos quosdam Patres in consilium adhibeant; vtque certum monitorem, quoties hic aliquid suggerendum putauerit, humaniter audiant. Nec tamen vllius mentem inuasit persuasio tam abnormis, potestatem esse consultoribus, aut monitoribus, Rectores, Præpositosque seu Prouinciales seu Generales ad se audiendos compellandi. Multi Romæ statuti sunt Purpuratorum cœtus, adiecta illis à Summo Pontifice præstantium Consultorum manu, quorum sententias amplissimi Patres exquirere debeant: perridiculus tamen esset qui rem sic interpretaretur, vt liceret Consultoribus, Cardinales ipsos accersere ad eorum excipienda consilia. Scilicet nunquam obseruasti, qui nostrum votum oppugnas, consilium, quà consilium est, demissionem veriùs, quàm dominationem in consiliario sonare. Atqui huc pertinebat camillus ille Spartani: sapientum partes esse consilium dare, stultorum decernere; significans potentium esse, quibus consiliarij sapientes inseruiunt, quique interdum stulti sunt; consilium exequi, vel repudiare: Sed aduersarium sic prosequentem audiamus.

Deinde posita conditione quod Episcopus iudicet meliora consilia Generalis, quam quæ ipsi subueniunt, tenetur obedire, iuxta id, quod exprimitur in formâ voti allata à Suarez. num. 1. loci proximè citati quæ talis est: Consilia verò huiusmodi ita me-

pariturum semper esse promitto, siue meliora, siue quàm quæ mihi in mentem venerint, iudicabo. Ergo per huiusmodi votum assumit Episcopus obligationem obediendi, & se subijcit Generali in ordine ad regimen propriæ Ecclesiæ. Aduersarij verba recensui.

Suspicor vocem illam *pariturum* homini imposuisse, ratus vnã obedientiã abeâ significari. Cum tamen & amicè *consilijs*, & *Intercessori parere*, non Tullianũ modò sic sed in Dictionarijs vulgatũ. De reliquo adeòperuagata est differẽtia consiliũ inter, & præceptum, vt quando nostrum hoc votum *Consilia* Præpositi Generalis disertè nuncupat, mirum sit aduersario hũc errorem irrepsisse quo affirmaret, circa illa posse obediẽtiã versari; quasi nunquam legerit apud D. Thomam obiectũ obediẽtiæ, atq. id quo hęc virtus ad agendum per mouetur, & excitatur, esse *Præceptũ quod ex alterius volũtate procedit*. 2.2. q. 104. art. 1.

Porrò si Scriptoris istius ratio teneret, magnum intulisset libertati Ecclesiasticæ vulnus Teresa illa decor Carmeli, dũ heroico plane voto spopondit Christo, ea semper se peracturam, quæ plus diuinæ gloriæ continere viderentur. Poterat enim laicus, poterat Turca proponere aliquid Teresæ, cuius patratio huic videretur diuinam gloriam promotura. Ecce tibi Teresam, hoc neoterico iudice, addictam iurisdictioni cuiuspiam laici, vel Turcæ. Pergit verò aduersarius.

Atque hæc subiectio est eiusmodi rationis cum ea, quam habet Religiosus; nam in virtute voti obedientiæ non subijcitur Prælato, nisi secundum præscriptionem regulæ, & solum tenetur obedire quando Prælatus præcipit secundum regulam. Sed in casu nostro Generalis assumit sibi regulam ad regendum Episcopũ quæ cõtinet quidquid melius est in ordine ad regendã Eccl̃siã: Et Episc. promittit se pariturum omnibus quæ constabit sibi esse secundum hanc regulam: ergo emittit votum obedientiæ, & subiectionis.

Quis in hac Aduersarij similitudine dissimilitudinem & quidem multiplicem non agnoscat? Primò Religiosus Antistes cogere sodalem potest, Præpositus Generalis Præsulem è Societate susceptum, non potest. Secundò iudicare vtrum aliquid sit melius secundum regulam nec ne, ad iubentem Antistitem spectat; at hoc idem decernere in re propositâ non erit Præpositi Generalis, sed Episcopi e Societate profecti. Tertiò Religiosus alumnus sui Cœnobiarchæ voluntatem

Digitized by Google

tem sequitur; quapropter, licèt maximè hic præceperit secundùm regulam, potest tamen pro arbitrio præcepti vinculum laxare: quin etiam, si subditus introspiceret Antistitis animum, quid præcepti exteriorem & in aures cadentem enunciationem vellet, obligationem non vellet, nàe ille nullâ teneretur obligatione. At in Præsule de Societate assumpto vniuersa diuersa. Nihil hic obsequitur voluntati consiliantis Præpositi; sedunicè consilij probitatem expendit. Quocirca, quãtumuis posteà velit Præpositus Generalis, non potest hac illum obligatione exsoluere: Et quamuis liqueret Præsuli, nõ eam fuisse Præpositi mentem, vt eum obligaret, nihilominus obligationem contraxisset.

Quæ nam, vel potiora discrimina, vel magis vim ac substantiam obedientiæ aut constituentia, aut euertentia excogitari potuissent? Sed cum Aduersario pergamus.

Rursus per hoc votum Generalis Societatis acquirit ius assistendi, aut deputandi assistentes Episcopo assumpto ex Societate, & hæc assistentia est assistentia directiua in ordine ad regimen Ecclesiæ secundùm formam consiliorum, quæ censebuntur meliora: assistentia autem directiua importat superioritatem quando is cui assistitur, tenetur sequi regimen, & directionem; atque per huiusmodi assistentiam indirectè trahitur regimen Ecclesiæ ad Patres Societatis; quia possunt semper proponere alia, & alia consilia, quòusque Episcopus censeat, esse meliora; atque adeò teneatur ea sequi. Hactenus ille.

Nihil hic nouum video quod respõsionem non modò exigat, sed tanquam supernacaneã non recuset. Iam enim explicaui duo illa capita per quæ hinc omnis iurisdictio excluditur; hoc est quia nec Præposito Generali ius est Episc. cõpellendi, neq. Episc. debet obsequium aliquod Præposito sed Deo, ac proinde si votum violat, non Præpositum, sed Deũ offendit. Ideo præstat ad alia, quæ subijcit, festinare.

Præterea hoc votum non relinquit liberam administrationem Ecclesiæ ipsi Episcopo; sed sit dependens à Generali Societatis: quia iudicium intellectus non est liberum, sed necessarium, vnde stante iudicio Episcopi, quo iudicet meliora consilia Generalis, non est in potestate ipsius regere Ecclesiam vt voluerit; sed debet regere dependenter à præscriptione Generalis: vnde cum nec

etiam

etiam in iudicio sit liber, nullo pacto habebit liberam administrationem Ecclesiæ. Audistis Aduersarij ratiocinationem.

Duo hic occurrunt apertissimè falsa. Alterum est, quod affirmatur, lædi ius, ac libertatem Episcopi si nefas illi sit omittere meliora. Ita ne verò? Faceſſat ergo iam Christus cum gloriatione illâ, *data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra*; Quandoquidem celebris est Theologorum sententia nullam esse illi non modo licentiam, sed ne vim quidèm, aut facultatem qualemcumque prætermittendi quæ optima iudicauerit. Maiorem verò potestatem habet in illis rebus Præsul hic è Societate assumptus. Potest nimirùm ea præterire, quamuis prætereundo peccet: potest ità præterire vt actus sit ratus. Vno verbo, perinde id potest ac potest quispiam prodigere pecunias suas, in qua prodigentiâ delinquit vtique apud Deum, sed pecuniarum dominium ritè transfert in recipientem, nulli mortalium de illis rationem debens.

Alterum est, quod magno mercentur nostri temporis hæretici si aliqua esset apud catholicos auctoritas Aduersarij. Scilicet, vniuersè iudicium intellectus non esse liberum, sed necessarium. Cur ergo, clamabunt, nos reprehendimur quòd non credamus? necessitate resistimus non voluntate. Errauit ergo Augustinus qui fidem sine libertate nasci posse negauit, adeòque & initium omnis meriti agnouit in fide, Errauit Tridentina Synodus prædictam Augustini doctrinam secuta. Non ita res habet. Aduersarius aliter docet, Expungite iam, moralis Theologiæ doctores, ex inhonesto culparum elencho iudicium temerarium: inculpatum est omne indicium, quippe non liberum, nec temeritas ibi versatur, vbi necessitas regnat: sic ergo cuncta necessariò, nihil proin temerè iudicamus. At oppugnator ad cõsequentia nos vocat.

Et hoc totum potest exemplo Principis sæcularis declarari; Si enim à suis subditis exigeret iuramentum quod si transeãt ad statum Ecclesiasticum parebunt legibus suis tanquam consilijs, quando cognoscent esse meliores, quam quæ ipsis occurrent in ordine ad regendam Ecclesiam, aut quod sequentur consilia Principis, quando erunt meliora: faceret contra immunitatem Ecclesiasticam, quia in virtute iuramenti retineret sibi subiectas personas

Eccle-

Ecclesiasticus contra statum ipsarum, qui exigit omnimodam exemptionem personarum. Nec iuramentum esset validum, quia esset præiudiciale statui Ecclesiastico. Idem contingit in hoc voto quod est præiudiciale statui Episcopali: quia in virtute illius Generalis retinet sibi obligatos & subiectos Episcopos; quia in virtute talis voti adhuc subsunt regulæ quoad illam partem quæ præcipit, Episcopos assumptos ex Societate teneri audire consilia Generalis, & quoad obligationem se submittendi directioni ipsius.

Et sicuti Clericus non potest renunciare priuilegio fori, quia non est priuilegium personæ, sed status clericalis; nec laicus posset iurare in manu Principis secularis, quod si fiat Clericus renunciabit priuilegio fori aut totaliter, aut ex parte: & si iuraret iuramentum esset inualidum, ita nec quis posset renunciare tali exemptioni, aut ex parte, quam Regularis Episcopus habet à suis Prælatis iuxta cap. statuimus 18. quæst. 1. nec potest Regularis vouere, quod si fiat Episcopus, renunciabit ex aliqua parte, quia hoc est priuilegium status Episcopalis. Vouere autem dependentiam in regimine Ecclesiæ à Prælatis Regularibus, & se obligare ad audienda consilia, & sequenda si meliora fuerint, est vouere renunciationem alicuius exemptionis à Prælatis Regularibus. Sic disputat Aduersarius; Examinemus, an recte.

Do tibi, negatam esse profanis Principibus eam potestatem: rationem verò quam affers probare non possum, neq. mecum probabunt Pontificij canones, ni fateantur se profanis Principibus sacrum Ordinem subdidisse. Quid enim vulgatius quàm illud Vaticani decretum: quoties nihil aduersum in Pontificio iure decretum legitur, toties Ecclesiæ iudicibus secundùm Cæsareas leges pronunciandum? Ecclesiasticam libertatem, si huic scriptori credimus, prodidit, quicumque primus è Petri solio sanctionem illam euulgauit; Clericos enim Cæsarei iuris obligatione deuinxit. Deuinxit sanè, sed nullâ potestate collatâ profano legislatori eiusue successoribus vt hisce vinculis clericos coercerent: sine qua potestate iurisdictio nusquam habetur.

Cur ergo, iuramentum illud ab Aduersario excogitatum exigere, profano Principi non liceret?

Satisfacerem vtiq. si responderem: Quia non licet Principi

cipi omnia imperare quæ factu sint proba, si eorum debitum esset subditis intolerabile; plurima enim sunt quæ peragi expedit, imperari non expedit, quod alibi demonstrauimus. at nimium esset onus clericorum animis impositum si profanis simul, atque Ecclesiasticis legibus quantumuis probis grauarentur. Hæc breuis, & expedita responsio propositæ interrogationi sufficeret; Sed rationem aliam promo, eamque præcipuam, quam Aduersarius noster nunquam suspicaretur. Age: Quia nimirùm lex illa homines arceret à sanctioris vitæ delectu, adeòque sacri status libertatem violaret. Arceret, inquam; deterrerentur enim homines ab eâ vitâ capessendâ, quæ tot legibus onerata Sampsonis humeros desiderare videretur. Non ita canones illi, quos laudaui. Ij enim noua onera Clericis non imposuerũt, sed in forẽsibus controuersijs vbi nihil à Pontificio iure statutum sit, ad Cæsarei iuris normam pronunciari iubent.

Vis, vt tibi palam fiat, quisquis es qui nobiscum litigas, me veriùs quàm te collimasse in reddẽdâ ratione cur sanctio illa, quam tu fingis, non teneret? Percunctor ex te, num liceret profano Regi subditos adigere ad iurandum, si Ecclesiæ ordines susceperint, seruaturos se quæcumque sacris canonibus præcipiuntur.

Non credo. Et tamen profectò iuramentum illud non profanæ, sed sacræ, & tunc obligaturæ legis obseruationem polliceretur. Nihilominus, hanc ipsam pollicitationem iuramenti religione constrictã imperare non est profani Principatus. Cur enimuerò? Quia profani Principatus non est, sacri Ordinis conditionem arctiùs obstringere, ne fortè multiplicium quasi catenarum horrore absterreat, non inuitet.

Hæc ratio aliquid probabile reddit quod tibi, opinor, amice, non ingratum: Haud ita congruens fore nostrum hoc votum Sodalitati tuæ, atque adeò nil tibi timendum à lege nostrâ tanquam fortasse ad vos processurâ.

Discrimen in perspicuo est. Apud nos votum illud cum alio voto coniungitur, quo insulas, nisi ritè nobis præceptas, perpetuò respuimus. Quare nihil incommodi nascitur si per hoc, de quo disputamus, votum status Episcoporum nobis grauior atque adeò inamabilis fiat: Quando peropportunum

portunum esset vt quæcumque interdicta, eadem inuisa.

At contrà, religiosus ille Ordo in quo Aduersarius degit, institutus est tanquã gymnasium ex quo subinde sacri athletæ, hoc est Episcopi, in arenam, & puluerem euocentur, vti quotidie fit magno Christiani populi bono. Haud ergo faceret ad eiusce Ordinis finem obligatio illa quæ insulas nouo onere prægrauaret.

Sed te, mi homo, in ancipiti hoc vocabulo, *libertas*, malè implexum, atque inuolutum cerno. Quis nam status liberior ab omni humanâ iurisdictione, quàm Summus Pontificatus? Nullus certè, nã hic solus inter mortales nemini subest & huic soli subsunt quicumque Christo subesse volunt. Et tamen iubentur amplissimi Patres, dum senatorium insignẽ Romæ suscipiunt, sacramento polliceri, si forte in Romanos Pontifices eligantur, se non distracturos sacrum ærarium, nec scilicet oppida Pontificiæ ditionis. Parum dixi: sacracramento spondent, ne in illis quidem permissis euentibus quidquam se de sacro ærario libaturos, nisi duabus tertijs partibus Purpurati Collegij consentientibus. Quocircà non modò, consilium decernentis iudicio subijciendum non audire, sicut Episcopi è Societate delecti, sed assensum Cardinaliũ non expectare, Summi Pontificis piaculum foret, ac sacrilegium. Expecto vt hæc quoque Theologus iste tanquã irrita, & Vaticani culminis libertatem violãtia reprehendat.

Compertam existimassem viro in schola non peregrino duplicem illam significationem *libertatis*, quam nuper indicaui, & quam in Theologiæ limine vel adolescentes norunt; aliam esse libertatem ab obligatione conscientiæ, aliam à potestate humani Magistratus: Hac vtique mortales Principes pollent; quod à Dauide significatum interpretantur Hieronymus, & Cassianus per ea verba, *tibi soli peccaui*: Illa verò prior libertas sępe in maximis potestatibus minima est; quippe quibus multa coram Deo non licent, quæ priuatis licent. Sanè hanc libertatem contrahi in summo Sacerdotio, & in cæteris Ecclesiæ Magistratibus magis expedit, quàm vniuersè in sacrâ Militiâ. Discrimen patet. Tot enim humanas illecebras habent sacrorum Antistitum thiaræ, & regalis Vaticani corona, vt cauendum sit potiùs, ne auidiùs

quærantur, quàm ne pugnaciùs repudientur. At non similiter clericorum militia tantis floret inuitamentis, vt si nouis, nouisq. legibus oneretur, multos allectura, sit procos. Quamuis ergo minor debeat esse libertas ab obligatione conscientiæ in clericis, quàm in laicis, non tamen expedit clericorum statum nouis obligationibus sine magnâ causâ per supremum Antistitem examinandâ vinciri: quomodo vinciretur per vota illa ab Aduersario cogitata, quorum exactor, atque institutor esset profanus Princeps.

CAPVT XXXIX.

Examinatur altera Decisie Aduersarij, cuius titulus est.
An si huiusmodi votum haberet suam validitatem, obligaret Episcopos assumptos ex eadem Societate.

IN propositâ quæstione sic Aduersarius noster pronunciat. *Resp. Etiam si alias votum haberet suam validitatem, non permanere quando quis creatur Episcopus, sed cessare, sicuti cessat tota obligatio Regulæ.*

Ratio est, quia hoc votum est votum regulæ, quæ præscribit quod Episcopi assumpti ex ipsis, teneantur audire consilia Generalis, & vt hæc pars Regulæ *sortiatur suum effectum, & habeat robur, firmatur hoc speciali voto; obligatio autem Regulæ cessat in Episcopo, cum omnino ab ipsa eximatur; vnde etiam cessat votum, quod est institutum pro danda firmitate tali parti Regulæ: quia non potest permanere votum, nisi permaneat id, pro quo est factum votum, cum sit propter ipsum.* Subsistamus hic parumper antequam progrediamur ad reliqua.

Quis vnquam putasset, hominem litteris eruditum, qualis tandem est Aduersarius, tam apertè lapsurum? *Etiam si aliàs*, inquit, *votum haberet suam validitatem, non permaneret quando quis creatur Episcopus.* Quid est, rogo te, *votum habere validitatem?* porrò est, post illud vouenti obligationem inferri cuiuspiam rei faciendæ, vel omittendæ: si enim nul-

lum.

Digitized by Google

lam obligationem inducit, perinde se habet votum, ac si nullum emanasset; ac proinde *nullum* tunc dicitur, non *validum*: validum quippè est id quod *ad aliquid valet*, non quod ità nihil efficit ac si non esset. Ideò contractus, pacta, promissiones cũctæ *validæ* tum demũ dicũtur, cùm promittenti nefas est id infectum relinquere quod promisit: Puto ne aniculam quidem esse tam rudem quin hoc intelligat. At promissio facta sub aliqua conditione, non obligat nisi existat illa conditio: itaq. votum hoc nostrum ad nihil adigit eos Professos qui ad alicuius Ecclesiæ regimen non assumuntur. Ergo, *si suam validitatem haberet*, vt verbis tuis loquar, obligaret vtique Professos postquam in alicuius Ecclesiæ regimen assumuntur.

Pudet me in re perspectissima diutius detinere lectorem. Sed quando Aristoteles, vir si quis vnquam breuitatis appetentissimus, non recusauit in metaphysicis per multa reuincere philosophos illos, qui pugnabant contrà rem multò euidentiorem; hoc est contrà initium illud! *Non potest idem simul esse, & non esse*, ignoscet mihi lectoris patientia moram hanc meam in te refutando: Nempe librorum non perinde ac viarum itinera: In his ad remota non est accessus, nisi propinqua pertransieris; In illis Angelorum ritù intactis aliquando proximis momento aduolare fas est in omnem distantiam. Age; fingamus, Caium promisisse Titio centum si nauis ex Asiâ venerit: an opinabile cuipiam fuerit, simul promissionem ratam, atque vt aiunt *validam* esse, simul, aduenientè naui confestim nullâ promissionis obligatione, Caium teneri?

Vereor, Amice, ne doctrina isthæc, tua apud sacrum Vaticani Senatum non benè audiat. Aeque enim dices, imperata iuramenta illa spondentia, quid Eminentissimi Patres facturi sint, vel omissuri si fortè in Petri sedem conscenderint, *licèt suam validitatem habeant, non manere, si iurans Pontifex creetur*. Et vero adamussim quadrat hic ratio illa tua, quòd scilicet nouus ille status iam exemerit iuratum Cardinalem à potestate Decessoris, quo iubente iurauit. Imò verò ratio illa nisi omnino plumbea esset, validiùs pugna-

ret in illa Cardinalium sacramenta, quàm in votum hoc nostrum. Etenim si quis ex nostris eligatur Episcopus, adhuc subest imperio illius supremi Antistitis cuius auctoritate leges nostræ vniuersę constant, hoc est Romani Pontificis. At Cardinalis qui Summus Pontifex inauguretur, solutus iam est à legibus, & potestate decessoris, ex cuius imperio iuramentum suscepit.

Vide iam, quisquis es, qui nos agitasti, quàm durum tibi certamen aggrediare dum nos aggrederis. Haud prouidi bellatoris est eâ parte hostes adoriri, cuius defendendæ communis vtilitas magnos illis paret fœderatos.

Adde, in eo Cardinalium sacramento id verum esse, quod in voto nostro perperàm comminiscēris: Illud enim emittitur vt firmamentum legis interdicentis aut oppidorum, aut ærarij sanctioris alienationem: At votum nostrum esse *votum Regulæ quæ præscribit quòd Episcopi assumpti re ipsa teneantur audire consilia Generalis;* vellem vt mihi significares vnde resciueris. Porrò si Caietano assentirem, rato, vim esse homini ad aliquid pro arbitratu credendum etiam nullius rationis inuitamento, suspicarer id à te existimatum non nisi quia optatum, quasi faciens ad tuæ patrocinium accusationis. Cæterum quicumque ius nostrum euoluat, ne syllabam quidem inueniet, quam isthuc Aduersarij commentum causari possit. Age iam, reliqua eiusdem argumenta recitemus.

Nec obstat, quod votum sit factum pro tempore Episcopatus; quia etiam Regula quoad illam partem, quæ præscribit obligationem ad huiusmodi consilia, est facta pro tempore Episcopatus, & tamen cessat quia cessat tota regula; huiusmodi autem votum sequitur regulam vt factam in fauorem ipsius, & pro eiusdem firmitate, vnde non trahitur ad aliquod tempus, nisi ad ipsum trahatur regula. Vnde erit votum frustratorium, quia cum non possit regula sortiri suum effectum pro illo tempore, prō quo fit, nec etiam potest sortiri votum.

Hæc omnia satis superque iam euersa. Tantum precor lectorem, vt notet egregiam disputationis cohærentiam. Titulum quæstionis exorditur ab hac hypothesi, *si votum haberet suam validitatem*, & hoc posito respōdet, illud etiam

tum

tum fore *frustratorium*, *quia non potest sortiri effectum, pro illo tempore, pro quo fit*. Nouam enimuerò loquendi formã! Si enim votum est validum, vtique est promissio laudabilis, ac Deo placens, alioquin Deus, qui promissarius in voto est, non stipularetur; ac proinde promissio illa, tanquam à promissario reiecta, non esset valida. Quòd si Deus, sibi stipulatur, votumque illud gloriæ suæ opportunum ducit, mirum est *si frustratorium* esse possit, nisi dicamus Deo ab hominibus imponi, & inania pro muneribus venditari. Sed Aduersarius pergit.

Et hoc etiam colligitur ex intentione vouentis, quia cum votum emittat ex intentione suscipiendi regulam Societatis seruandam, accommodat saltem virtualiter suam intentionem intentioni Religionis; ita vt intendat se obligare per vota eo modo quo Religio intendit inducere obligationem per illa vota. Intentio autem Religionis debet attendi secundum mensuram rationis, itaut quamuis alia sit ac exigat ratio, corrigenda tamen sit secundùm exigentiam rationis. Ratio autem exigit, vt non intendat extendere obligationem aliquam ad tempus Episcopatus, quia exigit, vt tantùm intendat obligare sua membra, quandiu pendent à regimine ipsius; non autem, vt extendat obligationem ad eos, qui non sunt membra, quales sunt Episcopi; cum non possit ea obligare; & ideo ex intentione mensurata secundum rationem non extenderetur obligatio huius voti ad Episcopos: nec etiam ex priuata intentione vouentis, quia habet totam suam intentionem commensuratam intentioni Religionis.

Hoc verò iniquius est, ita scilicet intetpretari animum seriò sanctèque vouentium, nullam vt obligationem suscipere cogitent pro illo euentu quem solum designant concepta voti verba, & extra quem nihil vouent. Si hoc est obsequi Deo, illudere quidnam erit? Disparitatem verò inter hoc votum, & reliqua cœnobitarum vel vota vel regulas, nemo non videat nisi qui deditâ operâ mentis aciem occecauerit. Reliqua enim possunt vtiliter obligare annos in cœnobio ducendos, etiamsi ad insulas euocatum non comitentur; Ideò non improbabilis interpretatio hisce finibus ea coercet: At votum cui recentior hic Theologus litem intendit, perinde hanc explicationem admittit, ac si ea Cardina-

dinalium sacramenta, quæ retuli, interpretaremur eo animo susci pi, vt susci pientem desinant obligare, ille si forte Pontificatum obtineat, adeòque obligent nunquam. Procedamus porrò cum Aduersario.

Quod etiam declaratur ex eo, quòd non potest quis onus alteri non sibi subdito imponere, nec etiam subdito pro tempore, in quo cessat subiectio, præsertim si tunc onus debeat de nouo incipere: nam si imponat, sicut desinit subiectio, ita etiam desinit ius superioris: atque adeò cessat obligatio subeundi onus impositum, aut ipsum continuandi: quia continuatur solum in virtute obligationis quam habet subditus, & iuris quod habet superior. Obligatio autem audiendi consilia Generalis, & parendi si meliora sint, &c. est graue onus, quia, si est onus dare hæc consilia (vt notat Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 5. de profess. quæ sit in Societ. cap. 9. num. 10. secundùm declarationem constit. eiusdem Societatis) grauius erit teneri ad audienda consilia &c. vnde non potest hoc onus imponi Episcopis à Societate, itaut incipiant subire, quando desinunt esse subditi Societatis.

Dices, non imponi onus à Religione, sed esse onus voti quod transfertur in illud tempus in virtute eiusdem voti. Verum non per hoc tollitur quin sit onus impositum à Religione pro illo tempore: quia votum in cuius virtute habetur onus, est ex præscripto Religionis, & qui vouet, adstringit se voto solum sequens intentionem Religionis; vnde totum onus est ex impositione Religionis, quæ etiam imponit votum ad firmandum tale onus. Hæc ille.

Si hæc scriberentur ad eneruandum votum, non quidem verè, sed tamen appositè scriberentur: at quorsum hæc sub eâ conditione quam præscribis in titulo dissertationis, *si huiusmodi votum haberet suam validitatem*? An non cernis, hanc tuam ratiocinationem totam eò spectare, vt probet, nullam esse huius voti *validitatem*? Sed tibi vel extra certaminis pacta inuadenti libens occurram.

Aio, ratiocinationẽ tuã in multis peccare. Primùm, quia permixtè accipit obligationẽ quę oritur ex lege, & quę oritur ex voto. Vtiq. si hæc obligatio audiendi cõsilia Præpositi Generalis &c. imponeretur per modũ legis; irrita esset ex causâ quam Aduersarius obiectat; quia scilicet obligatio legis non exten-

extenditur ad eum casũ, in quo legem recipiens non fuberit ampliùs legislatori. Et hinc manat commune illud verbum, ſupremos Principes humanis legibus eſſe ſolutos, niſi quantum lex illa quæ in cæteros ex humana poteſtate deſcendit, eadem in Principes Dei Naturæque præceptum ſit. Deus enim, & Natura iubent, caput cæteris membris coaptari, præterquam ſi quæ propria ſint capitis: Ac propterea iubet, Principem ſeruare leges illas quas alij ſeruant, quatenus earumdem obſeruatio Principem decet. Ideò leges nullæ imponuntur futuro Chriſti Vicario; ſed quæcumque de rebus ab eo faciendis habentur vel in Pontificijs ſanctionibus, vel in Tridẽtinâ Synodo, aut monita ſunt; aut ipſius Põtificis legislatoris adeòq. ſucceſſorũ interpretantur voluntatem, non corripiunt poteſtatem: declarant nimirùm, futuras Pontificum iuſſiones non eo animo manaturas vt certum quippiã & peculiari notâ dignum re ipsà complectãtur, niſi hi diſertè illud explicauerint, & eiuſmodi ſanctionẽ definitè memorauerint, quò ſe illius gnaros, & inoblitos oſtendant: aliòqui enim iuſſiones illas nouas, tametſi eum articulum apertè complexas, tanquam eâ ex parte non plenè voluntarias coniectura per legem priorem inducta repellit; Quandoquidem *volũtarium* ex Ariſtotelis definitione debet exire *à principio cognoſcente ſingula in quibus eſt actus*.

Fateor ergo, nullam legem imponi poſſe ſubdito in illud tempus quo deſinet eſſe ſubditus. Et ratio in aperto eſt: quia, manere ſubditum Principis. ac teneri legibus Principis, eadem ſunt. S ergo Principis legibus quiſpiam teneretur cum deſijt Principis eſſe ſubditus, foret ſimul ſubditus, & non, ſubditus.

At longè ſecus eſt de obligatione voti, vel iuramenti. Per hæc enim non homiui obligamur, ſed Deo; & per eorum violationem non Præſidi ſumus inobſequentes, ſed Deo ſacrilegi. Hæc ergo obligatio ſemel ritè ſuſcepta, ſemper manet, niſi à Dei vicariâ poteſtate iuſtis ex cauſis diſſoluatur. Et ideò Eccleſia, vt cunctis inferret obligationem in Principatu manſuram circa ea quæ ſupra memoraui, iuramentum exegit ab illis Patribus è quorum numero adorati Eccleſiæ Principes deliguntur.

Et

Et porrò, huiusmodi votorum obligationes perseuerare etiam soluto in Cœnobiarcham obedientiæ nexu, multa exempla demonstrant.

Finge, professum ex aliquâ Religiosâ familiâ non dum sacris initiatũ in Episcopum legi. Profectò ille, cũ ritè electus, ac renunciatus fuerit Episcopus, adeòque iurisdictionem adeptus, ab Religiosi præsidis exiuit imperio. An ne tũc castitatis voto tenebitur? anne vetabitur ratũ inire cõiugium? Minimè verò si ratio Aduersarij valida esset. Quippe votum, vt dicit in religiosa familiâ susceptum non complectitur eum statum, in quo vouens eiusdem potestatem egressus sit: aliud verò castitatis votum electo Episcopo nullum ineft, vt potè sacris Ordinibus non dum insignito.

At Aduersarius, hæc & similia exempla fortasse veritus, addidit illa verba, *præsertim si tunc*: (hoc est post egressum è cœnobio) *debeat onus de nouo incipere*. Verum si rem interiùs explorareris, hanc differentiam inanem esse deprehendes. Quippe vel obligatio pendet ex iurisdictione præcipientis; & profecto seu materia, in qua obligat, incæperit manente etiam tum iurisdictione, seu non, certum est obligationem deficere iurisdictione deficiente; vt patet in omnibus & Magistratuum præceptis, & Principum legibus, & Cœnobitarum, ac Monachorum regulis; cuius rei rationem supra demonstraui. Vel obligatio non ducit originem ex iurisdictione, sed ex voto, adeòque non homini deuincit, sed vni Deo; & tunc quidem irresoluta obligatos tenet quantumcumque ab omni humana potestate iam exemptos, seu antea euenerit casus ille, quem obligatio designat, seu potestate durante nondum euenerit. Semper enim vouentes subditi manent illi Numini cui fidem obligauerunt. Quare, si votum illud ratum fuit, Deusque illud suo nutu confirmauit, semper vouentem obligat vbi recurrat euentus ille cui vouens vniuersè obligationem affixit. Alia verò subdit Aduersarius, quæ operæpretium est recitare.

Præterea huiusmodi obligatio audiendi consilia Generalis non esset obligatio personæ priuatæ, sed personæ publicæ; quia esset obligatio Episcopi, quatenus Episcopus est, cũ sit obligatio de audiẽdis

consilijs

Digitized by Google

consistit in ordine ad regimen Ecclesiæ, in quo Episcopus non se gerit, vt persona priuata, sed vt publica, repræsentans Episcopalem gradum, & statum. Ergo nõ potest talis obligatio manere in Episcopo; quia neque Societas, neque ipse Episcopus vt persona priuata, qualis est quando vouet, potest imponere obligationem aliquam gradui Episcopali; neque etiam sibi, quæ sit onerosa gradui Episcopali: sicut nec etiam clericus potest sibi vt Clerico imponere onus à quo sit exemptus clericalis status. Audiuimus oppugnatorem: audita iam expendamus.

Hic etiam ratio Aduersarij mendosè conficit. Quasi verò duo hæc nihil distent: imponere sibi aliquod onus apud Deũ in administratione cuiuspiam muneris, ac imponere eiusmodi onus illi muneri. Voueat Episcopus, lustraturum se quotannis cuncta oppida suæ diœcesis, non ne hoc votum onerabit Episcopum, quà Episcopus est? Non ne tamen erit votum firmum ac laudabile? An idcirco (quod priuato Episcopo nefas esset) vniuerso Episcoporum statui nouum onus iniunget? Voueat qui sacerdotio insignitur, se quotidie sacrificaturum dum possit: Certè onus subit non quà vnus mortalium vtcumque, sed quà Sacerdos. Ideò ne hoc onus sacerdotalem ordinem vniuersè grauat, adeòque vouenti onus illud suscipere non licebit? Mirum est Aduersarium tantâ sui confidentiâ exultare, vt passim effundat axiomata, & pronunciata, quæ nulla sapientum auctoritate confirmat, nullo rationis momento persuadet; quasi Pythagoræum illud sibi arrogans: *Ipse dixit*. Quin etiam ferendum hoc esset, nisi hæc eadem & sapientum consensioni, & rationis humanæ anticipationibus, & exemplorum euidentiæ pugnarent. Nil difficilius quàm axiomata prom ere: nempe id vnum summi philosophi est, ingenijque ad homines docendos nati; neque alio nomine admirabiliores fulgent duo illi veræ philosophiæ parentes, ac principes Aristoteles, & Diuus Thomas. Porrò cautionem Oppugnatori nostro suadere debuit illa Aristotelis obseruatio: *Agrestes*, inquit, *maximè sententiarum fictores sunt, facilèque enunciant*. Id verò quod additur ab Aduersario, *hanc obligationem fore onerosam gradui Episcopali*, nescio quorsum euadat. *Si onerosam* intelligit adigentem ad aliquem perfectionis gradum, ad quem alio-

qui Episcopus non adigeretur, consentio: sed in hoc ipso versatur probitas cuiuslibet voti de re non antea diuinitus imperata, vt scilicet nefas reddat omittere aliquem virtutis gradum, quem alioqui conscendere honestum fuisset, relinquere inhonestum non fuisset. Si onerosam dicit, hoc est, incommodam, eique muneri rite exercendo inopportunam, sane decipitur. Duo enim pollicetur hoc votum: Audire, &, si optimum factu videbitur, exequi.

Porrò, audire, facillimum est, & magistratibus apprimè conueniens. Ideò faciles aditus, benignasque aures præbere vel infimis, summa est potestatum non tantum laus, sed vtilitas. Quin etiam supremi Principes, quorum curæ adeuntibus auscultandis spatia corripiunt; audire student vel absentes: præficiunt enim nobilem, atque integrum aulicum colligendis supplicum libellis etiam ignotorum, & se se tegentium; rati nullo magistro vtiliùs Regem erudiri, quàm vniuersis vel imperitorum, & leuiculorum allocutionibus. Nihil ergo incommoda est Episcoporum muneri obligatio audiendi consilia Prępositi Generalis, hoc est viri & prudentiâ, & probitate, & peritiâ nunquàm despiciendi. Incommodum vtcumque esset si Episcopus cogeretur ei credere gubernationis arcana, interiora consilia, rationes quæ hinc & inde animum distrahunt; Sed votum nostrum nihil tale Deo pollicetur.

Illud alterum, in quo hæc obligatio versatur, hoc est exequi consilia Præpositi si meliora quàm quæ priùs Episcopi animo concepta, videantur, non modò non incommodum, sed accommodatissimum est ad bonam gubernationem. Quid enim optabilius, quid beatius Reipublicæ, quàm si in præside manus menti, non cupiditati, subseruiat; adeòq. is non aliam seruet agendi regulam, ac iudicandi? Rogo vnamquemque hominum nationem, quæ alteri duorum Antistitum subesse deberet cæteris dotibus parium, sed hoc vno discrepantium, quòd vni eorum liceat, quæ meliora nouerit, prætermittere; alteri secùs; vtrum horum præoptaret; Si multæ priorem illum eligant; causam aduersario adiudicarunt; si posteriorem, Societati. Nemo, reor, incertus animi fuerit quænam concors futura sit vniuersarum respõsio,

flo. Iam verò ad extremam oppugnatoris clausulam transeo.

Quod insuper constat, quia gradus Episcopalis, quem suscipit, non affert secum hanc obligationem; ergo si esset in persona assumpta, eam extingueret; quia gradus extinguit omnes obligationes in ordine ad Superiores Regulares, non admittit onera, qua ratione gradus conueniant personæ, nisi ab eo qui potest imponere: Societas autem non potest imponere; nec priuata persona, quæ sit Episcopus; Hæc autem obligatio conueniret Episcopo ratione gradus, quia vt pastor teneretur audire hæc consilia.

Proposui iam tibi, lector, quæcunque nouus hic Theologus contra nos mouet, ipsissimis eiusdem verbis: non solùm (ingenuè fateor) quia nihil fidelius, sed quia nihil nostræ vindicationi conducibilius. Neque in hac postremâ clausulâ indictum aliquid video, & per superiora non refutatum. Id vnum in calce non reliquerim inobseruatum, quòd non solùm sponsionis oblitus nihil iam disputat retinendo conditionem titulo præfixam, *si votum hoc haberet validitatem*, totusque est in eius firmitudine concutiendâ; sed, quò eam concutiat, adamantinum enimuerò arietem contorquet; Scilicet *Quoniam*, inquit, *priuata persona, qualis est Episcopus, quando vouet, non potest imponere obligationem gradui Episcopali.*

Facessite iam duo præclarissimi Pontifices, atque in sacræ sponsæ custodiendâ per omne tẽpus dote peruigiles: loquor quos supra laudaui Pium V. & Xistum V. nõ minores, vt reor, nostro oppugnatore Theologos, quippe hoc merito & in præcipuis Christianæ Reipublicæ religiosis Sodalitatibus ad magna euectos, & inde in sumnium Senatum cooptatos; ex quo vt solium inscenderent, alias inter dotes hæc ipsa diuinæ scientiæ fama gradum fecit. Facessat vniuersus Purputatorum conuentus, quo iterum, atq. iterũ consulto, & comprobante Pontifices supradicti sanctiones illas ediderunt quibus iniungitur Cardinalibus iuramentum, siquando eorum quispiam Pontifex renuncietur, nihil se de Pontificij Imperij oppidis, nihil de sanctiore pecuniâ decerpturum. Putilla sunt hæc iuramenta. *Nam priuata persona, qualis est Cardinalis quando iurat, non potest imponere obligationem gradui Pontificio.* Licebit igitur innocenter nouo Pontifici & iura-

mentum illud non confirmare, & scilicet non complere, perinde, ac si nihil iurasset. Sanè hæc mea enunciatio adeò eum aduersarij nostri enunciatione conglutinata est, vt alteram ponere alteram inficiari, perinde esset ac aliquid generatim asserere, & simul partem quampiam eiusgeneris diffiteri, hoc est duobus pugnantibus assentiri, si prima dialecticorum dictata non ignorarus.

Expleui quidquid negotij cum hoc neoterico mihi erat: in quo longior fui quàm rei euidentia postulasset. Sed præstabat, legentibus patefacere quàm arrumnosam gignat sobolem intemperata libido carpendi aliena; reprehensionem quippe quam alijs parturit, sibi parit. Quantò satiùs ei erat, aut seruatum fuisse sibi ab iniustâ criminatione silẽtium, aut eiusdem criminationis, vt maluisset, seu ex anteà incompertis Pontificum diplomatis, honestam excusationem, seu qualecumque interpretamentum, modò nobis innocuum, vsurpasse? Quæ conditiones fruſtrà, diùque ipsi à nobis oblatæ: Sed frequens est, vt qui pacem ex animi mansuetudine, offert, ex conscientiâ imbecillitatis offerre credatur; nec eam Aduersarius amet antequam bello malè vexatus.

CAPVT XXXX.

Cur Societas hoc votum exigat à suis Professis.

HOC intelligere optatius erit, opinor, iucundiusque lectori, quàm in huius neoterici oppugnatoris ratiunculis diluendis immorari. Scilicet, cur ex omnibus sacris familijs vna Societas nostra hoc votum instituit?

Hæc interrogatio latius patet; Nulla enim est Deo deuota Sodalitas, quin etiam nullus probè institutus hominum cœtus, in quo non aliquid boni sancitum sit illi vni peculiare. Cum enim ea sit humana imbecillitas, quæ perfectionis fastigium, hoc est omnium virtutum cumulum tenere non possit, cumque necesse fuerit vt omnium virtutum exemplis Dei sponsa, *circumamicta varietatibus*, intermicaret, diuinâ curâ

curâ factum est vt alij, alijque hominum ordines ad alia atque alia virtutis opera conuerterentur: quemadmodum vel sub eodem Cœlo varij varias segetum species in suis agris serunt, varias artes vsurpant, varijs disciplinis student. Ita cogitationes, atque affectiones dispensante prouidentiâ mortalium rerum procuratrice, vt quod singulis deficit, abundet in vniuersis. Id ipsum planè in sacris familijs videre licet. Cartusiani summum silentium adsciuere: Franciscani paupertatem ne commune quidem dominium suppellectilis, ac ciborum admittentem; Clerici Regulares, quibus *Theatinorum*, est cognomentum, aliam paupertatis excellétiam vetitam certi aliquid petere; quò firmior ibi fit vnius Diuinæ prouidentiæ fiducia. Infinitum esset singula percensere, quę in singulis Religiosorum Ordinibus eximia sunt. Quid ergo mirum si nos quoque peculiare quippiam bonum adoptarimus?

Verumtamen, vt aliquid magis proprium huic percontationi respondeam, adeòque id magno, diuinoque consilio statutum ab Ignatio patefaciam, tria breuiter demonstrare iuuat.

Primum est, huius voti materiam Diuinæ gloriæ, Christianique populi bono valde conducere.

Alterum est, non expedire vt eiusmodi voto nectantur Episcopi vel omnes in vniuersum, vel quicumque eorum ex Religiosis claustris assumuntur.

Tertium denique est, hoc votum Societati nostræ, atque Episcopis ex eâ legendis mirificè conuenire. Super quorum singulis tametsi superior disputatio nonnihil à me sparsim exegit, ea tamen omnia viâ, & ordine disputare, huius proprium est loci.

Et de primo quidem mirer si quis dubitauerit. Eo enim voto spondentur solum duo per se optima. Scilicet audire consilia hominis, prudentiâ, caritate, peritiâque præcipui: tum verò eadem exequi si contrarijs meliora cernantur: hoc est, alijs verbis; *optimè agere secundùm conscientiam*: quo nil acceptius, nil sanctius habet Deus quod à procreatis mentibus exigat.

Neque verò periculum est, ne hoc velamento Præpositi

Gene-

Generales nostri cuniculos struant ad dominatrices Christiani populi Cathedras moderandas. Quando (vt id sæpiùs renarrem) nulla est Episcopis obligatio communicandi cum Præposito negotia, credendi arcana, denique ne respondendi quidem, sed audiendi tantùm: Surdus consilianti esse non potest: mutus, potest.

Super hoc, Societas ita instituta est, vt rarissimè ex eâ sumantur Episcopi. Vouent enim omnes professi, neque hanc, neque aliam *externam dignitatem* se nonmodò quæsituros, sed ne admissuros quidèm nisi Dei Vicarius pro imperio compellat. Neque hoc votum in speciem emissum quasi à liberiter compellendis. Quoties enim actum est de thiaris alicui nostrum deferendis extra Ethnicorum barbariem vbi ærumnis, & crucibus vnicè dotantur, Societas vniuersa tam obnixè interceſſit, vt [illegible] Regum, & studia cœlesti ope deuicerit, & indignationem non formidauerit. Porrò alterum iam à Societate conditâ sæculum duos tantùm eiusmodi Episcopos numerat, Mendozzam in Occiduis Indijs, Pasmanum in Pannonia. Ille Catholici Regis, hic Cæsaris apud Summum Pontificem enixis precibus impetratus, quò is neophitum Orbem erudiret; hic Mahometi contagia in clauſtris Christiani Orbis defenderet. Non igitur eò inhiat hoc votum, vt Præpositus Generalis in Antistitum Cathedris regnet, quemadmodum obloquuntur ij apud quos crimen omne imaginarium pro comperto est.

Adde, integrum semper esse Romano Pontifici exoluere quos voluerit non modo palam huius voti nexu, sed clam: quippe cuius voti rationem soli Deo Episcopi debent.

Accedo ad alteram partem; atque adeò ostendo incongruens fuisse alijs Religiosis congregationibus idem votum.

Principiò id sumo: Quæ optima factu sunt, non ea tamen multis præcipienda, si difficilia, eademque Reipublicæ non necessaria. Difficultas enim præcepti in subditorum frequentiâ violationis frequentiam trahit. Ab hoc verò ingens manat detrimentum, & ex animorum pernicie, & ex legis contemptu. Quod porrò detrimentum haud ex æquo redimitur per aliquantò frequentiorem vsum probi operis, vel prætermissionis præceptæ, quàm alioquin fieret nullo præcepto com-

compellente. Non, inquam, ex æquo repensatur detrimentum illud hoc emolumento, præterquam si opus illud, aut ea prætermissio sit Reipublicæ necessaria; qualis est, exempli gratia, materia præcepti interdicentis omnem venerem extra coniugium, aut iubentis mortem pro defensione patriæ. Extra eiusmodi necessitates prudens legislator infrequens erit difficilium exactor: quæcumque enim *difficilia*, plerumque *infecta*, vt ipsâ vocabuli potestate monemur. Hinc nascitur vtilitas illius discriminis, quod est in Diuinâ lege, tum inter consilia, & præcepta, tum verò inter peccata grauia, & leuia, quod Stoicos, & plures hæreticos fugit, discrimen hoc inficiatos; quodque aliqui ex Catholicis non satis viderũt, rati illud ex diuinâ clementiâ, nõ ex rei naturâ proficisci. Et huc præsertim respexit Ignatius dum corporis afflictationem nullam communi lege nobis imposuit, dũque nullius culpæ ne leuis quidem scrupulo suas regulas asperauit. Cum enim ea quibus nostri Ordinis substantia continetur, perardua sint: summis ac infimis communis victus, nullius rei vsus proprius; prælongus dimissionis timor, perpetuus aut animi, aut corporis labor; externæ dignitatis aut domesticæ commoditatis spes nulla; summa in omnes moderatorum potestas; Cum hęc, inquam, & alia ita nos premant, vt aliqnibus mitior visa sit Cartusianorum, aut Cappucinorum asperitas; non existimauit Ignatius alijs eam non necessarijs oneribus prægrauandam, ne satisceret. Planum ergo est, res simul arduas simul Reipublicæ non necessarias, quantumcumque probas, vtique suadendas esse, in vniuersum præcipiendas non esse.

Id verò maximè locum habet, si præceptum non alium haberet cognitorem, æque vltorem, quàm Deum, hoc est omnium quidem iudicum summè formidabilem, sed omnium vulgò minimè formidatum. Ideò cautiùs abstinendum ab illis præceptis, quorum violatio nil foris patet, adeòque nec famæ, nec multæ minis percellitur. Quæ mihi ratio persuadet (rem haud negligendam in transcursu indico) humanis Principibus naturali iure multa quidèm, & grauia imperari pro subditorum salute, pauciora tamen, ac leuiora, quàm vulgus interpretatur. Cum enim eorum delicta, vt

potè

potè quæ ex multis arcanis rerum attributis pendent, vni Deo plerumque cernenda, certè vni Deo plectenda sint, nimis vsitata esset eorum patratio, si nimis difficilis innocentia. Animus verò ab innocentiâ iam lapsus in arduo, grauioris noxæ vacuitatem sæpè aspernatur in facili. Quare vt gens humana summam perniciem, hoc est Principes pessimos, deuitaret, par fuit ne lex naturæ seuerior insperabiles fecerit Principes bonos.

His generatim statutis, liquet sanè, quod aiebam, votum quale nostros Episcopos obligat, non debuisse cunctos Episcopos obligare. Perarduum quippe virtutis gradum Deo pollicetur. Nempe, non tantùm praua, sed vel proba interdum tibi pergrata relinquere vt meliora sequaris; non laudabilius est quàm durius, adeòque votum illud Deo nuncupatum, quod de Teresa sanctissimâ virgine narratur, præstandi semper quæ optima viderentur, haud probatur inter mortales vniuersè tanquam prudens, nisi peculiaris Dei afflatus, & voluntatem inspiret, & vires polliceatur. Plus enim habet periculi, quàm emolumenti. Nostrum porrò votum longè leuius, quippe non in cunctis casibus promittit Deo perfectionis culmen, sed in ijs, in quibus Præpositi Generalis consilia illud suaserint. Quæ sanè consilia verosimile est rara fore, & nonnisi vbi salus, aut fama Episcopi periclitari videretur. Sic enim caritas iubet, sic prudentia ne consiliandi importuna crebritas consiliatori pro gratijs auersationem, pro veneratione contemptum pariat.

Accedit, etiamsi & caritas, & prudentia deficeret, adeòq. spissior consiliorum nimbus Episcopi aures verberaret, non tamen eam esse, vt opinor, vouentis mentem, aut Ignatij voluntatem, vt in minutissimis quibusque naturâ suâ bonis cõsilia Præpositi nequeat Episcopus præterire. Quid enim? An si Præpositus Generalis ei auctor sit, vt hodiè precatoriam coronam recitet, vt ieiunet, vt aedem aliquam visitet, peccabit Episcopus hæc prætermittens, quamuis ea meliora quàm eorum prætermissionem intelligat? Minimè verò. Non in has compedes eum concludere Ignatius cogitauit. Sententia igitur vati est, se consilijs quæ optima iudicauerit, obsecuturum in rebus grauibus, & super quibus opreræpretium

tum fingat, cum Generalis Præpositus admoneret.

Sed hoc ipsum, vti dicebam, arduum est, relinquere suo marte genita quamquam bona, & alieni iudicij sobolem, quàm melior est, adoptare. Porrò hæc si obligatio per vniuersos Episcopos pertineret, vercor ne pro eximia virtutis fructu pestilentem violandæ segetem vberrimè gigneret. Animi enim est humana nescientis, ea passim sperare ab hominibus tanquam gregaria, quę, quoniam gregaria non sunt, egregia dicuntur. Quamobrem ne in nostris quidem cœnobiarchis votum illud aut voluit, aut velle debuit Ignatius: Hi nempe statutum sibi monitorem habent, statutosq. consultores; nec tamen vouent, semper se illorum consilijs obsecuturos, si suis meliora cognouerint.

Verùmtamen cùm è nostrâ Societate rarissimi thiaras induant, isdemq. non humanâ prensante gratiâ, sed vocati à Deo tanquam Aaron, imò compulsi, duæ hinc consecutiones emergunt.

Altera est, eximiam in eis virtutem regnaturam. Huius enim fulgor dum taxat peculiare propter Romanum Pontificem, vtique quod à multis quæritur, inuitis obtrudat.

Altera est, egregia & insuetæ virtutis exempla iure ex ijs non expectari modò, sed exigi. Si enim solita poscerentur, haud tanti erat per eam vim adeò insuetorum priuatos homines, & in vmbra delitescentes è cœnobij septis ad sacra populorum habenda regendas extrahere.

At quoniam quicumque ab alio regebatur, in lubrico est cum primùm se ipsum regit: & subita illa mutationes, cum potestas venefica interdum sunt nocentiores quò splendidiores, ideò amidoti præmunientes parari debuerunt, ne antiquæ virtus in socordiam, ne publica spes in vitiperationem excideret. Nullum verò validius conspicuæ virtutis excitamentum, quàm prudentis, ac venerabilis amidonitio. Hæc & obductas securitate nebulas animi dispellit, & morsu quodam simul aeris, simul salis acritatem rebus virtutis exsuscitat. Et porrò non solùm publica vtilitas, sed Societatis Iesu nominatim fama, atque honestas agitur in eorum Antistitum officijs ac vitâ, quos tanquam huius Sodalitatis florentissimæ Dei manus legit Christianis ouibus

auxiliaturus. Si nulla [illegible] virtutis, qualem rogo coniecturam de reliqua sociorum quasi turba populus faciet? Id verò discrimen alijs Religiosis familijs non imminet: Quin potiùs credibile fuerit, plus florere consummatæ virtutis in eorum multis, qui Christianæ humilitatis tenaciores, aulam perosi, cucullos infulis præhabuerunt.

CAPVT XXXXI.

Cur nostri nullas dignitates externas ne sacras quidem admittant nisi præcepto compulsi: Vbi generatim an earum repudiatio viris probis sit honesta, & an materia voti prudenter à multis exigendi.

PAtet, opinor, causa, quæ Societati nostræ hoc, de quo dixi, votū mirificè accōmodat. Cum tamen illa pendeat ex alio voto nullius externæ dignitatis quantumuis sacræ spontè capessendæ, aut admittendæ, hoc ipsum sciscitabitur quispiam, cur id in nostrâ Societate, paucisque alijs statutum sit. Eò enim processit carpendi licentia, vt hoc tam insigne religiosæ demissionis exemplum, quasi calliditas priuato quæstui subseruiens traducatur. Scilicet inquiunt, malle nos, egregia Sapientiæ lumina domi nostræ lampadas esse, quibus priuatim illustremur, quàm in Ecclesiæ Cælo stellas euadere cunctis mortalibus propitias, & præfulgentes. Quasi verò illi ipsi ex nostris qui hanc legem mordicus tuentur, hoc est, præcipui Societatis moderatores, si præuaricarentur, hanc splendidam metamorphosim de se in primis sperare non possent; & quasi benigniores eiusmodi stellarum afflatus non essent vberiùs ad nos, quàm ad reliquos descensuri. Finge nos eiusmodi obloquutoribus cedere, legem illam abrogare, externas dignitates admittere, quantis, quantòque acutioribus eorumdem morsibus hæc variatio nos obiectaret? Sed quoniam cum illis dumtaxat mihi negotium est qui, neu-

triumphi sectemur, veritatem, non obtrectationis animum quæramus, quæ gero hac in præsentia, non dissimulanter aperiam, quò simul rei veritas, simul mea in nostris dijudicandis, scribendisque, tum animi, tum calami libertas appareat.

Id primum statuo: Prudentissimum esse honoris dignitates non quærere, oblatasque recusare, nisi cum caritas vrget, populorum necessitati famulaturæ: hanc verò necessitatem aguoscere haud nostrum, sed nostri Præsidis esse debet, in eo rerum articulo relucentem cernulari. Ità sanctorum dicta, ità Sanctorum facta nos monent. Dicta reponere prolixum foret. Vobis pro cunctis mihi sit Diuus Thomas, qui 2.2.q.185 art.1.&2. hoc vsquequaque pronunciatum eleganter luculentissimè docet. Et verum quale nobis est probare. Sed quoniam facta dicto potiores testes, præter hanc quam laudat Aquinatem, hanc ipsam mitræ repudiationem non magis verbo quam opere comprobantem, testes mihi suffragantur ex ijs qui nonnisi perinuiti sacrum pedum accepere, Nazianzenus, Basilius, Martinus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Chrisostomus, Thaumaturgus, Gregorius Magnus, postremisque seculis Thomas à Villanova, alijque complures. Ex ijs verò qui sedisse victores, Bernardus, Philippus Nerius, alij sanctimonia inclyti, in quorum elogijs hanc ipsam recusationem Ecclesia collaudat. Non est quod in hoc confirmando laboremus. Ratio per se liquet. Multa quippe sua sponte sunt bona, & populis necessaria, quibus tamen, & ad aliorum subsidium, ac regimen, & ad popularem reuerentiam necesse fuit adiungi quædam instrumenta per se indifferentia vel ad caritatis exercitium vel ad voluptatis, aut superbiæ lenocinium: velut, diuitias, honores, potestatem. Et quoniam natura in vitium prona est, oppidò plerique mortales terrestrium capiuntur illecebrâ delectationis, & gloriæ. Ideò hæc munera aspernari laudabile est, non tanquam mala, sed tanquam suscipientibus periculosa. Ità generatim opes, dominatio, claritas nominis, suopte ingenio quidem bona sunt, aliòquin Deus non haberet auctorem, nec inter Dei beneficia numerarentur: sed bona sunt perquàm lubrica pedibus quos non præcautis lapsum parantis. Idcirco tutius, adeòque laudabilius repudiantur, vti lex Christiana nos docet, & nonnulli etiam ex

ex Ephraïm indignor ego? Quidquam adeò præstantius aliquid ad per se nihilus inter homines quàm loquela? hoc est animi interpres, Societatis sequestra, genuinæ doctrinæ, alterum denique ex illis duobus, per quæ inter cæteros animantes eminemus, ac diuinamur. Quoniam tamen hæc ipsa ad vomicam etiam viram, ad gloriationem exoriatur, ad incendendas rixas plurimum valet, ideò vt hæc pericula propellantur, insigne virtutis facinus inter Carusianos habetur perpetui silentij votum, nisi quantum vitæ necessitas breues locationes interserit.

At, verò, plura sunt bona sine quibus malè vtimur, nisi deteriùs: quàm optimi abusus: tum quia plus boni perdit, cuius quò ipsum pessimum est, optima diuinitùs immolare ad Deo, quò sacra potestates per se meliores sunt, eò grauius peccatur in quicumque sic eas suscipiunt, vt in illis administrandis humana non diuina sequaturos pertimescat. Hic verò timor quem, rogo te, hortor, iure non tenear in fastigio illo tot magnarum quæ pulpitis nobilitato? Quamuis ego ea sit vnquam pro sobrietate, pro castitate, pro honestissimum mihilominus esse ea detestare quæ possis, illumque statum malle in quo nihil amare queas nisi Christi patientis imitamentum.

Et propterea hoc solum impostorum illud hæreticorum sophisma: vel hæc splendida Ecclesiæ ministeria proba sunt, vel prava: si proba, cur ea refugientes laudatis; si prava, quamodò in eorum hæc ministratores conuenit Apostolorum successio; & Dei spiritum mortales vicaria quadam auctoritas? Porrò diuisio hæc non magis nos premit, quàm hæc alia quæ non Catholicos nominatim tetigit, sed quoscumque Christianum nomen professos. Vel peccata, honores, humana denique cuncta, bona sunt, vel mala; si bona, cur Christus beatam sortem appellauerit eam vacuitatem? Si mala, cur interdictis vitijs crimina immanentur, eiusmodi rebus possessorem expoliare? nec enim ipsum iuuat dici est, quamuis illum liberat, sed qui de pauperum bonis.

Quicumque igitur philosophia vanamus, non cauillari, fateamur oportet, omnia hæc eò propendere bona esse, sed eiusmodi bona, quibus homines malè vel proclive est in peius inter bona, vni virtuti cauetur, vtinam illa malè vtatur,

quo-

quemodò Aristoteles monet initio Rhetoricorum, ita eloquentiam vindicans à multorum accusatione, qui eam tanquam sæpè exitiosam è choro bonorum exturbabant. Cùm verò aliquid duplici bonitate præditum est, altera quidem vtili ad aliud honestissimum bonum comparandum, altera iucundâ, tunc porrò si hæc posterior, ita capere possit vt ipsa prioris bonitatis neglectum atq; obliuionem facilè inducat; prudentiæ adeòque virtutis erit periculosam iucunditatem auersari; Similiter suauiora quædam pharmaca à stomacho in nutrimentum conuersa, vim purgandi quàm suauitate potiorem habebant, facilè amittunt: Quocirca præferuntur à medicis amaricra, sed certiùs sanatura.

Nempe bona sunt hæc, sed ita bona, ceu illa Fœlicis Campaniæ munera, quæ Carthaginensium animos fregere, possessa.

Confirmatâiam superiori enunciatione, quam posui, alteram illi adiungo. Haud consentaneum esset, omnibus vbiuersè deuotis Deo Familijs hoc votum abstinendi à qualicunque insularum conquisitione. Vnam sternunt huic effato, quæ disputauimus capite superiori, vbi demonstratum est, mihil expedire vt vis præceptorum multos cogat ad res quamquam optimas, si ex perardeuæ sint, & minimè necessariæ, nec fermè alium præter Deum inspectorem, ac vindicem inobsequentibus minitantes. Hæc tria valent in rem nostram, quæ ita breuiter ac dingillatim demonstro. Ac de primo. Petat deum sanè ille ubi, quod votum hoc pollicetur. Quis enim spiret multos vna cœlestium abiicitate flagitare, montaliu naufragantes? nullus est religiosorum hominum cœtus tam cumulatæ, diuinæque sanctimoniæ professor, quin ibi humanis tũ pœnis, tum præmijs vsus, atque vtilitas sit vel ad criminum terrorem, vel ad virtutis inuitamentum. Ad hoc, per quàm debitæ, & congruentes religiosis vitis pietate, ac sapientiâ conspicuis sunt animarum Præfecturæ. Durius ergo fuerit hos omnes obstringi ne ad hæc sibi debita aspirent atque contendant.

Secundam quam enumerauit conditionem, hoc est, quàm votum hoc necessarium non sit, mox exponam in proximâ positione. Interim de tertia: Cum hæc res partim in latebris

bris animis partim in occultis amicorum studijs versetur, vtque, hoc si delictum esset, eiusmodi delictum vix vnquàm foris pateret, saltem quantum desideratum ad poenam ritè decernendam. Vt ergo non optima quæque vniuersis Religiosis Ordinibus iniungenda fuere, ita hoc in primis votum raritatem, poscit vt pote conflicturum cum hoste prævalido, hoc est cum innatâ mortalibus excellentiæ cupiditate.

Tertium in hac re pronunciatum esto: Aliud votum non admittendi eiusmodi onera, nisi imperata, religiosis sodalitatibus in vniuersum haud congruit non tantum quia difficile sed quia nociturum. Vel enim Pontifices passim ac facilè huiusmodi voto constrictos pro imperio ad mitiuras extollerent, vel perrarò, & grauibus tantum de causis.

Si primum fieret, vniuersa fermè voti vtilitas corrumperetur. Scirent enim Religiosi, se voto illo non obstruere sibi viam ad dignitates, vt pote quæ passim eosdem vouentes ambirent. Atque id est, cur Ignatius illud quidem prius votum non ambiendi voluerit esse commune etiam domesticis Magistratibus nostris, non autem hoc posterius. Siquidem cum hi domestici Magistratus necessariò inter nos dispertiendi sint, tantundem probabilitatis erit vnicuique nostrûm super huiusmodi Magistratibus suscipiendis, si cunctos, ac si nullos tale votum adstrinxerit. Nullum ergo esset eius voti emolumentum, ac meritum: vt pote quæ duo vnicè tribuit occlusa sibi sponte aditus ad eiusmodi Præfecturas.

Et verò indecorum esset vt sæpenumero Summus Pontifex pro diuinâ potestate haberet, gregarios viros (eximij quippe, vt id crebrò repetam, vbique rari) summis cathedris præsidere, itaut quod de aliquibus sanctimoniâ, & doctrinâ inclytis tanquam præclarissimum historiæ commemorant. in exemplorum turbâ vilesceret.

Sin alterum eueniret, hoc est, si hæc ipsa iubendi parsimonia quæ nobiscum in præsentia seruatur, cum vniuersis tunc seruaretur, quàm incommodè accideret Christiano gregi vt ex eiusmodi præcellentibus morum, doctrinæque gymnasijs tam rari adlegerentur animarum pastores; ità vt ad suprema sacræ Hierarchiæ munera qui aptissimi, iidem rarissimi omnium peruenirent? Id verò demonstrat, quod

huic

huic loco demonstrandum sepe sit: nihil necessarium esse vt votum infulas non ambiendi vniuersa Religiosorum agmina complectatur. Cum enim expediat vt hi frequenter infulis præcingantur, cumque alij non vetentur easdem ambire, vix alius reipsa fructus ex eo voto gigneretur, quàm, vt homines pietate, ac literis minores munera hæc præstantissima passim Religiosis viris præriperent.

Hic ita vniuersè constitutis super eiusmodi votorum commodis, incommodisque, aio: Expedit, hoc votum nullas admittendi externas dignitates emitti in quibusdam Religiosis familijs, & maximè in nostrâ.

Id ita confirmo. Nihil pestilentius ad corrumpendam virtutem, quàm si præstantissima Christianæ pietatis opera, quibus vnicè Deum quærere videamur, facilè detorqueantur in hamulos mortalia clam expiscantes. Si enim hoc accidat, nullum superest discerniculum inter Dei, ac mundi studiosos; quo sublato, quis non videat quantum hebetarentur ad vnumquemque extimulandum exempla alienæ virtutis, & ad Ethnicos, hæreticosque reuincendos testimonia quæ inde manant veræ Religionis? Accedit ad hanc causam, nimis pronum esse vt animus, corporis contubernalis contagione vitiatus, quærat in suis operibus ea sensilia bona quorum in illis fœcunditatem præsentit. Quare, vt ipse diuinis tantum studeat aliqua vitæ ratio expedit, in qua nulla sit spes humanorum. Atque ob eam causam magnâ factum est prouidentiâ Numinis in Orbe terrarum id ipsum cuius nomine prouidentiam exagitant garrientes impij: hoc est, vt sępè virtus iaceret: Nempe, si passim illa in sublimi triumpharet, non tam virtus quàm solers negotiatio videretur.

Efficitur ex his, duo præcipuè Religiosorum ordinum genera arcenda esse à præmijs humanis quantumuis per se virtuti debitis.

Alterum genus est eorum qui summa rigent asperitate, ceu Cappuccini, Excalceati, eorumque similes. Scilicet tanta illos prosequitur populorum, ac Procerum veneratio, vt, nisi voto infulis inaccessi, passim adoptarentur in pastores animarum non sine graui periculo tum inobscurandi exempla virtutis, tum corrumpendi virtutem ipsam adeò præcla-

ram

ram & cunctis nunc considerandam obijciendam ad Fidei nostræ firmamentum.

Alterum genus (quòd nostram Societatem in primis continet) est eorum qui alienæ saluti prorsus dicantur, cunctis fere mortalium ordinibus opitulantes, præsertim in doctrinæ, pietatisque cultura. In [illegible]

Hi enim, cum sibi vniuersos demereantur, cum tractationem animorum egregiè calleant, adeòque & scientiam, & virtutem præseferant, cum principum virorum amorem, atque opinionem facilè sibi conciliant, eorumque plures habeant vel à se literis imbutos, vel concionum eloquentiâ captos, vel in curandis animæ morbis obsequentes, peccandi frequenter thiaris destinarentur, illorum si capita thiaras non arcerent. Hæc verò inter illos humanæ celsitatis frequentia quàm exitiosa, violentius namque pelliceret animos, non è robore tandem dolatos, vt humanam mercedem sequerentur, adeòque diuinam perderent: tum verò quod huic proximum est, vt artes capiendis potiùs quàm perficiendis animis opportunas adhiberent. Minus enim aptè aliorum beneficia quærit, qui sibi ex alijs beneficium quærit: Ille communis boni præstantissimus artifex, qui mauult alijs bene esse, quàm, sibi alios benè velle. Ad hæc, qui solum Deum sibi debitorem volunt, cunctis se ipsos impendunt cunctorsi quippe se Deus vadem facit: qui verò ex hominibus gratiam expectant, nonnisi paucis, & præpotentibus; hoc est ijs quibus inseruire, non necessitatis subsidium est, sed vel ambitio, vel mercatura.

Ità sanè primùm virtus inter nostros periclitaretur: tum verò arescerent fructus quales quales nunc à nobis existunt Christiano populo salutares. Magis ergo è republicâ est, virtutem Familiæ nostræ in secundarijs ministerijs iacere, sed incorruptam, ac stabilem, quàm ad principales curas extolli, sed vitiandam, citòque defecturam. Quod citra dubium liquebit vnicuique reputanti quot & quanta sint officia in Dei gloriam & humanæ gentis profectum eximiè cessura, quæ à sodalibus nostris in panno atque in humili præstari queant si campum quem Ignarius aperuit impigro cursu peragrauerint. Ne pigeat nos in alienæ salutis studio ac

labo-

laborum ſuſceptione Apoſtolos imitari, & eoſdem vtique operum vbertate imitari licebit, quamuis Apoſtolici muneris adiutores tantum ſimus, non ſucceſſores.

Vno verbo haud vtiliùs cogitabit quicumque operarios noſtros grandeſcere velis in animarum Antiſtites, quàm qui probum argentum chimicis ignibus conficiat quò in aurum flaueſcat; cum potius verendum ſit ne vaneſcat in fumos.

CAPVT XXXXII.

De abſoluta Vnius poteſtate. Et cur ea perpetuam fecerit controuerſiam Societatis Inſtituto; multique ex noſtris eam voce improbauerint, re vniuerſi retinuerint.

ARgumentum aggredior omnium huius operis, & maximum, & difficillimum. Maximum porrò, namvt principium, ita principatus quod ab eo nuncupatur, in cunctis rebus maius dimidio. Quicumque in alterutro errauerit, prorſus deerrat in toto. Difficillimum verò, ſcilicet mirum dictu! nulla lex plurrs habet vel opere ſuffragatores, vel vocferatione interceſſores, quàm vni vindicans dominatum. In vtramuis partem ſcripſeris, terribilem æque ac feruidum aduerſarium laceſſes, hoc eſt turbam, cuius neceſſe habes vel dicta coarguere, vel facta. Vetus eſt verbum; homines plerumque laudare meliora, ſequi deteriora; ideò non tam exempla quàm verba, non tam manus, quàm linguas, legitimos eſſe judices eligendorum. Ego tamen eſſatum illud aliqua exceptione contraxerim. Quæ ita meliora ſunt, vt vnà virtutis probitate dotentur, ea quidem, fateor, ore magis quàm opere mortalium plerique comprobamus. At verò quæ ideò meliora quia pleriſque commoda & ſalutaria, vtique interdum inconſiderati reprehendimus, vix vnquam dementes repudiamus: vbi enim actione non ſermone decernendum eſt, enimuerò compendij cura prudē-

tiā acuit, & potiori deliberationis parti litem adiudicat. Putidum esset, ex omnibus rerum generibus auidè huius rei exempla colligere. luculentissima sunt quæ suppeditat idipsum quod in manibus est. An aliquid magis decantatum, quàm illæ modò commiserationes, modò irrisiones aduersùs popularem, quà infœlicitatem, quà socordiam, quòd, cum vniuersi & æquales nascamur, & liberi, gregatim tamen vni, belluarum ritu, mancipamur? Sic passim homines disputant; at non sic homines eligunt. Vix centesima mundi pars aliam gubernationem asciuit, quàm vnius.

Neq. id aut inuitis, aut inconsultis contingit. Nempe & ille vnus qui dominatur in multos, haud alias habet vires nisi multorū; & nulla deliberatio tam exquisitè perpenditur, tam meditatè peragitur à cūctis populis quā vel forma gubernationis, vel electio gubernātis. Causā huius discrepātiæ verba & inter facta, si à me quæras, hāc interpretor. Vnius potestatē factis amplectimur, quia sic amplecti proficiēs est: verbis carpimus, quia sic carpere haud noxium, simul verò qualiscumque titillatio est malignitatis humanæ alienam præstantiam vel sibi commodam auersantis. Quid ergo? In hac vnius potestate, qua tandem nostra Societas constat, agnosces imaginem quamdam illius fortunæ, quam ipsa Societas generatim experitur: vtramque plerique damnant, simul & eligunt: vtrobique alterum inuidiæ datur, alterum vtilitati.

Et verò hæc imperandi forma, qua nullum vberius argumentum in vtramque partem declamantibus, rarò tamen alibi acriùs agitata, quàm in hoc sodalitio, quippe & osoribus inuisa, & amicis suspecta, & quandoque domesticis grauis.

Cum osoribus nil mihi negotij est: Nempe illi eò vberiùs laudant quò infensiùs vituperant. Quis non meminit, inter loca suasoria Rethores ponere *id quod inimici maximè nollēt*? Quare non tanti habeo libellum nescio quem refutare paulò ante memoratū, cui titulus est, *De Monarchia Solipsorum*. Is enim ab obscuritate dictionis claritudinem famæ cauponatus, per quædam ænigmata mysticasque fabellas Societatem adumbrat. Adumbrat inquam: mirum quippe est quā-

mut

tum ipse vmbrarum pauculis veritatis coloribus ac lineamentis, prodigialiter mendax, insperserit; nullis argumentis, vt pote ab arte pariter atque à materia destitutus, fidem sibi concilians, sed vnicè captato vulgarium lectorum simul cum risu per dicacitatem fauore. Hunc aliosque eiusdem furfuris libros, tanquam edentulas easdemque ephimeras belluas, otiosus sim si calamo confodere aggrediar, quippe & innoxios hostes dum viuunt, & sponte citra vllius ictum interituros.

Cum amicis, & cum domesticis differam. Alteri quidem nobis timent ceu violenter constitutis adeòque non duraturis. Quid enim violentius, quàm vt sapientum virorum agmen, quos vbique gentium publica veneratio comitatur, maiusculi tanquam pueri in vnius hominis custodia contineantur, nullâ eis relictâ vel in alios, vel in se particulâ libertatis? Quanti verò id periculi est? Quid enim proclivius, quàm vnum hominem vel hallucinari mente, vel affectione deprauari? Quod si accidat, confestim necesse est, vt illo tanquam prægrandis capitis vitio corpus vniuersum ægrotet. Præsertim cum ille vnus sodalium plerisque loco remotus, cognitione remotior, vniuersa tardè, ambiguè, gelidè ministrare debeat. Sic amicorum multi, sic & domesticorum non nemo.

Sed his omnibus ita occurritur quomodo & Zenonis rationibus aduersùs corporum motionem, & veterum physicorum aduersùs antipodas occursum est. Nimirum experimento, hoc est lydio illo tanquam lapide, quo non aurum, sed pretiosior auro veritas comprobatur. Norunt quicumque res nostras simul, & alienas norunt, & regunt, hoc est Vaticani Principes ac Magistratus, an sit alibi quàm apud nos vel plus concordiæ inter subditos, vel plus pacis cum præpositis, vel minus sæuitiæ in pœnis, vel minus litium apud extera tribunalia: norunt, an præ hac huius ordinis nouitate, ac tanquam adolescentiâ in tantâ religiosorum agminum copiâ, gloriâque sæculis confirmata, res apud eorum pleraque secundiores fluant vel in studijs literarum, vel in disciplinæ custodiâ, vel in officijs omnibus Diuinæ gloriæ, ac Vaticano & vniuersæ Reipublicæ proficientibus. Quæ omnia (ne à superiori

pernicie, inscitudine dissidem) cum inconsultâ regiminis forma non magis componi possint, quàm pernicioſæ valetudo cum capitis vitiosâ constitutione.

Quid est ergo cur adversùs hanc supremi Moderatoris potestatem aliqui ex nostris intendam cum adversariis conspirent; atque in primis Mariana in suo quem citavi seu legitimo, seu suppositio libello, cæsè abortivo? Scilicet eadem est causa ob quam in omni principatu contra summam unius potestatem subditi mussitant. Plerique, vt à multitudine sibi plusquam à Principe politicorum, ita multitudinis imperium oblaudant. Vade nam, rogas, maior hæc in multitudinis favore fiducia? Dicam paucis. Qui dare nil possunt, dant aureos montes, & mundos Democriteos, quoniam id non vo, sed cogitatione præstante singulis nuperibus millenus simul competitores beatitudinem intendit consilia simul aspectantur; atque adeo cunctorum votis obsequi, cunctorum sententiis adstipulari, satisfaciunt omnibus, quia faciunt nihil. Hos habet homines multitudo, regnantes atque inutilibus, verbis inanibus prodigiales liberales, ac beneficos. Quid mirum si tales sibi præpositos augurentur multi, qui, quod impotenter volunt, hoc facilè credunt?

Ad hoc, in quacumque præsertim amplâ, ac difficili gubernatione, multa eveniunt improspera: hæc autem vulgò imputantur imprudentiæ præsidis, non adversitati fortunæ; vel ad solatium invidiæ sapientiam à potestate perlibenter disparantis; vel quod minus dolendum, ac proinde facilius ferendum accidat, in consultum nobis esse rectorem, quàm infensum numen. Illum ergo tunc confidenter accusamus, qui si oraculum aliquod palam cecinerit, omne aliud consilium, quàm quod ab eo captum est, felicius fuisse cessurum. Cur tamen ea interveniant sæpe rerum humanarum conditio, vt magnis sit prudentiæ fructus, mediocris iactura: quemadmodum in difficilioribus quibusdam morbis medenti gratiam, & mercedem referimus, si pede, vel brachio præciso vitam seruarit. Sæpè etiam id eventu accusatore vulgus damnat, quod antea consultrice prudentiâ probatum fuerat à Magistratu. Hæc cum ita sint; quicumque infortunata aliorum facta confidentiùs arguunt, ij consultiùs agunt fuisse

à turbâ

à turbâ creduntur. Ideò vulgare est vulgaribus ingenijs, ex quibus vnaquæque tandem Respublica plurimùm constat, vt, dum res leuiter agitatur non ad viuum resecatur, multorum dominationem præferant tanquam sapientiorem, atque vtiliorem.

Præclarum, vulgatumque huius rei exemplum offerunt Romanorum Annales. Cum enim Fabius Dictator, ille qui non tam agendo, quàm cessando *Maximi* cognomentum à sempiternâ famâ promeruit, Annibalem victorijs iuueniliter exultantem cunctatione frangeret, Minutius Magister equitum, cunctationem illam ceu segnitiem traducens, publicè querebatur, senio, ac lentitudine Dictatoris Romanæ militiæ florem inaniter consumi, & è manibus suorum eripi certissimam palmam, eamdemque tesseram perpetuæ securitatis. Magnifica hæc Minutij verba Reipublicæ omnium ætatum ac nationum sapientissimæ imposuerunt: Quid plura? Collata extra ordinem Magistro equitum par cum Dictatore potestas: Temerè ab ipso conflictum: pro victoriâ clades fuisset reportata, nisi Dictator, qui vti prius rumores, ita tunc vitionem, ante salutem non posuit, in tempore subuenisset. Enimuerò tunc patuit, quàm sapienter à maioribus institutum esset vel in eâ populari Republicâ, vt vbi quid perarduum incideret, vnius imperio res agerentur.

Sed hæc exempla identidem non memorentur solum auribus, sed oculis recurrant oportet, non secùs ac diuina prodigia; quò veritas constet: in omnes enim valet quod Tullius se in Romanis expertum narrat: acutos oculos, hebetes aures habere.

Proferam quod nonnunquam animo volutaui. Equidem non sine magnâ numinis curâ statutum reor, vt defuncto Præposito Generali dum Comitia cogantur, & successor renuncietur, Vicarius paulò contractiorem obtineat potestatem, & cum Assistentibus partitam in rebus quas illi grauissimas iudicauerint. Etenim periculum erat ne quo tempore celebratur Conuentus Generalis, cui vni iuxta Dei Vicarium licet Ignatij leges abrogare, expugnaret aliquando Patrum sententias tribunitia illa aduersus immodicam vnius potentiam querimonia; roborei enim iudicij est contra,

popu-

populares vociferationes veritatem retinere constanter. Nil ergo commodius (licet id neque Ignatius neque Societas per eiusmodi sanctionem quæsierit) quàm vt proximè ante Congregationem experiremur incommoda, quà graviora, quà leuiora, ex eiusdem potestatis diuisione manantia, quò præfastidio semper non sinuante, sitis incessat, consueti boni diu possessi, ac recens intermissi.

Sed vt reuertar inuiam, & reliquas causas recenseam huius frequentis querelæ contra imperium vnius, porrò mediocres (hoc est plurimi) si fortè propriâ vtilitate communia metiantur, multorum regimen, inconsultò quidem sed facilè, præoptauerint. Scilicet nulla mediocritas tam parum adulatur sibi, vt, quod multis communicandum est, id meritis, ac fortunâ tenere se posse desperet. At rarus est qui se tam dementer suspiciat, vt vindicet sibi proceritatem cunctorum capita supergressam, qualis in vno cunctis superimponendo desideratur. Optant ergo mediocres diuisam esse potestatem, quasi offam, quam integram elephantini oris amplitudo vix capiat, contritam vel catuli pro conuiuio habeant. Quod si quis partem dominationis non cupiat aut speret sibi, sperat amicis, ac familiaribus: sperat illis quorum aliquem sibi præcipuè fauentem auguratur. Quamuis autem viris religiosam humilitatem professis scabies hæc vti turpior sic rarior sit, non tamen semper dum aliquid placet, qua gratiâ id placeat, agnoscimus. Vt in cibis, vt in symphorijs, vt in picturis, vt in carminibus sæpè nos oblectari sentimus, nescij quæ nam sit illecebra illa quæ nos oblectat, hanc enim agnoscere multæ artis, ac notationis est; ita sæpe ad aliud probandum trahimur, à quo trahamur ignari, nisi per exquisitam diligentiam latebras nostras inquiramus. Non alijs solùm, sed nobis ipsis cupidinem pro virtute supponimus. Ideò nunquam communis emolumenti studium vehementiùs feruet, quàm vbi priuatis rationibus euentilatur: & vel bonis viris pronus est lapsus in ea peccata quæ patrantibus compendium, aut voluptatem dissimulanter insinuant, in fronte publicam rem, atque honestatem splendidè iactant. Memini me legere apud Augustinum, hoc est virum sapientissimum inter sanctos, sanctissi-

ctissimum inter sapientes; nunquam ab eo prorsus edomitam cibi potionisque libidinem, vt pote quæ, ait, *obtentu salutis obumbrat negotium voluptatis*. Non aliter potestatis ambitio, personata bonos aggreditur, venditatque se alienæ salutis caritatem proprio labori non parcentem. Quid ni verò talis credatur? Cum enim necesse sit vt quisque putet vera esse quæ opinatur (alioquin opiniones illas non retineret) proin existimat, nihil magis Reipublicæ profuturum, quàm si ad earum normam res administrentur: quod præcunctis se facturum intelligit, vtpote opinionibus illis mirificè imbutum. Multi quoque gubernationem, seu ex Christianâ humilitate, seu ex meditationis, quietisque desiderio exosi, cupiunt illam alijs quos secum in communibus regendi axiomata norunt consentire, atque adeò quos ad suam amussim recturos ominantur.

An tot tantisque inuitamẽtis illecebrosius quidquam natiuas hominum affectiones instigare queat? Cur ergo miremur si multitudo multitudini imperiũ vindicet, præsertim dum non eligitur, sed declamatur? Vbi enim res instat, & ratiocinationis conclusio non vox, sed actio futura est, vnusquisque ratiocinatur attentiùs, ac, tanquam pictor manum de tabulâ perpetuò submoturus, acutiore obtutu lineas omnes contuetur. Memorabile huius rei exemplum Societas exhibuit paucis ab hinc annis in postrema Congregatione Generali, quæ conuenit ad sufficiendum Mutio Vitellesco defuncto Societatis Præsidi successorem. Satis confidenter asseuerauerant aliqui Innocentio Decimo, quem magno Ecclesiæ bono Christi Vicarium adoramus, gemere Societatem vninersam sub hoc impatibili iugo dominationis absolutissimæ in vnum collectæ: Omnium vota in id excutiendum conspirare, sed irrita; Quippe vetitam ab Ignatio Congregationem Generalem de vllo negotio decernere ante lectionem Præpositi Generalis; Hoc interdicto re ipsâ omnem occludi aditum libertatis. Nam electione iam peracta, quis auderet nouum Præsidem irritare, recentisque beneficij gratiam corrumpere? Nempe qui solidum largitus, si illicò semissem inuito subtrahat, ex debitore inimicum facit. Hæ tanquam communes sodalium querimoniæ

apud

apud Pontificem iactabantur. Vt enim personatus quisque Regem se facilè simulat; ita ignoti precatores passim suis libellis integræ Sodalitatis, Vrbis, Reipublicæ personam inducunt. Quid Pontifex ad hæc? Quod sapientem decebat Principem: cuius est, nec fidem, quasi derelictam possessionem, occupantibus expositam habere, neque ostitantiâ probitatem ostentante accusationes à calumnijs nihil secernere: quorum alterum innocentiæ vexatio est, alterum flagitij securitas.

Placuit Innocentio Societatis liberam voluntatem exquirere. Mandat proinde vt ante Generalis Antistitis electionem certa quædam capita coactis Patribus, ceu tunc minimè coactis, proponerentur, quorum capitum pleraque ad contrahendam hanc vnius potestatem spectabant. Enimuerò tunc visum, æstimari hoc à Societate non seruitutis vinculum, sed concordiæ. Tot inter suffragatores, natione, ingenio, ætate, vitæque casibus dispares, hoc vnum certamen fuit, quis eorum fideliùs pro veteri in Præpositum submissione tanquam pro Regno certaret. Nec enim reiecta solum oblata libertatis facultas, sed exquisitè neruoseque descripta sunt capita, quæ nihil mutandum persuasissent, eaque breui codice comprehensa, ac Pontifici exposita; supplicatumque, ne Societatem non tam exolueret, quàm dissolueret.

Id autem facilè impetratum ex Optimo Principe gaudente, haud frustra Societatem turbulentorum libellis fatigatam; quando eorum beneficio amor iam obedientiæ, ac boni communis agnoscebatur, quem illi antea ceu coactam seruitutem insimulauerant.

CAPVT

CAPVT XXXXIII.

Aliqua generatim de Monarchia, & Aristocratia. Vtriusque præcipua commoda, atque incommoda.

NVlla quæstio de re ciuili disputantibus celebrior est, quàm, vtra melior imperij forma sit vniusne, an multorum; seu quia, vt fictoribus gratior auri, quàm argillæ tractatio, sic philosophantibus ingenijs ipse argumentorum splendor inuitamentum est; seu quia de summis decernere, si minus datur imperando, saltem scribendo, delectat. Verumtamen id peruersè accidit, vt qui hunc locum liberrimè examinant, hi assentatores apud vulgus maximè audiant. Etenim, quando plurimam Mundi partem Monarchæ habet, quicumque scriptores Monarchiam præ cæteris dominationibus ponunt, hi potestati magis, quàm veritati obsequi videntur. Et tamen si rem acutiùs inspexeris, illi re vera sunt, qui nullo priuatæ vtilitatis respectu scriptionis candorem inficiunt. Numirùm si de Regibus exturbandis, vel retinendis, in solemnibus Reipublicæ Comitijs disceptaretur, vtiq; regiæ potestatis assertoribus, quasi magnorum clientum patronis, spes foret mercedis amplissimæ. At Reges, suæ dominationis securi, scriptorum hac de re disputationes plerumque vel ignorant, vel irrident, certè non curant. Populus est qui eas & legit, & iudicat: Ab eo tantum scriptores pro mercede sperant euanidam illam, sed adoratam ingenijs, auram publicæ laudationis. Ergo quicumque plebis, sed eruditæ, tanquam tribunus, vocem effert aduersariam immoderatæ Regum potentiæ; qui calamum quasi telum accommodat inuidentiæ populari regale fastigium incessenti, is enimuerò futurũ sibi iudicem captat, & assentationẽ vsurpat magnificâ libertate laruatam. Non aliter Satyrici; scriptorum natio quæ, dum libertatem in Magnates gloriosè iactat, turbæ seruiliter adulatur: Dum enim potentum vitia euulgant, amplificant, fingunt, dum fortunam probis iniquam,

flagitiosis fauentem dolenter conclamant, quid al iud agant quàm vt populo subblandiantur, hoc est summo literatorum æstimatori, & famæ arbitro?

Mihi verò haud consilium est, litem illam sempiternam dirimere inter Monarchiam, & Aristocratiam (hæc enim extra Monarchiam vniuersis fermè calculis interdominationes præstantissima est) tantum aliqua libare, ac statuere generatim necesse habeo, ex quibus pendet de Societatis gubernatione iudicium.

Primum id enuncio: In quacumque regiminis constitutione vbi aliquid decernendum, ac præcipiendum occurrit, vnum esse tandem oportet qui super eâ re pro illo temporis, ac rerum articulo dominetur. Neque vnum intelligo per vocabuli translationem, aut abusionem: vt plerique solent qui paradoxa polliciti, vulgaria, & comperta perseuerant: sed pressè, virèque vnum hominem, atque indiuiduum loquor. Dictum sic paucis demonstro: Iurisdictio ciuilis vniuersè inter homines naturâ æquales ob eam gratiam instituta est, vt omnium vires semper in vnum conspirent pro eâ parte, quæ publicè salubrior est; quò hæc semper validior sit, adeòque semper victrix. Quapropter ne huiusmodi vires diuisione frangantur, necesse est vt in qualibet dominatione ad vnius tandem arbitrium redigatur, illas in vtramuis partem conuertere. Exemplis rem explano. Fac in Aristocratiâ, fac in Democratiâ duas tertias sententiarum partes exigi quò consilium aliquod obtineat; tum quidem si iam tertia pars senatorum refragata est, porrò vni protinùs sententiam dicturo potestas est efficere vt consiliũ illud repudietur: quod si is eiusmodi consilium approbâuerit, subinde hæc eadem potestas in proximum senatorem migrabit, & sic deinceps vsque ad extremum, qui si rem adhuc ancipitem inueniat, poterit momento suo huc vel illuc dominatricem vrnam flectere pro arbitratu.

Quæcumque igitur sit species gubernationis, in singulis casibus vnus tandem est qui omnium vires moderatur. Sed in hoc differt Regnum à dominatione multorum; quòd in Regno arbiter communium virium vnus semper, atq. idem est, isque ad propositum consilium amplectendum pariter

ac

ac repudiandum: At in dominatione multorum alius idem, atque alius: ille scilicet cuius suffragium inuenit consultationem eò redactam, vt vnius sententiæ assensu res conficiatur: isque sic plerumque si suffragetur rem perficit, vt si refragaretur non illico eandem præcideret; vel è contrario ita refragando præcidit, vt si suffragaretur non eandem continuò perficeret. De reliquo, vt physica sic ciuilia per vnum aliquid & indiuiduum formari, ac perfici necesse est.

Secundò affero, si rem per se spectemus, satius esse vt hæc potestas in vtramuis partem, quæ potestas in dominatione multorum vaga est & pro variis circumstantijs in alium atq; alium commigrat, vni eidemque immutabiliter adhæreat, quod vsu venit in Regno. Id quinco per duas positiones ex quibus hæc consequutio facilè emergit. Altera positio sit:

Potestas hæc non est instituta in gratiã Præsidis, sed Reipublicæ, cui Præses regnando seruit. Cum enim homines natura liberi sint ab omni mortalium principatu, hanc vtiq; libertatem iustissimè retinerent, si vtilem experirentur. Nullum ergo ius hac in re nullusque respectus distribuentis habetur: salus populi suprema lex est, atque vna regiminis concinnandi mensura. Si aptam huius rei similitudinem quæris: finge tibi diuitem indigentem œconomo, cui magna potestas in seruitia, magnumque stipendium tribuatur. Porrò nihil ei curandum erit vt, œconomo identidem commutato, plures fruantur bonis nobilem illum famulatum comitantibus. Domus, reique suæ familiaris vtilitatem vni cè consulet: atque vti hæc suaserit, vel semper vni, vel alij subinde, atque alij curam illam laudabiliter demandabit.

Altera positio sit. Consultius est Reipublicæ (re spectatâ per se, & ni aliud obstiterit, de quo mox exponam) si vnus, atque idem in cunctis casibus præpossit. Id autem elicio ex ipsâ origine, actanquam natiuâ stirpe iurisdictionis. Quemadmodum enim homines conuenere ne ius suffragij cunctis tribueretur, non pueris, non fœminis, non stultis, paucis denique vbique gentium in plerisque negotijs; quoniam facilius prudentia, ac probitas in paucorum delectu, quàm in pluribus, adeòque in omnibus inuenitur, ita satius est apicem

cem potestatis contrahi in vnum, eumdemque hominem, quoniam facilius est optimum, ac prudentissimum vnum inuenire quam plures. Quæ igitur ratio cunctis nationibus persuasit vt iurisdictio colligatur in paucos, quò vnusquisque ex illis, ad quos singulos sibi inde pertineat circa communes vires, probitate, prudentiâque sit præditus, quæ in delectu paucorum haberi possunt, in multorum turbâ non possunt; eadem vtique suadet potestatem in vno perpetuam constabilendam, quò semper communium virium arbiter sit optimus, ac prudentissimus; Quare vocabula exuperantiam alicui inter omnes tribuentia plusquam vni accommodare, si forte Grammaticorum abusio vtcumque permittit, certè proprietatis custos Philosophia non permittit.

Altera ratio; eaque prævalida quæ Monarchiæ suffragatur, hæc est: Nulla societas cum Magistratu deterior, quam secum comitentur duo illi primitiæ felicitatis satellites, ac iudiciorum infectores, timor, & spes. Timori quidem in despicatissimis etiã Curiæ viatoribus, nõ modò in rectoribus validè occurritur, statutâ vel in proceres vltimâ pœnâ si quem piam eorum, numeris causâ, violauerint. Spem euellendi vti nulla fuit ars, ita nec tanta necessitas, quando hæc affectio blandior quàm violentior ad animos peruertẽdos; ideòque minùs quàm timor libertatem obruit. Hoc cum ita sit, vbi potestas ita dispergitur in multos, vt communes vires modò vni pareant, modò alteri, quilibet eorum sibi metuit, ac sperat ab ijsdem quibus ipse potestate sua & spem facit, & metum: Quos nunc habet subditos, tanquàm mox imperaturos reueretur. Quid ergo? si priuata commoda consuluerit, communia vel prodet, vel negliget. Non ita Regnator; nihil ei decorum, nihil prosperum, nisi Regni decus, atque prosperitas, hoc est aliis verbis, nisi felicitas subditorum. Regi *publicum*, ac *priuatum* duo nomina sunt, res vna; Senatori contrà non solùm duæ, sed sæpè inter se pugnantes. Ita videmus in ipso Regno subditos magis confidere de iustitia Principis, quàm inferiorum Magistratuum. Rarus enim est vel qui gratis iustitiam lædat, vel qui nullâ causâ permoueatur vt lædat.

Hæc pro Monarchiâ. At pro multorum potestate duæ vicis-

vicissim rationes militant. Altera, quæ primam ex aduersis refringit, est, facilius oculum cœcutire, quàm oculos, ideò non vnus, sed gemini mortalibus attributi sunt: adeò vt vnoculum animal, quod fabulæ in Cyclopibus canunt, extra vires naturæ physici ponant. Vulgata sunt similitudines illæ quas hac in re Aristoteles agnoscit, seu cum conuiuijs publicis, vbi ex modicis plurium conferentium symbolis opipare cœnatur, seu cum pictis hominibus, qui veris pulchriores sunt; quia pulchritudines in veris dispersæ componuntur in pictis; super quibus, alijsque eiusmodi Aristotelis hac de re comparationibus, meminime aliquando per litteras à Virgilio Maluetio, ingeniorum quæ nouerim, in ciuilibus quæstionibus robustissimo pariter ac subtilissimo, interrogatum, plura scripsisse, nec pauciora, certè meliora, ab eodem mihi rescripta. Sed hæc libens, omitto quippe quæ in re præsenti non ad pugnam facerent, sed ad pompam. Quis enim ambigat expedire, vt publica negotia non vnius, sed plurium consilio adhibito transigantur? Consueui dicere, amentes à sanis stultitiarum numero, ac diuturnitate solùm differre: Cæterum, nemo tam prudens, qui, si omnia diceret, aut ageret ceu quædam dicit, atque agit, sique vniuersam vitam, ceu quædam vitæ momenta, perduceret, Oreste sanior videretur. At non ita vnquam accidit vt multi sapientes simul vniuersi desipiant. Magnum igitur Aristocratiæ præsidium est multos consultandi necessitas.

Altera causa quæ fauet Aristocratiæ, occurrit alteri causæ, quam produximus pro Monarchiâ. Dictata namque Stoicorum sunt, aut Pelagianorum deliramenta, posse quempiam inueniri mortalium probitatis immutabilis. Si ergo vnius arbitrio cuncta regantur, poterit quandoque vel in maximis deliberationibus, & publicam salutem continentibus non ad rationem, sed ad libidinem decerni; Non ità inter Optimates, quorum integrum Senatum eodem tempore deprauari nihilò facilius est quàm integram syluam momento exarescere. Quin etiam si hoc monstrum accideret, quisque, existimatam aliorum probitatem reueritus, simularet suam; nemo se primus aperiret; & dum singuli falsò crederentur boni, omnes vt boni deliberarent.

Hæc

Hæc potissima sunt quæ in vtramque partem valent; super quibus disputare nihil attinet in præsentia. Verùm ex vtrisq; hinc, & inde disputatis licet ita concludere. Si vnius regimen attemperari hic possit vt semper hæc tria fixa sint.

Primum, vt ille vnus sit vorum Optimorum consilijs vtatur.

Alterum, vt nequeat per se magnum vllum, aut imprudens, aut volens, Reipublicæ infligere.

Tertium, vt desit ei grauium delictorum impunitas.

Si, inquam, tria hæc temperamenta ita in Monarchiam conueniant, vt ab eius potestate vitiari, corrumpique non possint, hæc erit perfectissima regiminis constitutio, quippe quæ vtriusque partis commoda complectetur.

Perge porrò, aio hæc omnia egregiè cõcurrere in Societatis gubernationẽ. Quod vt palã fiat, eiusmodi gubernationis specimen, ac tanquam vmbram paucissimis ob oculos ponã.

CAPVT XXXXIV.

Explanatur quænam, & quanta sit Præpositi Generalis in Societate Iesu potestas, quibusque temperamentis contracta. Tum inquiritur, quænam sint leges in Societate per quas cæterarum custodia incolumis perseueret.

PRimò quidem, penès Generalem Præpositum tota distributio est Magistratuũ, ac munerum, ius omne pœnarum, dimissionum, ac rei familiaris per vniuersam Societatẽ.

Secundò, nefas illi est constitutionem aliquam abrogare, aut nouam inducere: hoc nempe super constitutionibus, quæ substantiam Instituti nostri continent, interdictum est planè vel in consultationem vocare; idem verò super cæteris leuioribus, atque vt ita dicam huius corporis non tam membris, quàm vestimentis, vni Generali Congregationi reseruatum. Et sapienter quidem vtrumque.

De primo nihil opus est eloqui. Vt enim nemo tam amens

qui

qui dubitet, vtrum sibi expediret ex humana in aliam speciem conuerti quamuis præstantiorem; hoc enim ipso funditus interiret, nec iam is qui antea, sed alius existere, ità si religiosus Ordo leges alias substantiata permutantes ascisceret, non tam curaret perfici, quàm perire.

Alterum quoque prudenter cautum, nullum quippe legum tutius munimentum, quàm potestas multorum. Plurium Comitijs id frequentissimum est, vt dum alij alia sentiunt; in hoc tandem omnes facile consentiant, *nihil nouandum*. Sola ergo necessitas, eaque manifesta valet ad eas leges euertandas, quarum custos multitudo: e contrario nimis pronum est, Præsidem iura permutare, si liceat: tum quia vt ora sic placita hominum summè varia; tum quia pulchrum videtur supremam dominij partem agere in hoc Mundi theatro, suamque potestatem prorogare post cineres adeòque immortaliter, si negatum est viuere, certè imperare. Occurrendum fuit ergo huic intemperatæ cupidini correptâ Præsidis auctoritate: quando peculiare id habet legum mutatio, vt vel in melius, plerumque noceat, quemadmodum Aristoteles obseruauit, nosque supra disputauimus.

Tertiò, quinque perpetuos consiliarios in quacumque re grauiore Generali Præposito assignat Congregatio, quos Assistentes nuncopamus. Hi verò è quinque Nationibus deliguntur: Vnus ex Italiâ, alter ex Germaniâ, cui Poloniæ, Lituaniæ, ac magnæ Britanniæ regiones adscriptæ; Tertius ex Hispania, ad quem Occiduarum quoque Indiarum procuratio spectat; Quartus ex Lusitania, cui noui Orbis ad Orientem versi cura; Quintus non ita pridem additus ex Galliâ, (anteà enim promiscuè vnus, idemque Germanicæ, & Gallicæ nationis Assistens) cui negotiâ Societatis incumbunt non tantùm in eo florentissimo Regno, sed etiam in Noui Mundi plagâ à Gallis inuenta. His consiliarijs decernendi potestas nulla, nisi vel circa Præpositi victum, ac valetudinem, vel in cogenda etiam eius iniussu, vbi dignus vindice nodus incidere videatur, Generali Congregatione; aut per se solos si satis causæ ad Præsidem exauthorandum planè liqueat; vel, in re anceipiti, conquisitis per epistolas prouincialium, atque vrbanorum Præpositorum sententijs.

Cæte-

Cæterùm ea est Assistentium æstimatio ac reuerentia, vt rarò ab eorũ consilio, præsertim vnanimi, Præpositi iussa discordent.

Hæc autem vniuersa scitè sic posita. Et primùm de Præpositi victu, ac valetudine, nil in vtramque partem magis obnoxium errori, ea si Præpositus sit arbitraria. Vel enim voluptas honestam indigentiæ personam obtendet, vel Præpositus conscientiæ, ac famæ prætimidus, etiam necessarium corpori subtrahet, ne forsè supernua cunctis, aut opinione largiatur. Nempe, quod super medicis ægrotantibus, id superreligiosis etiam bonâ valentibus commodè sancitum est, vt sibi corporis curam alienæ prudentiæ permittant; id enim consultius tum ad mediam honesti lineam sinceris oculis deprehendendam, tum ad existimationem, tum denique ad exercitium virtutis, dum præsidium corporis nostri cura est caritatis alienæ.

Iam de altera parte, hoc est de potestate aduocandi Generalem Congregationem. Enimuerò nulla facultas aptius tribui poterat Assistentibus. Si enim Præpositi res gestas dijudicare ac damnare potuissent, confestim Præpositus cogeretur eorum obsequi vel voluntati, vel certè iudicio, tanquam superioris tribunalis ad quod & ab eo prouocatio, & in eum accusatio esset: atque adeò nec plenum, nec summi ius in vnius foret potestate, sed plurium.

E contrario nisi expeditum quoddam, ac semper extans Cõsilium potestatem haberet pro rei opportunitate conuocandi è vestigio Congregationem, hoc est diem dicendi Præposito tanquam reo, nimis timendum esset ne hic vel hallucinatus, vel vitiatus præ illa ingenti potestatis amplitudine, rempublicam ita labefactaret, vt sera esset medicina Congregatio statis temporibus conuentura. Efficit ergo hæc Assistentium facultas duo in quocumque regimine peropportuna. Alterum, vt supremus Rector à conscientia benefactorum absoluti simam, alterum, vt à suæ potestatis fastigio nullam obtineat securitatem. Cum enim rectè facere atque è re communi facere, idem sit, vix vnquam communi vniuersæ Societatis decreto, aut indemnatus euadet moderator in commune damnosus, aut is damnabitur qui rem communem seruauit indemnem.

Sed

Sed quoniam posset aliquando Summus Præses Assistentes, eoque magis Prouinciales Vrbanosque Prepositos, vt qui ex eius nutu pendent, ità vel captare vel terrere, vt plerique vel conniuentes, vel pauidi, nihil palam attentarent, atque adeò in eum quamuis male meritum conuocatio Congregationis inausa foret, vel neglecta, statutum præterea est vt tertiò quoque anno singularum Prouinciarum Congregationes habeantur, suosque Procuratores eligant Romam mittendos, certa quædam vniuscuiusque Prouinciæ nomine à Præposito Generali postulaturos: tùm verò in primis sancitum, vt eiusmodi Congregationes disputent, ac pronuncient, num sibi videatur cogendam esse Generalem Congregationem. Hæc tamen Prouinciarum decreta potiùs ad rem examinandam, quàm ad transigendam valent.

Vt enim oculis, sic & animis, frequens est error è longinquò: Et qui singuli singularum Reipublicæ partium statum, tenent, frequenter totius ignorant. Quare intutum semper est, quod vniuersorum interest, singulorum iudicijs committere, ni singuli vniuersos audiant, & quæcumque singuli nouerunt, noscant vniuersi. Posset insuper non is esse priuatis Patribus animi vigor, vt auderent vel rectà, vel obliquè Præsidem redarguere, vbi eius facta, vel prætermissiones necessitatem cogendæ Congregationis inducunt. Ideò summa de hoc statuendi potestas tributa est Procuratoribus simul, & Assistentibus, ipsique Præposito, qui vno tantùm suffragio in eâ deliberatione cæteros præstat. Res autem ibi non voce atque apertè conficitur, sed per vindicem illam, quam veteres aiebant, libertatis tabellam. Quod ergo pluribus eorum per arcana suffragia placuerit, id ratum esto.

Quartò, haud nesciuit Ignatius quod sapientes monent: expedire, vt in rebus maximis, & pro variâ vtilitate varietatem affectionum, atquè adeò iudiciorum excitaturis, minimum arbitrio iudicis sit relictum, quàm plurimum lege sit cautum. Nempe lex manat ab animo & affectionis puro, vt potè posterorum quibus fauet aut nocet, nihil præscio, & priuatis iudicibus sapientiore, atquè exquisitiùs rem expen-

dente. Idcirco statuere definitè voluit ea capita, obquæ iure nostro Præpositus exauthorandus præter alia grauiora, quæ illi hanc pœnam a communi iure vindicarent. Sunt verò hæc omninò.

Si exteriori actione lethalem noxam admiserit, nominatim verò si castitatis votum consummato flagitio fœdauerit.

Si vel armis, vel alio instrumento ad insigniter lædendum idoneo, vulnus cuipiam inflixerit.

Si Collegiorum possessiones, ac reditus vel in proprios sumptus peruerterit vel in exteros non eleemosinæ, aut cuiuspiam alterius virtutis gratia, sed vel sanguinis, vel profanæ cuiuscumque affectionis illecebrâ permotus, distraxerit.

Si prauam doctrinam animo gerat.

Tum verò si morbo, aut senio hebetatus nullam exhibeat probabilem spem recuperandi necessarium mentis vigorem.

Illud primum tum in re quacumquæ, tum verò potissimum in violatione pudicitiæ, ministerijs nostris iuimicum, vti venenum præsentissimum duorum quibus hæc sodalitas constat, innocentiæ, & famæ.

Alterum peraduersum est caritati, hoc est illi virtuti, quâ religiosus Pater totus sit compactus oportet. Præterquam quod nemo vel indecentius, vel incommodius est potens in alios; quàm qui impotens sui: nihilque sapientiæ cunctis prospecturæ tam contrarium, quàm iracundia; hoc est furor breuis quidem, sed frequenter recurrens.

Tertium & votam Deo paupertatem contaminat, & fidem pijs Collegiorum fundatoribus debitam fraudat, eiusmodi tandem noxa, est quæ, si àpriuatâ, multò magis à publicâ tutelâ iure arcet: vno verbo, furis est, non pastoris, aut patris.

De quarto & quinto superuacuum est dicere, non enim magis idoneus gubernationi vel mente prauus vel hebes, quam ductui vel præstigijs hallucinatus vel cœcus.

Minoribus tum delictis, tum corporis, mentisque defectibus mitiora remedia destinantur.

Tum adstat Præposito Generali (quod inferioribus etiam

Præpo-

Præpositis, ac Rectoribus adhibetur) vir prudentia, & morum grauitate conspicuus, qui Monitoris nomine, atque officio potitur. Eius enim est, cùm vel suâ sponte, vel ex aliorum obseruatione aliquid in Generali notauerit, quod emendationem desiderare videatur, hoc ipsi ingenuè simul, ac reuerenter explicare. Id verò & præstare poterit quoties visum, & scilicet omninò debebit cum duo ex destinatis Generali Consiliarijs, hoc est Assistentibus, eum rogauerint. Valentissimum profectò lumen ad eas præstigias discutiendas quibus dementant magnas potestates duæ familiares ve neficæ, interior sui æstimatio, exterior minorum adulatio. Quamuis enim qui eo munere fungitur, monere tantùm possit, non iubere; tamen longè facilius nostras labes detestamur, ac tergimus, cum earum deformitatem sapientis amici monita instar speculi nobis obijciunt.

Vides quantâ præmunientium pharmacorum vi toxicum illud, quod ex vnius dominatione subnascitur, peccandi licentiam in Præside, Ignatius oppressit. Maximè cum ab eo præscriptum sit tum Præposito, tum Assistentibus perpetuum domicilium Vrbs Roma, quò Pontificijs oculis, manibusque semper expositi, non minus meminisse debeant cui subsint, quam quibus præsint. Hoc namque indefinitam illam Præpositi potestatem in suos forsan licentiùs erupturam opportunè compescit. Nullius enim magistratus auctoritas ibi nimia est, vbi summa non est & inquam imminet summa.

Satis purgaui priorem locum de noxiâ illa impunique labefactandi rempublicam facultate, quæ vnius potestatem comitatur.

Iam de altero, qui respicit vtilitatem ex multorum sententijs præ vnius consilio iudicioque profecturam. Equidem vix reor vllam esse Aristocratiæ, aut Democratiæ formam, in qua res quælibet paulò grauior per tot prudentum suffragia deliberetur, quot adhibentur in regimine Societatis. Quilibet enim peculiaris Rector, aut Præpositus quatuor habet consultores à Prouinciali designatos, quos interroget super negotijs suæ præfecturæ: totidem habet quilibet Prouincialis à Præposito Generali delectos, & de suæ Prouinciæ rebus

consulendos. Singulis verò hebdomadis Rectores, Prouincialem suum, quolibet mense Prouinciales Generalem de rebus scitu dignis per litteras edocent: tertio quoque mense peculiares Rectores Generalem. Tum verò Consultores quandocumque libuerit atque vt minimum quolibet anno dant ad Generalem priuatas, atque arcanas litteras differentes, quid facto opus videatur in publicum bonum, quidque remedijs indigeat. Præterea tum Rectores, tum Prouinciales suæ nationis Assistenti, si placeat, cuncta vberius exponũt. Quâ notitiâ & Generalis, & Assistentes instructi consultant per singulas hebdomadas, adscriptâ singulis Assistentibus certâ die super negotijs ad hanc, vel illam nationem spectãtibus; tum alia die statuta deliberant omnes simul de rebus vel præcipuis quamquam proprijs vnius nationis, vel vniuersè ad totam Societatem pertinentibus. Quam exquisitam consultandi rationem si Rector negligat, à Prouinciali modò reprehensionem, modò pœnam expectat; hìc itidem à Generali. Ipse verò Generalis id si incuriosiùs præteriret, hoc ipso compellandæ extra ordinem Generalis Congregationis causam præstaret.

At enim, suspicaberis, hæc fortè Præpositi indiligentia reuerentiùs, quàm salubriùs ab Assistentibus tolerabitur. Parum id periculi habet. Haud enim contemptum publicæ legis remissiùs vindicant, qui simul priuatum sui contemptum in eo patiuntur.

Enimuerò dum ad hũc locum disputatio me pertulit, quæstionem animus mouit non minùs abditam quàm ponderosam; quam si fœliciter euoluer ẽ, hòc ipsò huius operis labor ac studium operæ pretium haberent.

Quod mente agitabam, hoc est. Cum plerique hominum Cœtus, ac maximè Religiosorum, optimis legibus abundent, quibus seruatis nihil ad sodalium probitatem pariter ac fœlicitatem desideraretur, hoc vno ferme altera sodalitas alteram insigniter excellit, quòd proprijs legibus inæqualiter parent. Hæc autem inæqualitas vnde nam? Equidem postquam attentè ac sedulò sum meditatus, hæc me tenuit persuasio. In ea Republica vbi reliquarum legum vsus longæuus perstat, aliquas interpretor fuisse leges quasi aliarum vigiles, & custo-

des,

Digitized by Google

des, quarum beneficio cunctæ ſeruantur incolumes, ceu per animam peculiares formæ membrorum. Si verò in aliqua hominum vniuerſitate propriæ illius leges in codicibus iacent, non in operibus vigent, ſuſpicari licet, in ea Congregatione formanda neceſſarias illas & principes leges fuiſſe prętermiſſas. Nec enim putes, hoc vividæ, vel intermortuæ diſciplinæ diſcrimen, potiùs quàm Inſtitutis, hominibus tribuendum, quorum tandem eſt leges non tantùm dictis abrogare, ſed factis: Id enim vtcumque opinabile foret vbi hæc inæqualitas diſciplinæ vel licentiæ ſubitaria fuerit, aut breuis; potuit enim fortuitò accidere vt homines indole, ingenio, doctrinis diſpares hanc, vel illam ſodalitatem ingreſſi diſparem legum reuerentiam induerint: At ego deditâ operâ *de vſu longæuo* quæſiui. Quid enim? An non ex eodem genere, ac ſub eodem cœlo ſunt homines illi, ex quibus communiter conſtant ſodalitia? Quid eſt ergo cur horum multa ſemper viros habeant ſuarum legum ſeruantiſſimos, alia contemptores? Porrò iniquum eſt id fortunæ aſſignare potius, quàm prudentiæ; Nec enim fortunæ opera perpetua ſunt, & cohærentia. Præcipuum ergo diſcrimen reuocandum arbitror in poſitionem, aut prætermiſſionem earum legum quæ aptæ ſint cæterarum tutrices ac vindices, quas aliæ Congregationes habuerunt acretinent, aliæ vel omiſerunt ab initio, vel poſtea inobſeruatas neglexerunt. Et verò de ſingulis religioſorum Ordinibus quærere, nec vacat, nec licet. Multos legum ſuarum obſeruantiſſimos noui: cæteros quos non penitus noui, conſimiles exiſtimate & iuuat, & decet. Sanè (quod mei inſtituti eſt) leges has præcipuas non fuiſſe ab Ignatio præteritas facilius experimur, quàm ſcimus. Experimur profectò; Quando poſt ſæculum euolutum Ignatij conſtitutiones non modò non conſeneſcunt, ſed inualeſcunt, nec aliquid cernimus diſciplinæ detritum, ſed continenter auctum: id & ab antiquioribus accepi, hoc eſt ab hominum ordine, qui alioquin ſua ſpontè acti temporis laudator, ac minorum cenſor eſt; & mei mihi oculi, ex quo me Societas habet, renunciarunt. At verò hoc idem quod experimento ſentitur, per cauſam ſcire, plenum eſt vmbræ, ac difficultatis opus.

Neque

tur ſuopte ingenio eximiè quæſituri. Et cum ab vno Generalis nutu pendeant, nil ipſis vtilius, quam ea nauiter exequi, quæ Generalis vehementer exigit; At Generali nil honeſtius ad virtutem, nil proficientius vel ad gloriam, vel ad poteſtatem, quàm legum reuerentia, quibus ipſe dominationem ſuam acceptam debet: & quibus peſſumdatis eius auctoritas conculcatur, eius imperium diſſoluitur. Summa igitur curâ ſatagent Præpoſiti Societatis vt leges non vigeant modò, ſed floreant.

Vnum remaneret periculum, ſi ſcilicet Generalis ipſe, quod ille cecinit, *iura negaret ſibi nata*, & illi amplißimæ poteſtati ſuæ nihil non arrogaret. Sed huic periculo duplicem obicem oppoſuit Ignatius, vtrumque firmiſsimum.

Alter eſt ratio eligendi Generalem, quæ alium quàm optimum. ac ſummè probatum, in eo faſtigio collocare vix poſſit. Alter eſt gubernationis forma ſic diſpoſita vt qui optimus electus eſt, optimus perſeuerare debeat, & ni perſeueret, corrigi, aut exauthorari.

Modus quidem electionis optimum ſpondet, nam & electores, optimo ſe ſuffragaturos ſanctè iurant, & ipſi optimi ſunt (optimos loquor vt in humanis, atque vt in multis) ſcilicet vel Prouinciales à defuncto Generali delecti tanquã pauci optimi è tot millibus, vel duo in ſingulis Prouincijs deſignati per arcana ſuffragia à quinquaginta quà Rectoribus, quà antiquiſsimis Profeſſorum; omni ambitu ablegato tum ſet alias grauiſſimas pœnas, tum per eam, qua nulla validior præſcribitur ambitioni; hoc eſt per quam reus prohibetur aut eligere, aut eligi, adeòque id in impedimentum comparandi magiſtratus degenerat, quod vt inſtrumentum adhiberetur. Neque hoc delictum, vti ſuâ ſponte cum multis communicandum, & cunctis inuidioſum, facilem inuenit in Comitijs aut latebram, aut diſſimulationem. Ita, ni malignè cauillari iuuet, & quantum ex amplis mortalium cœtibus ſperare licet, in ſeptem Generalibus Præpoſitis è Societate lectis optimos ſemper vidimus & electores, & electos.

Vt idem optimus perſeueret, primùm quidem magnus fideiuſſor eſt diuturna experientia anteactæ vitæ, quâ priuatæ,

tæ, quæ in magistratibus. Accedunt strenua virtutis præsidia, & munimenta: Optimatum consilium, liberæ monitiones, metus instans tum dedecoris, tum pœnæ si vitietur, nulla spes ad vitium alliciens. Per hæc adiumenta nemo adhuc ex nostris Generalibus Præpositis à dominatione corruptus.

Quod si eueniret; præsens remedium suppetit ab Ignatio paratum; conuocatio Congregationis, hoc est optimorum, & eogendæ à non dissimulaturis, nempe ab optimis; hoc est vel a quinque Assistentibus, qui ex quinque magnis nationibus ceu optimi leguntur, vel à procuratoribus quos singulæ Prouinciæ tanquam optimos mittunt. Nam licet lectiones huiusmodi vt humana quæque obnoxia sint lapsui, fieri tamen nequit, vt in pleriſque hic lapsus contingat. Et ideò politicorum, sicut & medicorum, regulæ hanc vnam habent necessariam veritatem, vt plerumque sint veræ. Hoc autem satis; nam Vrnam plerique vincunt.

Præterea duo curauit Ignatius quæ ad florentissimam Ordinis conseruationem vehementer valent.

Primum est, vt ab insigni legum violatione non modò sodales prohiberentur, sed longissimè arcerentur: vt enim ingressu sic inopere, nemo statim remotissima petit.

Ita, quantùm attinet ad pudicitiam, nullum crimen apud nos leue aut in scholis ad docendum aut in tribunali ad puniendum: nemini sic fidimus, vt in eum non inquiratur, vt in lubrico sine teste credatur sibi.

Quantum ad paupertatem, ne summis quidem vel in victu, vel in cultu aliquid conceditur quod non commune sit in infimis.

De obedientiâ nostrâ nihil opus est dicere, eam quippe vel exteri non tantùm norunt, sed quasi superstitiosam criminantur; ignari nunquam asperum obedire nisi cum aut malus obedit, aut malis. Mihi porrò nil suauius videtur, quàm securam agere vitam sub curatoribus optimis, Deumque mihi per hanc ipsam animi securitatem demereri.

Alterum quod curauit Ignatius fuit, vt talis esset Sociorũ delectus, atque educatio, vnde viros semper aliquos ingenio, litteris, ac virtute inclytos haberemus. Vt enim omnia vi-

uentia ideò morti debentur, quia quas sui partes cito reficiunt, nunquam æquant partes primigenas quæ continenter deficiunt, ita nulla Respublica diu viuit, ac floret nisi identidem internascantur præcellentes quidam ciues, & primis fundatoribus non minores. Hisce suppetijs Romana Respublica diu viguit: hisce Deus Ecclesiam suam per sæcula inuictam seruat; quod vel impij ciuilium arcanorum scriptores obseruarunt. Vt ergo magnos eiusmodi posteros ex interuallo formaret Ignatius, delectum instituit ex notis, quippe ex nostris plerumque vel discipulis, vel etiam alumnis. Educatio verò quæ nam aptior excogitari potuisset? Integrum biennium solidæ pietati per exquisitas artes excolendæ destinauit; & in eo cultu etiam postea præcipuum studium suarũ constitutionum impendit. Vitam concinnauit necessarij securam, superuacua repudiantem, atque adeò nihil temporis insumentem procurationi corporis, totum animi. Studia litterarum per omnes disciplinas impensè fouit. Quibuscumque vel contemplatricis, vel actuosæ vitæ dotibus theatrum aperuit, campum strauit, palmam obtulit. Enimuerò vix accidere potest vt resides multi sint vbi plurimi naturâ pernices, cuncti tot calcaribus instigati.

Nimirum fructus præstantia sementem probat. Eos hucusque homines Societas protulit, vt nostrarum legum neminem pœnitere debeat, nisi Catholici nominis inimicos.

Iam festinemus ad cætera quæ super vnius potestate remanent disputanda.

CAPVT

CAPVT XXXXVI.

Temporarius ne an perpetuus supremus Præses optabilior sit: Vbi generatim cui nam rationi præfectorum hęc vel illa conditio magis congruat.

TEmporarium aliqui mallent, quippe modestius imperaturum. Quòd si inferiores Præpositi intolerabiles essent nisi mutabiles, quomodo supremus, idemque immutabilis toleretur?

Quibus exempla atque auctoritas pro ratione est, his leui negotio satisfaciam. Nempe omnium ferè Nationum ac confœderatarum gentium lex, & consuetudo supremos moderatores stabiles ponit, inferiores commutabiles. Et id quidèm in hac controuersiâ, si minùs ad philosophandum, certè ad obtinendum, abundè est. Tanta enim pars humani generis in re tam graui, tam agitatâ, & in qua populorum fœlicitas agitur, decipi non potest nisi Natura ipsa vel decipiat, vel decipiatur. Quod enim ferè cunctis etiam sapientibus agendum videtur, Naturâ consultrice agendum videtur.

At quoniam aliqui ratiocinatiuo ingenio præditi solis rationibus acquiescunt, his vt inseruiam, animaduerto duas esse Rectorum classes. Aliqui, modò liberi sint, modò maioribus potestatibus subiecti, regunt tamen subditos proprio nomine, atque vt rem suam, non vt alienam sibi commissam. In hac Rectorum classe *liberos* voco Pontificem, Cæsarem, Reges, aliosque regali potestate dominantes; *subiectos* appello Episcopos, & beneficiarios Dynastas; qui tamen omnes ditionem habent maioribus quidem obnoxiam, sed suam, hoc est ab alijs sibi traditam, non tantum creditam & demandatam.

Altera classis eorum est qui, regendo, superioribus potestatibus ministrant, alienamque personam gerunt, veluti Prætores vrbium, ac Præsides Prouinciarum: qui iurisdictionem suam humanæ mortalium Principum imbecillitat de-

bent. Nulla enim ea foret si verus Dominus cunctis Imperij sui & partibus adesse, & negotijs præesse posset.

Ad primum genus Rectorum att nent Generales s Antistites Ordinum religiosorum. Quamuis enim hi in absolutissimâ sint potestate Romani Pontificis, non tamen eiusdem Vicarij sunt, eiusque personam induunt, ceu vrbium, aut Prouinciarum Præfecti, sed proprio iure, ac nomine imperant, eoque modo Pontificem superiorem habent, quo Episcopi, ac benefic arj Proceres.

Id cùmita sit, aio re generatim inspectâ, & secretâ à peculiaribus circumstantijs, quæ moralibus axiomatis multam semper exceptionem asperguntc republicâ esse vt primi generis imperantes perpetui sint.

Multa sunt quæ id persuadent. Primùm, quia eiusmodi iurisdictio eo bono instituta est, vt gubernator dum subditis consulit, negotium suum agat, eâque caritate illos complectatur qua cuncti nostra diligimus. Atque in hoc versatur discrimen illud celebre obseruatum à Christo pastorem inter ac mercenarium, quòd ad hunc, cuius non sunt oues propriæ, non pertinet de ouibus: ex quo nascitur præceptum diuinũ Episcopis iniunctum manẽdi in suâ diœcesi, nec eam credendi Vicarijs, quippe mercenarijs non pastoribus, atque adeò incuriosiùs curaturis. At nemo vt suũ agnoscit, ac diligit, quod citò deponere cogitur. Commodatum hoc est, non dominium, Conductoris, non Heri.

Alterum est, quia vbi Rector se in ordinem redigendum prænoscit, priuatum, ac publicum bonum internoscit, illud perpetuò retinendum, hoc breui relinquendum. Non ergo semper eadem sibi, ac Reipublicæ vtilia diiudicabit: quo discrimine nil subditorum incolumitati nocentius: perinde ac humano commercio nil deterius euenisse Tullius queritur, quàm quòd homines honestatem ab vtilitate distinxerint. Et verò tanti hoc fuit pleriſque populis, vt hac præcipuè de causâ successionem quàm electionem in suis Principibus malint; præoptantes Regem qualem fors obtulerit, adeoque non rarò vel ingenio tardum, vel moribus prauum, dummodò eodem loco habeat rem suam, & publicam; quàm optimum qualem electio tribueret, sed priuata in suis posteris à publi-

Digitized by Google

publico Regni bono discernentem.

Hæc eadem causa impulit nationes illas quæ Principem non à progenie accipiunt, sed à suffragijs, vt consueuerint, nihilom nus duo seruare. Alterum, vt is legatur, qui multò plus ab eâ electione accipiat, quàm aliunde possideat. Alterum, vt hic ex frequentissimis præteritarum electionum exemplis spe principatum posteris auguretur si eum cum laude adm niſtrauerit. Hæc enim duo efficiunt vt principatum ipsum consideret ceu priuatum bonum & id præcipuum quod in posteros transcribere sibi liceat, si non hæreditate, ac iure, certè merito, ac re.

In sacris verò dominationibus vbi hæc consuetudo sufficiendi consanguineos non decet, curam illam posterorum plurimùm cœlibatus remittit. Quis enim neget segniùs irritari mortales fraternæ, quàm propriæ sobolis caritate?

At in religiosis familijs satis cauetur distinctio priuati, ac publici boni, si Præses ad vitam creetur. Nec enim ille consanguineos habere solet huiusmodi qui sint eius Reipublicæ membra, & quorum bono in totam progeniem duraturo consulere possit per publica detrimenta.

Accedit tertia ratio. Præses enim dominaturus ad vitam, hoc est quàm diutissimè per humanam curam obtineri potest, absoluit sodalitatem a frequenti sollicitudine, ac dissensione, hoc est à non separabilibus comitiorum malis, quorum vitatio altera fuit causa cur tot nationes rem maximam, hoc est imperium, potius fortunæ in progenie; quàm consilio in electione commiserint. Nullum enim monstrum plurium periculorum ferax, quàm tot simul capita, præsertim sine capite. Nimis timendum est ne frequenter coacti qui in legem dominantur, aliquando legem euertant, seù ad ostendendam potentiam, quæ priuatis quo rarior eò iucundior, seu ex domesticis simultatibus, seu veterum fastidio & nouitatis illecebrâ, quæ sæpè facit vt mortales proijs dam sumant alia, & meliora. His de causis Concilia generalia, quæ tamen nunquam sine capite, non nisi tanquam potentiora pharmaca sunt adhibenda, hoc est tanquam grauium morborum remedia. Neque illorum frequentiam amant nisi qui Catholicæ Ecclesiæ bonum vel non dignoscunt,

ſcunt, vel non amant. Idèò etiam prudenter cautum eſt, ne ſummi Pontificis electores poſſint quidquàm de Pontificijs legibus inducere, vel immutare, ſed vnam habeant ſubſtituendi Principem, atque interim curandi populos poteſtatem.

Adiungitur quarta ratio pro eiuſmodi Rectorum ſtabilitate; quia ingeniorum varietas, & aliena reprehendendi libido ſolet efficere, vt quæ dubio exitu deceſſor inchoauit, præcidantur à ſucceſſore. Et tamen multa ſunt opera, ac præſertim difficilia qualia ſemper magna, quæ lorigam curam efflagitant; quando per ipſam diuturnæ elaborationis neceſſitatem Ariſtoteles *difficile* definiuit. Si ergò ſummi Præſides temporarij fuerint, pauci magna aggredientur, pauciores conficient.

Nec ſuperioribus rationibus leuior quinta eſt. Scilicet imperium, ſi breue, nec reuerentiam, nec metum habet, quandò ſubditi Rectorem aſpiciunt non tam vt in præſentia maiorem, quàm vt mox æqualem, & eorum aliquis, vt fortaſſe ſubiectum. Ideò Deus ſummè verendus, quia *regni eius non erit finis*.

At, inquies, ab amore meliùs, quàm à timore, religioſo Antiſtiti reuerentia paratur. Fateor amorem quærendum Principi, vt magnum quamuis incruentum regnandi telum. Fateor, ſubditos honeſtiùs amore, quàm timore commoueri, quò magis aſsimilent Cœleſtem Rempublicam, ex qu regnatrix caritas timorem quaſi mancipium exturbat. Qu tamen timorem ab humana dominatione ſeiunctum vellent ſi propriè, ac preſsè loquantur, vim iuriſdictionis ignorant. Amor enim, & amico, & minori communis eſt; Ius timorem inferendi idunum eſt quo Præſes priuatos excellit. Præmia ipſa vt D. Thomas admonuit à priuato rependi poſſunt; pœnæ, hoc eſt iuſtum malum, iuſtique timoris irritamentum, Præſidis ærarinm, & legiones ſunt. Si punitionis timorem tollis, principatum tollis ni antea peccandi poteſtatem abſtuleris: illud in Terris euenit, hoc in Cœlo. Non igitur quæſtio eſſe poteſt, vtrum, ſolo amore conſtante ac timore prorſus amoto, Regnum conſtet; ſed, an Principi vt tutò regnet ſolus timor quærendus ſit amore neglecto, quod

aliqui

aliqui non inhumaniùs quàm falsiùs asseruere, an potiùs amor timori necteudus, quo fœdere nil validius ad munimentum principatus. Cœterùm, conferre iurisdictionem, nil aliud est, quàm conferre potentiam iustè cogendi, ac plectẽdi, & proinde quàm intentare mortalibus aculeũ timoris.

His rationibus demonstrasse me arbitror, Rectoribus qui subditos verè suos regunt, vtiliùs perpetuam, quàm temporariam iurisdictionem impertiri.

Aio è diuerso, in Præsides alterius generis nimirũ qui subditos non suos, sed sibi creditos moderantur, eiusmodi rationes non conuenire, imò aduersas; adeòque illos expedire temporarios.

Non quidèm in eos conuenit prima ratio, hoc est vt aspiciant Imperium, & subditos tanquàm sua, non tanquam commodata, item neque altera, hoc est vt publicum bonum â priuato nihil distinguant: Neutrum enim his rectoribus quadrare potest, vt patet ex ipsâ eorum definitione, qua dicuntur alienos gubernare, non suos. Non tertia de vitandis discordijs, ac periculis imminẽtibus ex acephalo multorum conuentu; quandoquidem Rectores hi sine turbis creari possunt ab ipso superiori Præside; vel si a subditis eliguntur, non eliguntur a cœtu præpotenti, & amplissimæ iurisdictionis, sicut supremi.

Non quarta, quæ spectat ad perficienda incepta grandia, & diuturni operis indiga: quoniam principis causæ est tanquam architecti, præstituere finem. atque in eum inferiores causas quasi fabros dirigere. Quamuis ergo alij alijs temporibus subeant administri eiusdam dominatoris, idem tamen est omnium scopus, quem dominator præsignauit; quemadmodum alia, & alia iacula eòdem tendunt si ab eodem iaculatore in idem signum euibrentur.

Denique non quinta de metu, ac reuerentiâ languescente propè occasum Magistratus: nam in rectoribus absentem dominum repræsentantibus hunc veremur, hunc timemus, quem rectoris honor colit, vel despectus contemnit. Quo circa si quis vicarium Præsidem violet, læsæ maiestatis in Principem reus est; non ita qui Dynastam Principis beneficiarium violat. licet enim vterque potestatem habeat a Prin-

ci-

cipe, non tamen hic sicut ille personam Principis gerit: Donec ergo illam gerit, verendus manet, quamuis eam breui positurus; sicut nemo auderet vestem Regis contaminare, licèt eam in horas à Rege exuendam prænosset. Quod si tamen aliquid reuerentiæ decedit Præsidi decessuro, satis est, hæc si maneat illibata in Principem, cui arbitrarium est eam opportunè cœteris magistratibus distribuere. Nec enim animal periclitatur frigescentibus manibus pedibusue, si vitalis calor incolumis perseueret in corde.

Vides, non aptari easdem causas vtrique moderatorum ordini, vt æquè perpetui esse debeant.

Addo quod nuper addideram; multas esse quæ nominatim suadeant, regiminis breuitatem præscribendam Rectori aliena moderanti.

Prima est, quod cum is nequeat subditos intueri tanquam aliquid proprium, expedit vt omnes contueatur tanquam alienos; & omnibus æquus, amoris, atque odij causas procul habeat. Id verò fieri nequit si lõgior mora, & consuetudo familiaritates conglutinet, offensiones excitet. Expedit ergo, eiusmodi magistratuum tempus nec adeò correptum vt ante definant regere, quàm dignoscere incipiant, nec adeò productum, vt sensim Rectoris animus vel re, vel quod in ciuilibus perinde est, suspicione peculiares procliuitates contraxerit, idque subditis graue sit tanquam diutius duraturum.

Adstipulatur ratio altera; nam qui alienos curat, alteri seruit, ac proinde, vt ritè seruiat, calcar, ac frœnum sentiat oportet, spem, & metum; Nec tantum metuere debet pro graauioribus noxis grauia supplicia. Leuia sunt quorum vitatione præstantia regiminis continetur. Timeat ergo Rector necesse est etiam pro negligentijs, ac prætermissionibus leuiusculam pœnam, hoc est vel indecoram vacationem; vel ad inferiora munera depressionem; Contrà verò meliora speret, si laudabiliter creditam prouinciam obierit. Hæc porrò incommodè fient si magistratus illi suaptè naturâ perpetui sint, non commutabiles.

Nimirum igitur, vt locationes, sic Præfecturæ, cum ad vitam, vel ad prælongum tempus porriguntur, alienationis naturam sapiunt.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXXXVI.

An munerum distributiones melius committerentur Comitijs Prouincialibus, vel Vrbanis, quàm Generali Præposito, vel Prouincialibus ab eo creandis.

DVo munerum genera iuxta supremam Societatis Præfecturam nobis demandantur.

Altera quidem in summum Præpositum aliquid vel possunt, vel inquirunt, cuiusmodi sunt Assistentes, & Monitor. Hos ergò non ipse, sed Societas designat, quippe quæ fiduciam in illis habeat necesse est; nec tutò eorum delectus illi committeretur cui debent adstare non vt adiutores tantum, sed vt censores.

Alterum genus munerum Præposito Generali sic subest vt nulla ex parte in ipsum emineat, Hæc verò distribuere, ipsius est, vel per se, vt Prouinciarum, Collegiorum, ac Domuum gubernationes, nec non professiones; vel per Præpositos Prouinciales, vt studiorum præfecturas, vel magisteria, aliaque vel actuosæ vitæ, vel contemplatricis officia. Hæc omnia communibus suffragijs deferri oportere aliqui pugnant. Vnus, inquiunt, errare facilè potest: integer cœtus vix potest. Et præsertim de lectione Præsidum: licèt ex eligentium numero plures sint vehementiores in vtramlibet partem, vel opinione, vel affectione, alij scilicet mitissimi, alij præferoces, hic auarus, ille prodigus, alter audax, alter timidus; tamen se mutuò percommodè temperant, ac restringunt, vt in mixtis corporibus elementa; Cum enim eorum nemo Præsidem assequi possit sibi consimilem in illa affectionis exuperantiâ, omnes in mediocritatem, hoc est in virtutis domicilium, tacito fœdere consentiunt.

Adde, Præpositum Generalem, vti ex longinquo electurum, auribus credere; at præsentes electores oculis; quos cum auribus comparatos appositè *fideles* appellauit callidissimus in adiunctis Poeta.

Digitized by Google

Hæc aliqui; nec extra probabilitatem: haud enim arguerim insignes religiosorum familias, apud quas electio munerum in vrna est. Vt tamen commodè illis sua, sic mihi magis nostra probantur. Vtinam id vbique contingeret; tunc enim fœlix erit humanum genus, cum quilibet suâ sorte contentus, non magis laudet diuersa sectantes. Nihil fœlix quod inquietum, & votis aliò inhians: fœlicitas tranquillitas est. Neque tamen inconsultò nostra præfero, dumtaxat quia nostra sunt; sed rem ipsam libero pariter attentoque animo reputaui.

Equidem id primum testor, neminem a me visum inter nos simul facentem gradu, simul meritis eminentem; licèt aliqui sint qui supra possessa meritis eriguntur; sed hoc non vitio, sed laudi vertendum nobis: cum enim perdifficile sit homines aut muneribus, aut vestimentis omninò pares habere, contraria in vtrisque adhibenda est ratio; hæc paulò maiora, illa paulò minora sunt cuique tribuenda. Ad hoc, quando fieri nequit, vt numerus opificum omninò populi indigentiam coæquet, videmus Naturæ, hoc est optimæ rectricis in humanis propensionibus dispertiendis, prudentiam id molitam esse vt superfluerent potiùs, quàm desiderarentur. Sic in *Militiâ*, sic in Curiâ plures esse conuenit magistratibus dignos, quàm magistratus.

Aliqui sunt quidem, de quorum infra alios neglectu falsa quædam miseratio, quæ vera est in altiores inuidentia, conqueritur: sed vbi moderator vociferationibus illis præpotentibus quamuis iniquis tandem victus, eosdem extollit, illicò qui grandes humi videbantur, exinaniuntur in *fastigio*.

Sed rem ad rationis trutinam exigamus. Duo sunt munerum genera. Alia quidem ingenium, ac litteras virtutis comites, præcipuè volunt; hoc est exedræ. Alia complexionem ex multis dotibus, tumquæ mentem, tum quæ mores, tumquæ agendi dexteritatem respiciant; vt magistratus.

Quantum attinet ad primum genus, tria enuncio. Si hæc munera collatis suffragijs dentur, ferè semper electio in idoneos cadet; rarò tamen in optimos; sin ex Præpositi Generalis, aut Prouincialis designatione, plerumq; in optimos.

Primam dicti partem, hoc est multorum suffragijs ple-

rum-

rumque idoneos legi, experientia confirmat vbicumque, ea legendi forma seruatur. Et ratio in aperto est. Vix enim fieri potest vt in vnum eundemque muneri imparem concurrant, vel iudicia, vel studia multorum. Quamuis ergo singuli indignum mallent, dignus eligetur. Cum enim nemo possit impetrare quem summè cupit aut probat, vix vnquam plures in eundem conuenient nisi merito, & famâ prensantibus.

Alteram dicti mei partem Historici, Poetæ, Declamatores, omnes prædicant. Quid enim magis decantatum quàm querimoniæ in multitudinem summis virtutibus iniquam, seu quia non videt, seu quia inuidet? Sæpè quidem eas non videt. Constat enim illa oculis plerumque nebulosis, atque imbecillis. Vtinam verò imitaretur animalia, quæ altero vitiato lumine alterius integri ductum sequuntur. Turba enim bellua multorum est & capitum, & oculorum: quot verò capita tot sententiæ, quia singula capita suis oculis credunt. Vt ergo homines hebeti quodam obtutu, quæcunque valde supra se intuentur, quamuis celsitudinis longè disparis, eodem loco habent, atque opinione confundunt; nec fixa sydera supra errantia collocant: quin alpium niues Cœlo immixtas arbitrati, Liuianæ hyperboli defensionem parant: ita multitudinis ingenia, quippe vbique mediocria nusquam prædocta, magnos à maximis non interstinguunt.

Hanc præcipuam Aristoteles causam affert, cur veteres non ita sapientiæ dotibus præmia statuerint, quemadmodum corporis: Hæ namque vel à carentibus dignoscuntur, illæ non nisi à possidentibus: ac proinde in eo certamine ijdem deberent esse competitores, ac iudices.

In hac ergo & discernendi hebetudine, & opinandi varietate multitudo argumenta quædam extraria consulat necesse est, ætatem, decursa munerum stadia, famam. Quæ omnia idoneum ostendunt, summè idoneum non ostendunt. Nec enim aurea ingenia pretium, & lucem à canis expectant. Nec fama, quę per suos centum oculos nihil videt nisi quod in prospectu patet, muneribus præire solet sed subequi. Rarò igitur multorum comitia præstantem iuuentutem senili mediocritati præponent. Inuentionis ferti-

litatem pro audaciâ vituperabunt; & inobseruato inter scientiam, & memoriam discrimine, perinde facient ac pueri, qui diuitem ab argentario non secernunt, dum apud vtrumque magnam pecuniæ vim suspiciunt, ignari apud illum propriam, apud hunc alienam, & depositam esse.

Insuper multitudo, vt prædixi, aliquando si excellentiam videat, inuidet. Nam, vt alio loco affatim disputaui, nihil aut imis iucundius, aut mediocribus infensius quàm sublimitas.

Accedit, quòd quisque suffragia donare malet, quàm proijcere, vel persoluere: Ideò populares homines prensantes, & gratiam habituros, sapientibus sed aspernantibus aut suo iure exigentibus anteponet.

Restat postrema enunciationis meæ pars; videlicet, optimos electum iri plerumque inter nos, si eligantur à Præside. Quam vt euincam, sumo, Præpositos non Generales tantùm, sed Prouinciales, vt pote perpauços ex omnibus ad grauissima Societatis ministeria multo examine deligendos, fore homines & probitatis egregiæ & si non semper ingenió, ac litteris præcipuos, iudicij tamen ac prudentiæ non vulgaris. Iterum, atque iterum profiteor, me loqui tantum, plerumque atque vt in humanis. Non enim ciuiles orbes ita attemperari possunt, sicut Cœlestes, qui numquam aberrant a regulâ; Nempè alteri ab hominibus, alteris à superis circumuoluuntur. Sed, plerumque non nisi eximios pietate, & prudentià viros fore inter nos Præpositos Prouinciales, & ipsa politia Societatis persuadet, & experientia perpètua confirmat. Hi ergo Præpositi quà per se, quà per eos quos intelligentia præstantissimos, fide integerrimos norunt, optimum nouo muneri admouendum facilè dignoscunt. Neque optimum, ex alijs dotibus quam quæ ad munus faciunt, æstimabunt; hoc est ex doctrina, & virtute. Procul enim habebunt inuidendi, aut sperandi causas, quæ priuatos electores tangunt, & modò iudicia modò voluntates corrumpunt. Nihilque sibi præclarius forè intelligent, quàm vt exitus electionem, adeòq. electorem commendet. Omnium oculis rem explorabunt, quippe collectis famæ suffragijs; At non omnium erroribus, non omnium affectibus;

bus ; quibus populares electiones & infuscantur , & deprauantur.

Nec aliter sentio de altero munerum genere , hoc est de magistratibus . Hos enim , præter supremum , qui hoc ipso quod supremus est ab vllo superiore magistratu conferri nequit , satius est à summo Rectore , quàm a regendis pendere'. Huic effato Respublicæ ferè vniuesè suo exemplo subscribunt , & meritò . Subditi enim , ceu ægroti , non semper vtiliora sibi præoptant , sed suauiora . Quàm frequenter splendida quædam vitia apud multitudiuem inter virtutes numerântur ? Placet in sumptibus profusa largitas , in concessionibus dissoluta indulgentia , in pœnis licentiæ fomes præmollis miseratio: rei familiaris cura , & amor pauperis cultus , pro auaritiâ obtrectationi est; legum custodia duritatis nomen inuenit ; seueritas pro agresti feritate vituperatur.

Ad hæc, multitudo vel ambientes eliget , vel cupientes , tanquam & suæ potestati submissos , & gratiam relaturos ; Et tamen hoc distat inter cætera hominum ministeria , ac religiosas præfecturas , vt illis aptiores sint qui propensiores , his qui alieniores .

Quid verò quòd multitudo ea tantùm cernit quæ in fronte sunt ? Interiores latebras , ac labes solus introspicit summus Reipublicæ curator , ceu medicus arcana vlcera , Id causæ est cur multos fama imperio dignos prædicet solùm quia non imperarunt . *Caput* Reipublicæ , Præses , *membra* subditi appellantur . Sane caput ab alijs membris hoc differt , quòd hæc vnicum habent sensum , eumque ad paucula proximaque contractum ; illud vero multos , plurima & remotissima odorantes , inaudientes , prospicientes . Ita planè (comparatio est Augustino authore dignissima) par est vt in ciuili iuxta atque in naturali corpore caput vniuersa decernat ; membris vna sit in obsequio laus .

Vt igitur colligam quæ fusè disputaui ; nemo vel pleniore notitiâ instructus , vel ab affectionum irritamentis liberior , vel publici boni studiosior quàm supremus Antistes ; atque adeò nemini tutiùs inferiorum Magistratuum electio domandatur.

Sed,

Digitized by Google

Sed, quamquã in cæteris neutra eligendi forma præstaret, quanti est, rogo, duas illas religiosorum Ordinum Erynnes auertere, Ambitum, & Discordiam; altera Christianam demissionem exterminat, altera caritatem; hoc est geminas religiosæ virtutis, ac tranquillitatis altrices.

Hanc ego clausulam huic de nostrâ Monarchiâ tractationi libenter imponam. Cum in Octauâ Congregatione (quod prænarraui) Summi Pontificis iussu, de amputandâ latissimâ illâ Generalis Præpositi potestate disceptaretur, Antonius Perez in Theologico Magisterio mihi collega, vir ingenio mortalium quos ego aut viuentes vbique nouerim, aut vnquam in Societate nostrâ floruisse sciã, pro meâ æstimatione nulli secundus, sinulque religione, ac pietate inclytus, scripta dissertatione intercessit, asseuerans in eâ potestate versari substantiam, & perfectionem Ordinis nostri; quippe multas aliorum asperitates hac vnâ compensantis, quòd perpetuò, & in omnibus subdamur vni eidemque homini quem si minùs propitium sortiti simus, nulla sit reis prouocatio, nulla naufragis secunda tabula. Quocirca id si conuellatur, non minùs conuelli funditus sodalitatem nostram, quàm Chartusianorum, vel Minimorum, si hæc silentio, illa pinguium eduliorum abstinentiâ liberetur. Hæc ille. Ipse verò eamdem consecutionem, sed ex cõtrario prorsus capite deriuabam: ratus, tam ingentia esse commoda securitatis, tranquillitatis, caritatis, quæ, tanquam ex arbore illâ Mexicana, ex hac absolutâ vnius potestate decerpimus, vt illâ sublatâ non eam retenturi essemus vitam quam adoptauimus, quam vouimus, sed aliam longè amariorem, & eiusmodi, quam à principio nobis propositam nunquam amplexati fuissemus. Equidem id de me ipso testari possum; hac præsertim gratiâ Societatem inter tot sanctissimos Ordines, quibus Ecclesia intermicat, à me selectam, quòd à Comitiorum anxietatibus, ac turbis immunitatem præstet, tanquam cœlestis Eridanus nullis tempestatibus sollicitatus. Scilicet quid aliud est comitiorũ potestatem optare, quàm vnicuiq; nostrum particulam potestatis optare? Hanc autem nemo sibi optauerit qui vota sua non dicam ad religiosæ humilitatis, sed ad humanæ philosophiæ regulam com-

po-

Digitized by Google

posuerit. Etenim si non Christianus, sed Epicuræus est qui serio cecinit,

Vt satius multò iam sit parere quietum,
Quàm regere imperio res velle, & sceptra tenere,

certè suauius iuxta ac tutius est regi ab vno eodemq; optimo quàm plures, hoc est non optimos, regere. Porrò nulla vectorum fœlicior conditio, quàm securos nauigationis in portum tendere sub præstantissimo gubernatore. Et vsque adeò aliorum procuratio grauis est homini, vt non pauci philosophi Deum ipsum sub eo pondere laboraturum rati, vt beatum assererent, humanorum securum asseruerint.

CAPVT XXXXVII.

An aliqua ex parte Societas Iesu à pristina virtute desciuerit.

SCottus id vnum sedulò agit vt in Societate iam sene scente rimam omnem veteris disciplinæ, ac virtutis dilabi suadeat, idque probationibus certissimis, hoc est confessionibus nostris. Profert epistolas Præpositorum Generalium encyclicas, ac paræneticas vbi & tinglatim in multis ceu fontes reprehendimur, & vniuersè à primæuâ Societatis virtute multùm decessisse coarguimur.

Sed nostrorum Præsidum dicta, quibus illese, obsignatis tanquam tabulis, causam profligasse existimauit, ad declamandum speciosa sunt, ad conficiendum inania; vt potè quæ à germano loquentium sensu ad alienam significationem detorquentur. Quasi verò non itidem in vniuersa Ecclesiâ diuini verbi præcones egregia veterũ Christianorum exempla tanquàm nequiorũ viuentium exprobrationes exaggerẽt. Quid tamen? Haud numero proborũ vetustæ Ecclesiæ cedimus, quanquam prauorum numero superamus. Quis ne-

neſcit in magnis populis quàm in paruis frequẽtiora eſſe inſignia facinora in vtramque partem? Ideò ingentes nationes citra adulationem, & calumniam, ampliſſimæ tum laudationis, tum vituperationis ſunt argumentum. Accedit, vinci quoque præſentem Eccleſiam à primitiuâ, fastriuſque faſtigia conferantur. Nec enim ſanctimoniam habemus Apoſtolis parem. Scilicet in omni rerum non fortuitarum genere ſic naturâ conſtitutum eſt, vt initia præſtantiſſima forent, vt pote quæ mole parua, vim eſſent ac ſobolem infinitè propagatura.

Neq. verò alia Societatis Ieſu conditio fuit. Plures quàm à principio ignobili virtutis mediocritate contentos habemus: plures itidem magnanimos & in ſummum connitentes. Cur vtrumque? quia plures ſumus. Ad hoc, neque Ignatios neque Xauerios numerare nunc poſſumus. Id ne igitur erubeſcendum? Haud magis quàm erubeſcendum Prædicatoribus, deeſſe illis nunc Dominicos, & Catharinas, Minoribus Franciſcos, & Claras, Chartuſianis Brunones, Ciſtercienſibus Bernardos, Excalceatis Tereſas. Adeò non erubeſcendum, vt è contrariò minus foret gloriandum eos habuiſſe, ſi tales fuiſſent, quales liceret ſemper habere. Num fortaſſe raros nunc videt atque admiratur Orbis terrarum ex noſtris ætate florentes, ingenio præſtantes, genere inclytos, habitu corporis, qualis hæc duo poſtrema decora comitatur, imbecillos, ſuum, hoc eſt nobiliſſimum Europę, ſanguinem alacriter fundere in media Barbarie, vt ſimul Chriſto ſubditos, ſimul his Cœlum emant? An non qui ſinceris oculis rem diſpiciunt, neque lucem tanquam inimicam retortis obtutibus fugiunt, in ſingulis Prouincijs præclara quotidie vident exempla virtutis inter huius familiæ ſodales, quà per innocentiam vitæ in medijs ignibus candidam atque intactam, quà per inſatiabilem cupiditatem alienæ ſalutis, ſemper indefeſſam, labores, pericula, difficultates, tædia, iniurias non deuorantem modò, ſed deguſtantem?

Romam Cœli Vicariam, Mundi Theatrum, compello teſtem eorum quæ in omnium oculis ſunt hæc ipſa dum ſcribo. Sanè cùm hoc anno caritatem annonæ, vt aſſolet, morborum copia ſequeretur; prouidus Princeps Innocentius Decici-

cimus, simul vt mendiculo ægris aliquatenus subueniret, simul vt contagij periculum tanquam à ciuitatis corde longius auerteret, eos per valetudinaria, quà vetera, quà recèns aperta distribuit, tum auro, tum curâ beneficus; atque in primis Lateranense Balarium Christo hospitando, non iam in ipso Christi Vicario, sed in pauperibus Christi simulacris, attribuit. Vbi aliquot ægrotantium millia, quorum cura nostris commissa. Quàm alacriter accepta, quàm constanter peracta sit, non homines tantùm, sed cadauera, ac sepulchra testificantur. Cum enim ad Lateranensis Cœli, æstiuique Romani solis malignitatem accederet fœtidus illic, ac pestilens tot lethaliter decumbentium habitus, sitis, pedore, vlceribus, tabeque, tanquàm auernalibus elementis in Pandoræ vasculo elaboratis, haud dim fuit cum & Professorum Domus, & Collegium Romanum non tam domicilia nosocomijs opitulantium, quàm noua fierent nosocomia. Nec ideò quidquam remissum ab eo pietatis officio, in quo non magis alienæ vitæ studiũ quàm suæ prodigentiam nostri sodales exercebant. Facti seriem nil amplifico: nulla tunc nobis dies sine funere, aliquæ non vno contentæ; plurimi deplorati ac tantùm non extincti, quos ex insperato diuina clementia, ætatis robur, ac exquisita medentium cura seruauit. Neque verò secundariæ notæ duntaxat sanguinem dedimus, vel obtulimus; sed viros ingenio, literis, ac muneribus præcipuos. Hoc autem loco imperare mihi non possum; quin recentem iacturam Vincentij Caraffæ amantissimi patris lugeam, quem tamen, si quis mortalibus est immortalium coniectura, æternum gaudium ab omni luctu sincerum beat. Is enim sexagenario maior assiduisque quæ meditationibus animi, quà magistratus curis, quà voluntarijs corpusculi afflictationibus pœnè confectus, & dimidiâ sui parte sensu destitutus, adeòque præsepultus, cum pedès, eòque aduersùs æstiuas iniurias im protectus, iter illud frequentaret, quod vnicum sibi à negotiorum obsidiore tanquàm laxamentum ex Assistentibus subinuitis expresserat; cum cibum parcè, ac duriter caperet; cum nosocomij fœtorem adeò non auerfaretur, vt socio aurantium, quasi narium munimentum, offerenti, faceſſe, dixerit; quid est hic odor cui tanquam im-

paribili ad nocitura mihi lampade, nisi flagrantia quam Coelum nobis inspirat, pandem febri contracta eam accuratè dissimulauit, veritus ne à seruando solemni triduano ieiunio, per quod ad augustissimæ Trinitatis festum se præcolere gestiebat, prohiberetur. Cuius triduj extremo die, qui eum omninò prostrauit, tergedis antea sodalium comedentium patinis defatigatus, & posteà de genu ex humili mensa cibum sumens, ad aquam, & panem nihil nisi passas vuas adiecit. Tum victus morbo, & suæ præmortuus ægrotationi, cum decem adhuc dies superfuerit, nullum vitæ desiderium, nullam dolorum, quibus afflictabatur, auersationem, nullam humani solatij cupidinem præ se tulit; nunquam aut mentem à cælestium contemplatione, aut linguam à pijs precationibus relaxauit: in colloquijs, parcè, & ad solamen adstantium tantummodò intermixtis, ne vocula quidem ab eo edita nisi exquisitæ sanctimoniæ, caritatis, demissionis plena; mortem denique non tam vincens vt aduersariam, quàm vt beatitatis initricem complexus, multorum lacrymas, omnium admirationem expressit. Sanè recèns defunctum Præsidem commendare, insueta mortalibus cura: quasi laudationes esse debeant, non tàm benefactorum præmia, quàm beneficiorum aucupia. Quocirca securior obtrectationis aliquid hic de Vincentij Caraffæ virtutibus interseram in transcursu, quando eadem laudati conditio, quæ spem gratiæ adimit, suspicionem adulationis purgat: Nec minus suspicionē mendacij, quando, & recèntia cōmemoro, & nota. Haud referam plura quæ de Vincentio supra naturæ ordinem memorantur, de his enim Vaticani iudicium esto: Non innocentiam ab omni seu graui, seu leui plenè deliberato crimine intaminatam, quam testantur sacerdotes probatissimi, qui ab eo confitente vniuersas eius vitæ noxas exceperunt. Panca tantùm ex innumeris decerpam, quorum ipsemet mihi sum testis. Equidèm Vincentij alloquijs, & consuetudine frequenter, atteneèque vsus, hæc duo sanctè affirmo: Nunquàm deprehendere potui quid illi terrestrium vel gratum esset, vel triste. Adeò illis non tangebatur, ne dum caperetur: Nil ab eo memoratum audiui, quod audienti compertum, hominis æstimationem augere posset.

Sed

sed vinula seuerior in se videri quàm iactantia, sic nulla sui remuneratrix liberalior, quàm modestia. Illa eadem de suis quà ornamentis, quà benefactis religiosissima taciturnitas Vincentio apud summos viros pro cumulato elogio fuit exquisitæ virtutis.

Hic verò in postremo Generali Conuentu summus nostri Ordinis Antistes electus est, multis quidem dotibus peroratus, doctrinâ, prudentiâ, Magistratuum administratione, sed in his vniuersis non omnium facilè ornatissimus. Vnâ sanctimoniæ luce præclarior cæteris. Hac vnâ prensante in primâ suffragiorum seruatione magno suffragatorum consensu Præses, ac Pater Societatis renunciatur; quod munus ipse ter abdicare seriò conatus, eò tandem imperium accepit, quòd aliter obedire non posset, quàm imperando. Norant electores, se sibi virum imponere nulla beneficij gratia capiendum, nullo nisi diuinæ gloriæ respectu moderaturum, vt in se asperrimum, ita in cæteros mitem quidem, ac pium, nihil tamen omissioris, aut connuentis ingenij, quin exactorem accuratissimum religiosæ disciplinæ; & vbi quid ad maiorem Dei cultum spectare censeret, inexorabilem; eumdem verò tàm hebetis palati ad humana omnia, vt miraretur, hominibus ad Cœlum natis quidquam in terris placere; in vnâ cupiditate scientiæ, vt potè nos immortaliter comitaturæ, non laudem, sed excusationem inueniebat.

De hoc homine quem ante Magistratum ne de facie quidem noui, quem in Magistratu ceu parentem dilexi pariter & colui, quem defunctum ceu homine maiorem admiratus, quàm fortiùs defleui, tacere iam libet; Nam, reliquis quanquam tacentibus, laudatorem nactus est cunctis maiorem, virtuti (cui vt sapientes prædicant, par nihil in terris) æqualem; Innocentium Decimum. Huius ille verbis cùm superstes, tùm extinctus tàm amplè, tàm frequenter ornatus est, vt nihil supra desiderari posset, vel ad honorem nominis, vel ad testificationē probitatis. Scilicet argumēta hæc sūt in hac familia cadentis iam disciplinæ languescētisq; virtutis.

Quid de noxis quarum in hortatuis nostrorum Præsidum epistolis arguimur? Eiusmodi epistolas, ceu damnato-

damnatorias in nos oraculorum sententias accuratissimè Scottus producit, atque vsque ad summum lectoris fastidium prolixè transcribit, duorum, vel nescius, vel obitus.

Primum est, consuetum esse morum curatoribus, si quid ab vno, vel ab altero peccatum est, totum cętum admonere, quò admonitio illa & sontibus ad emendationem sit, & insontibus ad cautionem. Credamus ne flagitia tàm grauia, quæ Paulus in Corinthijs reprehendit, ad singulos eiusmodi gentium Christianos pertinuisse? Nequaquam profectò; quando eosdem populos idem Apostolus, hoc est locutor minimè blandus, magnis laudibus cumulauit. Audi Augustinum, interpretem, credo, diuini eloquij non aspernabilē. *Scriptura* inquit, *mos est ita loqui de parte tanquam de toto,*
Ep. 59. *sicut (Paulus) Corinthios in primis epistolæ suæ partibus ita laudat tanquàm omnes laudabiles sint, cum essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erāt. Istam diuinarum scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum eius creberrimè sparsam quisquis diligenter aduerterit, multa dissoluet, quæ inter se videntur essè contraria.*

Quod ergo in Corinthijs aliquorum crimen erat, omnium obiurgatio fuit. Neque id iniquum si ad correctionem sermo, iniquissimum verò si ad pœnam, vel ad famam, dirigatur. Iure ciuili sancitum est, & quidem meritissimò, vt si quis offensoris sui consanguineum hac de causâ percusserit, is, & capite, & pari cum fœderum proditore ignominiâ puniatur. Scilicet quæ nam innocentia ad tutelam satis si iniuria ab vno cuipiam illata, vltionis vel damno, vel periculo cognatos omnes inuoluat? Id cum ità sit, quantò iniquius si quorumdam ciuium, aut sodalium culpa ciuitatem, aut sodalitatem omnem traheret in infamiam? Exacta quædam munditia hortulorum, ac domuncularum esse potest, villarum ingentium, ac regalium ædium non potest: haud secus absolutissima innocentia in paucorum conuentu nonnunquam habetur, in magnis cœtibus frustra desideratur.

Alterum est, duplicem esse mensuram, ad quam res exigimus cum de aliquorum probitate iudicamus. Videlicet modo ideam illam, ac formam exquisitissimam boni, quam animo

mo consignatam, meditari licet, digitis monstrare non licet; modò communem hominum vitam, atque id quòd ex Adami fœce non temerè expectes. Primam illam mensuram intuentur Religiosi moderatores, dum subditos admonent, dum advirtutem exstimulant: Vt enim in prouerbio est, scopus supra sperabilem sagittæ volatum extolli debet ne ictus sit infra vires; Ita si sanctissimos religiosæ vitæ parentes, ac duces Basilium, Bernardum, Franciscum, Bonauenturam audiamus, nihil primâ fronte non contaminatum, ac mancum interpretabimur in pulcherrimis illis virtutum omnium seminarijs, per quæ habet Ecclesia in terris Angelos suos: quos Cœlitibus ostentet. Et verò quid aliud significant seriæ illæ Francisci, aliorumque Sanctorum voces, quibus se tot vitijs coopertos, tot pœnarum reos asseuerabant, cum tamen ijdem ab Ecclesiâ nunquam falsiloquâ tam amplis encomijs coronentur? Certè non ea ex mendacio, non ex errore ab ipsis prolata; alterum quippe arbitrij, alter mentis vitium est, neutrum ad virtutem facit. Inspiciebant ergo ideam illam absolutæ perfectionis, quæ mortalium omnium virtutes tantùm supergreditur, quantùm sydera montium vertices. Atque vti nullum est montis fastigium, quod humile dicendum non sit vbi cum Cœlo confertur, ita nullum est virtutis culmen, quod si celsissimam illam ideam suspexerit, humilitatem suam non agnoscat. Cur ergo Olympum, cur Atlantem, cur Caucasum, nobiles quasi Principes, celsitudinis titulò cohonestamus? quia vt in terrestribus loquimur; quia eos non cum astris, sed cum cœteris inferioris mundi partibus comparamus. Ita planè cum de homine, vel de Ordine aliquò ab exteris iudicium fertur, non iniquum modò, sed insanum foret ad eamdem regulam virtutes & vitia metiri, quam domestici præceptores ad monitionem, ipsimet adhibent ad modestiam.

CAPVT XXXXVIII.

De quatuor potissimis, quæ nobis obiectantur in communi, ac primum de superbia.

QVatuor præcipuæ sunt in nos generatim accusationes.

Prima ceu superbos notat, quòd elatè de nobis, de cæteris abiectè sentiamus.

Altera vt auaros, quòd rei familiaris, & auidiores simus, & tenaciores.

Tertia vt potestatis ambitiosos, quòd, priuatis publicisque externorum negotijs cupidè immisceamur.

Quarta ceu turbulentos, ac noxios, quòd multis Christianorum Regnis vel pulsi, vel interdicti: Nec enim vitio carere potest cibus ille, quem multi vel vomunt, vel nauseant.

Has ego criminationes vbi capitulatim purgauero, proposito muneri satis à me factum arbitrabor.

Ante omnia illud moneo: superbiam, auaritiam, ad res externas, & scilicet publicas capessendas auiditatem, aliaque huiusce modi non primùm nobis imputari: In manu omnium sunt aureoli Aquinatis, ac Bonauenturæ libelli, quibus religiosorum Ordinum oblocutores castigantur. Videat lector numquid vlla in nos accusatio peculiaris exorta sit, quæ iam tum in cæteras illas prænobiles deuotas Deo familias, ac nominatim in mendicantes (quippe nouas nec dum sæculorum authoramẽto calumniæ iacula retundentes) non exarserit.

Sed res ipsas discretim excutiamus: Ac primùm de superbia De reliquis enim in consequentibus Capitibus exponam. Meminisse debet quilibet æquus æstimator, humanarumque affectionum peritus, commune id esse cunctis mortalium classibus, vt quisque Patriam, Rempublicam, Sodalitatem suam impensè amet, &, quod amoris cuncta amplificantis est, magni-

Digitized by Google

magnificiat. Idque Natura ipſa, beneuola tanquam parens, molita eſt. Cum enim homo animal inquietum ſit, & ſemper melioris ſtatus appetentiſſimus, cumque nil exitioſius humanæ tranquillitati ſit, quàm hæc nouitatis tentamenta, quaſi claſſica diſcordiarum, & fluctus naufragium Reipublicæ minitantes; nil conducibilius, quàm vt quiſque natiua, & ſua præhabeat exteris, & alienis. Ex qua perſuaſione duo naſcuntur tanquam elementa fælicitatis humanæ, quies ac lætitia. Commodè Tacitus veterem Germaniam deſcribens: *Informem terris*, inquit, *aſperam Cœlo, triſtem cultu, aſpectuque, niſi ſi patria ſit.* De moribus Germanorum in principio.

Hæc verò perſuaſio eò amplior, eò firmior eſt, quò rei veritas cum propenſione illâ naturaliter inſita magis conſpirat. Enimuerò, nihil eſt quod de ſe non crediderint duæ illæ nationes ingeniorum, ac rerum principes, Græca, & Romana: Cæteras omnes tanquam barbaras aſpernatæ, cœlum ipſum in ciuium ſuorum coloniam tranſcripſerunt. Neque hac ætate vlla eſt ex Europæ gentibus, Germanica, Gallica, Itala, Hiſpanienſis, quæ ſi Paridis poteſtatem ſortiatur, aureum excellentiæ pomum non adiudicet ſibi.

Idverò ita eſt commune, vt in religioſis Ordinibus & æquè ſit vſitatum, & magis honeſtum. De vſu nihil opus eſt diſputare vti de re omnium auribus expoſitâ. Honeſtatem paucis demonſtro. Niſi quis Ordinem ſuum aliis opinione præferret, ſe ipſum tacitè argueret quòd electione meliora poſthabuiſſet; Ad hoc, quando ſubditus Principi, famulus Domino cultum debet, æſtimatione illos, quantum rei euidentia non prohibet, extollentem; multò potiori iure debitus eſt cultus Sodalitati ſuæ à religioſis alumnis; nullus enim Princeps de ſubdito, nullus dominus de famulò tàm egregiè meretur. Neque vero id Chriſtianæ humilitati aduerſum; imò conſentaneum. Debet enim religioſus vir tàm excelsè de Ordine ſuo, tàm de ſe abiectè ſentire, vt ſe quaſi membrum tàm præclaro corpore indignum deſpiciat; adeòque numeret inter beneficia nullis gratijs coæquanda, quòd eum ſodales admiſerint, quòd retineant. Dicam quod vulgò notatum non vidi. Quicumque ingentis Reipublicæ, aut Congregationis eſt pars, non ſuperbè ſentit ſi de illa

publi-

Digitized by Google

sublimiùs, sed si demissiùs opinàtur. Quid enim est aliud de Republicâ tuâ excelsè opinari, quã magnificare ciues illos, ac socios quibuscum, & perpetuò versari debeas, & te comparare vbi de te ipso iudicium feras? Superbia nempè (quod Aquinas non omisit) à *super* nomen trahit, quæ comparationis est nota: vnusquisque autem cum de se ipso iudicat, comparat se cum domesticis, ac proximis, non cum exteris, ac remotis, quippe non vno simul obtutu aspectabilibus, vti postulat comparatio. Quæ pariter causa est, cur illos non hos incessat inuidia, superbiæ cognatum vitium; illorũ quippè nõ horum splendor nos inobscurat. Superbum erit tuam aliquam interiorem tibique cum paucis communem dotem, conditionemue suspicere, veluti cognationem ac sanguinem: Laus enim illa in paucos diuisa magnam partem pertingit ad te. At si Ordinem tuum aliquot hominum millia complexum magni æstimaueris, quota pars tua erit?

Non tamen mihi probabitur, qui ex nobis, licet se opinione deijciat, Sodalitem nostram supra cæteras laude sustollit, id enim si minùs superbum, certè inuidiosum; ideòque, velin domesticis colloquijs id nobis familiari nostro iure interdictum. Quamquam id ipsum viri sanctissimi, & religiosâ demissione conspicui non refugerunt. Certè Sanctus Bonauentura in opusculo de mysticâ theologiâ, hæc habet.

Cap. 1. par. 2. *Tertiò illud ad quod vocatur recolat; quia eum non ad Regulam B. Augustini, vel Benedicti Redemptoris gratia reuocauit, sed ad illam sacratissimam quam ipsemet elegit, quando ductus est in deserto, vbi quadraginta diebus & noctibus continuis ieiunauit & in maxima paupertate per mundum prædicauit, & saluti eminium ardentissimè intendit, & præcursor suus propriè instituit ipsam in se ipso seruans; & nobis seruandam monstrauit. In tantùm alijs regimimibus sublimior regula, inquantum doctrinam humanam diuinum eloquium præexcellit.*

Quanta, rogo te lector, irarum flamma in nos exardesceret, si nostrum quispiam sic loqueretur?

Non igitur damnanda est hæc affectio, quæ nostris præaltam de Societate persuasionem ingenerat. Cæterum vt ille ait.

Nil prodest quod non lædere possit idem.

Ele-

Digitized by Google

Elementa, metalla, plantæ animantes vniuersæ, quibus ampliſſimo tanquam patrimonio, famulatuque humanum genus Natura dotauit, quandoque in perniciem noſtram degenerant. Cibis ipſis quibus reficimur, conficimur. Ita etiam affectiones illæ tam proficientes, quas magno noſtrum omnium bono Natura inſpirauit, non raro immoderatiùs excreſcunt, ac nocent. Ecquæ vitiorum ſemina peſtilentiora quàm cupiditates illæ tàm naturales, tàm neceſſariæ, per quas & vitam prorogamus, & ſtirpem, per quas gloriam virtutis comitem ſequimur, dedecus vitij vltorem horremus? Non ſecus illa ſalutaris propenſio ad propriam Rempublicam aut Sodalitatem liberaliter æſtimandam aliquando vel per inſolentiam, vel per inſcitiam contemptrix ſit cætetarum. Ità porrò in ſapientiſsimis ciuitatibus contingit, ità in doctiſsimis ſcholis, ita in ſodalitijs vniuerſis, vt populare ſit mirari propria, externa deſpicere.

Si ergo quidquam a noſtris in hac re peccatur, vitium eſt venià, non obiurgatione dignum, quippe non proprium, ſed commune, & veriùs vniuerſæ Naturæ vitiatæ, quàm noſtrum; Qualium vitiorum quicumque munditiam in nobis flagitat, næ ille nos imprudens non tàm abijcit quàm attollit; quaſi nos tam eximios ratus, quos noxarum ex gentili peccato fluentium puros non immeritò ſperet. Adeòque ſimiliter nos exprobatione iſta cohoneſtat, ac ſi quis ex falſò præiudicio noſtræ conditionis humanam prætergreſſæ mortalitatem, morbos, lapſus mentis, iræ, cupidiniſque rebelles motus quaſi nobis euitabiles exprobraret. Tunc quidem merentes exprobrationem pateremur, cùm ea cæterorum contemptio noſtris legibus, inſtitutiſque, aut primorum exemplis, hoc eſt tacitis quibuſdam legibus foueretur; ſed hoc quàm longè abſit, conſidera: Vix aliam inueneris religioſam familiam ſuorum ſcriptorum gloria vtcumque florentem, quæ tantùm alienos in ſcholis prælegat, præter noſtram. Non ſolum veteres Ordines, ſed iuniores nobis Diſcalceati, ſequuntur, nec ſine laude, Salmantices, & Complutenſes ſuos. Vna Societas ea eſt quæ non modo exterum Doctorem ſequitur, hoc eſt D. Thomam, ſed quæ nihil autoritatis cuipiam ex ſuis ſupra exteros tribuit. Ea

Digitized by Google

legum atque institutionum inter nos modestia: Contraria ne apud primores Societatis exempla? Sanè qui scriptores in Societate magis regnant, hi de alienis honorificentiùs loquuntur. Instar omnium sint Suarius, ac Bellarminus, qui haud scio sapientiùs ne an ciuiliùs disputauerint. Si qui ex nostris secùs agunt, ij nobis ipsis, inuisi, nec tantùm alienos, sed nostros licenter carpunt, omnia non tàm extra Societatem, quàm extra se ipsos aspernati. Hi tamen & pauci, & inferioris notæ. Enimuerò quæ nam Religiosa familia tot edidit panegyricos, exornationes, laudes exterorum, quâ rectà, quà obliquè, quà vincto, quà soluto sermone? Ingens nimirùm superbia, nomen à fundatore nostro non adoptare, externas dignitates quascumque sacramento respuere, ne ad litteraria quidem munera præripienda cuipiam in publicis Gymnasiorum iudicijs esse competitores; vbi potioris loci quæstio sit, cunctis sponte decedere!

Vnum est, in quo facilè vulgus erret, cui sunt adulterinæ pro veris, vt gemmis, ita virtutibus. Quemadmodum verò in virtutibus errat, sic & in vitiis, vt pote quorum prauitas nihil est nisi virtutum aduersitas. Ità quinque personatæ fortitudinis species obseruat Aristoteles. Ità in magnanimitate, quæ virtutum potissima est, multos agnoscit mores, quos ad superbiam populus reuocauerit, Denique hanc duplicem vocabulorum significationem, philosophicam scilicet, & popularem, Hieronymus animaduertens in commentarijs ad caput 65. Esaiæ, superbiam diuidere in bonam, & malam non dubitauit. Et quoniam vt in hominibus, sic in moribus, quoties vnum pro alio errantes accipimus, aliqua est amborum similitudo quæ fallit, dicam breuiter quid sit Sodalitatis nostræ cum superbis consimile, quod vulgus in errorem, nos in vituperationem trahit.

Superbus est, qui rebus ac bonis cultu ac submissione dignis hæc negat obsequia. Cum autem turbæ nil magis adoratum sit quàm diuitiæ & potestas, tanquam duo fontes earum voluptatum quibus illa maximè inhiat, & in quarum affluentiâ fœlicitatem ponit, vtique diuitum ac potentium parcos infrequentesque cultores, superbos, vocat. Atque adeò nos tanquam superbos criminatur, non quòd verè fu-

catas

catas illas bonorum imagines adeò, vt par esset, despiciamus; vtinam id fieret! sed quia illas infra vulgarem consuetudinem veneramur. Cum enim & necessaria ad vitam nobis securis suppetant, & superflua interdicantur vel satagẽtibus, vix est quid priuati beneficij speremus à pecuniosis, ac præpotentibus. Cum tamen omnis honor, vel erga ipsam Diuinitatem, cultus demum sit beneficæ potestatis, vt philosophantes obseruant.

Ad hæc; quibuscunque mortalium acutior obtutus, his rarior est admiratio, & quæ admirationem sequitur, æstimatio. Multa suspicere, ignorationis est, non virtutis. Per omnes artes hoc pertinet vt qui scientiores, sidem & æstimationis parciores sint. Plura ergo quæ populares oculos ac mentes perstringunt, plerique nostrorum ceu gregaria prætereunt. Ideò ne superbimus? Si hoc ita sit, viri fœmellis, adulti pueris, docti rudibus superbiores dicendi fuerint. Denique superbiæ damnandi erunt Socrates, & Plato, quòd sophistas illos suorum æqualium miracula despexerint: cum tamen adeò non sibi nimium arrogauerint, vt omnem in se scientiam diffiterentur. Nempe qui sapientia præstat, is vtique interdum de communi æstimatione quidquam alijs demet; nil addet sibi. Quòd si in hac altera parte quispiam cæcutit ex nostris, sanè hoc haud Ignatij est, sed Adami, cuius misera vitiorum hæreditas, vt medicâ ope noxij corporum humores, ità Societatis legibus, atque institutis corrigi potest, extirpari non potest.

CAPVT XLIX.

De criminatione auaritiæ.

HAc de re multa cap. 1. alia tamen hic vtpote in loco. Et quidem hæc insimulatio quodam quasi fato semper meliores incessit. Nam & Acatholici virulenti sunt in Sacerdotum diuitias; & quod magis lugendum, in easdem laxiores Christiani haud modicè amari. Exortâ vix dum Ecclesiâ, non tam inuisæ religionis odium, quàm sperati auri ingluuies Præfectum aggressa Laurentio cratem parauit, & flammas. Inter exilia, & proscriptiones Christiana fides miserè victitabat, & tamen Romani Pontificis opulentia prouerbium erat Ethnicorum. Quid multa? postremis sæculis orti sunt Ordines illi præclarissimi hominum se Deo deuouentium, qui hæreditarijs facultatibus abiectis, nulloque censu nè in commune quidèm admisso, in vnâ Dei fiducia, & piorum miseratione fundum omnem collocarent. An eorum nuditas validus clypeus ad repellendas eiusmodi accusationes auaritiam, atque opulentiam obiectantes? Niùl minus. Legatur vindicatio illa percelebris eiusmodi Ordinum à D. Thoma Pontificis iussu conscripta. Enimuerò quicumque opusculi titulum non aduerterit, dum recitatas ibi criminationes perleget, Societatem Iesu agitari interpretabitur, adeò eadem ibi dicuntur, quæ mutato nomine de nobis fabulæ sunt consuetæ. In primis verò (quis crederet?) auaritia, atque auri fames inexaturabilis in ijs reprehenditur, qui vt dixi, non modò patrimonium omne, sed habendi potestatem perpetuò exuerunt, ex quotidianâ largitorum stipe sibi victum quæritantes. Adeò nullum virtutis fastigium est quod non attentet obloquutorum audacia. Porrò si Societatis Institutum, ac mores æquo animo perpendantur, criminatio hæc quæ mirifice apud vulgus inualuit, facilè discutietur. Id vnum in hac causâ difficile; quosdam popularibus

Ammian lib. 27. Baron. annal. 369.

Digitized by Google

ribus præiudicijs facilè mancipatos inducere vt ſpiſſamentũ quoddam auribus, atque animis obditum amoueant, & vacui, ac medij, veritatem explorent.

De Inſtituto rés manifeſtior eſt quàm vt verbis indigeat. Id præmitto ex D: Thoma Auaritiam in duobus peccare: hoc eſt vel in quærendis exterioribus bonis ſupra neceſſitatem, & conditionem quærentis, vel in ijſdem ſupra rei meritum, & bonitatem deamandis. De vtroque ediſſeram; ac primum de priore.

Profeſſorum Domus; emendicato ſuſtentatæ, omni reditu prohibentur. Collegia quidem dotata ſunt, ſed dote quæ (ſi fas eſt dicere), matrimonij onera plerumque non ſatis compenſat. Quando fermè omnia ære alieno premuntur; neque id ex lautiore victu, ex ſplendiore cultu, ſed ex cenſus tenuitate; Vt enim aliàs oſtendi, vtque in omnium oculis eſt, nihilo ſumptuoſior vlli ex noſtris, quàm deſpicatiſſimo cuique circumpedi, ducitur vita: quando Romæ (hinc facilis coniectura eſt ad reliquas Vrbes) vbi profectò nec annonæ, nec veſtium vilitas, ſena ſcuta menſtrua noſtrorum ſingulis abundè ſufficiunt. Quid de habitatione? Scholaſtici in ſingulis cubiculis, & quidem anguſtis, bini. Cæteri quantumcumque munere, meritiſque perinſignes, vnâ, modicâque cella contenti, Præfidi in paucis grandioribus Collegiis dnę: cunctæ verò adeò nudæ, vt floſculorum ibi frequentia non ſit extra notam. Et nihilominus hæc viuendi; habitandique frugalitas tueri non potuit Romanum Collegium, quin pro alumnorum multitudine, ædificandi neceſſitate, inſperatis rei familiaris infortunijs multo annorum decurſu ſuccumberet ære alieno vltra fidem ingenti. Hæc de vectigalibus; pergę. Societatis proprium inter Religioſas familias vt nullo conſanguinitatis iure ſuccedamus abinteſtato; quidquid ex aliorum bonis capimus, ex eorum voluntate, non ex Naturæ legiſue iuſſu capimus. Haud difficilè quiuis putauerit quantam hereditatum opulentiam toto terrarum orbe Societas, e Nobilium, adeòque diuitum familiarum alumnis plurimùm conſtans, per hanc vnam legem voluntariam, ac peculiarem abdicauerit. Quid dicam de interdictis pro concionandi, ſacrificandique labore ſtipendijs, quæ ſola immenſam auri

vim

vim quotannis Societati compararent ?

Satis de Instituto : Iam de moribus. Nullus religiosorum Ordo crebriùs, ac facilius consentit, vt eum ingressi censum omnem inconsanguineos transcribant; Nullus rariores habet, qui ex asse relicto vnciolam retinuerint; Nullus qui ex pecuniis, aut fundis sibi datis ampliùs in testatorum, vel donatorum cognatos liberaliter fuderit. Certè ex septem quos habuimus, Generalibus Præpositis, vnius Muti, Vitelleschi largitiones, quà miserationis, quà grati animi, quà præcidendarum litium quamuis inanium titulo incredibilem auri vim compleuere, vt scriptæ tabulæ contestantur. Nec diu est cum Vincentius Carafa, me inter cæteros quibus id deliberandum commiserat suffragante, solo grati animi nomine decem scutorum millia donauit, quò nepos quidam adolescens defuncti Viri de Romano Collegio præclarè meriti familiam ducere posset, eamque honorificè sustentare.

At enim, dices, aliqui etiam ex vobis auidi, tenaces, illiberales, litigiosi. Quid tùm ? Si hæc labes in aliquibus deprehensa, ad totum Ordinem transferatur, profectò nulla erit Natio, Ciuitas, Sodalitas, præsertim paulò frequentior, huius criminis indemnata. Cum enim census, ac nummi ita sint ad res omnes necessarij, vt modò *substantiæ*, modò *facultates*, modò (quod Tullius in latini sermonis institutoribus reprehendit, *bona* generatim nominentur, quis miretur, si aliqui quamuis dicinam gloriam secuti, hæc seduliore cura conquirant, atque custodiant? Quippe rati, Deum frequentiùs per humana hæc instrumenta, quàm per miras suæ potestatis prodigia res conficere, illa proinde mauiter parant sibi, tanquam auxiliares copias pietati, ac virtuti militantes. Præsertim cum id agant sine aliorum iniuriâ, sine sordido quæstu, sine sacrorum munerum intermissione, hoc tantùm nomine inter auaros numerati, quòd non largitores sui, non incurioſi vectigalium, alienæ miserjcordiæ, ac liberalitatis non contemptores. Prædicant illud pronunciatum familiare viris religiosæ disciplinæ studiosissimis, pariter ac scientissimis: *Vbi non est abundantia ibi non est obseruantia*; Aiunt, vt in castris, ita in claustris comitem esse publicæ indigentiæ priuatam licentiam: Aurum, hoc est machinam

chinam illam alieni arbitrij, manuſque verſoriam, nuſquam melius collocatum quam apud eos, quibus meta votorum, ac laborum eſt, arbitria mortalium Deo emere, manuſque conducere. Sic aliqui diſputant, nec leui ratione, nec paucis authoribus niſi. Iduerò nequaquam noſtræ familiæ peculiare: per cunctas pertinet. Mihi tamen ea diſputatio non probatur. Quamuis enim non diffitear, in magna cibariorum difficultate exactam diſciplinam ægrè retineri, atque in primis communionem illam vitæ quam ceu cardinem perfectionis veteres illi ſanctiſſimi religioſæ vitæ repertores ſine fine commendant; velim tamen Religioſis in alienam opem inſtitutis rei familiaris anguſtiam potiùs quàm affluentiam. Nam iuxta virtutis amorem, qui non omnes vehementiſſimè incendit, validiſſima torporis expultrix indigentia. Quod præclare vidit Scriptor eximius dum Religioſis contemplationi addictis communia bona conuenire, alienam verò ſalutem quærentibus, mendicitatem, acre quaſi ceſſantium calcar, obſeruauit. Memini, Virgilium magnas habere gratias Ioui tanquam de mortalibus immortaliter merito, quòd

Mellaque decuſſit foliis, ignemque remouit.
Et paſſim riuis currentia vina repreſſit.
Vt varias vſus, meditando, extunderet artes.

quò per indigentiam, exacueret induſtriam veram illam Cybelem immortalium parentem; hoc eſt Heroum, atque Virtutum: Sic ego; ſic mecum ſentiunt præcipui Societatis Moderatores, qui nullum patiuntur Collegium ſuperuacuis vectigalibus opimum; Sed ſi quando accidat. quod rarum eſt, vt nouis reditibus conſueta impendia ſuperentur, confeſtim aut adduntur operarij in proximorum vtilitatem deſudaturi, aut Aedes extruitur honorâ cœlitibus, commodæ, & decora confluentibus cultoribus, adeoque pietatis monumentum pariter, atque inuitamenatum.

De reliquo, nunquam accidit, vt vel pecuniæ congerantur, vel prædia propagentur nullo addito ſumptu virtutis fomite. Et quidem duæ ſunt cupiditates quæ inexaturabilem hanc auri tanquam hydropiſim in hominibus irritant. Altera eſt voluptatum auro venalium; altera potentiæ ad multa diuitibus arbitraria, pauperibus inconceſſa. Vtrique cupiditati

per

per leges noſtras occurritur. Nam, quòd ſpectat ad voluptates, licet Pactolus aliquis, aut Ganges in communi nos inauraret, ne vnciâ quidem bubulæ accreſcente patinę noſtræ pinguęſcerent. Quantùm verò attinet ad potentiam, quidquid rei familiaris habemus, extra priuatorum arbitrium eſt; ſolius Præſidis imperio ſubeſt; hoc eſt hominis citò imperium depoſituri, neque interim inſueti cuiuſpiam ſumptus ius habentis iniuſſu Præpoſiti Generalis.

Hæc verò poſtrema non modo nobis purgant illius auaritiæ notam, quæ in exteriori actione verſatur, & quæ diuitias immoderatè conquirit, ſed illius pariter quæ in affectu interiore continetur; quæque eſt amor cenſus non maioris honeſto, ſed maior. Qui enim hac ſiti flagrare poſſint homines nullam in diuitias poteſtatem habentes, quales cuncti ſumus extra præpoſitos; nullum ex ipſis delectamentum libaturi, quales ſumus vniuerſi? Porrò vix reperietur alia Sodalitas in qua & communior auerſatio à rei familiaris tractatione, & maior penuria præſtantiorum in eo munere: cum tamen vnuſquiſque libenter tractet, quæ impensè amat.

Quid eſt ergo, rogabit quiſpiam, cur hanc notam vniuersè vobis inurant mortales?

Rei causas luculenter aperio. Nota iſthæc vt explicaui duplex eſt; altera tenacioris auaritiæ, altera infinitæ opulentiæ. Primam nobis creant multa, quæ licet auaro, cum nauo Patre familias communia ſint, quoniam tamen ſemper inauaris reperiuntur, ideò turba, quæ permixtè confuſèque res contemplatur ac loquitur, vbicumque ea deprehendit, auaritiam interpretatur, ac vocat. Hæc ſunt in primis, accurata quædam oeconomia ad Ariſtotelis allorumque moralium philoſophorum præceptiones exacta, per quam ſtudemus, omnia tempeſtiuè, ac paruo emere; turò aſſeruare, commodè diſtribuere, ex ſingulis emolumentum aliquod capere, nihil minimum negligere. Vt ergo Principem ſumptuoſum magis quàm parcum populus celebrat, e diuersò ſapientes in eo parſimoniâ præoptant, vti priuatarum facultatum (quæ tandem Principis ærarium ſunt) præſidium, ac tutelam; ita non conſiderat populus, fœliciùs nos quidem victuros ſi oſcitanter, ac ſecurè rem familiarem tractaremus quomodo locuple-

cupletes ſolent, fruentes præſenti otio tanquam fructu præteritæ, vel auitæ induſtriæ; ſed morem quem nos tenemus pauperum eſſe, quales & profeſſione ſumus, & voto; id autem voluiſſe pios illos largitores quorum liberalitate nutrimur; nec enim deſidibus otium, ſed induſtrijs ſubſidium dare cogitarunt, quo ſubſidio, quàm plurimi poſſent, in hac cohorte Deo, & Eccleſiæ militarent. Nempe haud æquior in nos eiuſmodi auaritiæ obtrectatio, quàm in militarem quæſtorem, per cuius ſolertem curam ex publico ære amplior ſuſtentaretur exercitus. Probabiliorem pateremur accuſationem prorsùs contrariam: hoc eſt, quòd prædia nobir donata non diligentiſſimè coluntur; ac proinde minore fructu, quàm bonus pater familias inde colligeret; minore publico emolumento, quàm per eiuſmodi munificentiam donatores augurabantur. Sed vindicatio ad manum eſt: Nimirùm hæc ipſa indiligentia in agricolatione naſcitur ex diligentia in animorum cultione; Quantò enim plures, ac præſtantiores ex noſtris illi addicerentur, tantumdem huic demeretur. Hoc ipſum grati donatarij eſt, minùs ditari dono vt magis donatori ſubſeruiat.

Indicaui præcipua capita quæ falsò nobis nimium patrimonij ſtudium affingunt. Neque verò deeſt cauſa quæ nobis inſontibus alteram illam, quam dixi, auaritiæ partem vulgò attribuit: ea ſcilicet cauſa, quæ hanc ipſam calumniam ſanctiſſimis illis primis mendicantium familijs conflauit: mos aliena quæritandi. Id enim auari conſueuerunt: At non tantùm auari, ſed inopes: illi vt cumulent ſuperuacua, hi vt parent neceſſaria. Hoc poſterius noſtrorum eſt in Profeſſorum Domibus habitantium: His enim adeò nihil ſuperfluit, vt ibi verè deprehendantur numeri illi commentitij, & tantùm in Algebræ rationibus conſueti, ex g. quiuque vel ſex infrà nihil. Eiuſmodi, enim Domus cuiuslibet cenſus expertes, & plerumque multo ære alieno preſſæ, magno indigerent ſubſidio vt nihilo nihil minus haberent.

Sed hæc quæ poſtremo loco dixi gradum faciunt ad exquirendas cauſas communis cuiuſdam præiudicij immoderatam non modò appetitionem, ſed poſſeſſionem vectigalium in nobis rati. Huius pariter erroris mater eſt, vulgarium no-

Digitized by Google

tionum vocabulorumque indiscreta confusio. Vulgus namque diuitem vocat, qui plus cæteris habet: cum tamen longè alia sit sapientum regula. Vter ditior, Tullius ait, cui superat, an cui deest? An non in ore omnium est verbum illud Alexandri Quiuti, qui se diuitem Episcopum, pauperem Purpuratum, mendicum Pontificem fuisse dictitabat? Non quòd facultates, aut purpura, aut Regnum extenuasset; imò auxerat; sed quòd vterque gradus multò sumptuosior fuit quàm pecuniosus, nec parem attulit oneribus opulentiam. Non semper qui alterò plus edit, ille edacior est: is edaclor qui magis edit supra indigentiam. Hæc quicumque non obseruat, Principes, & Respublicas priuatis diciores putat, quoniam censum cum censu, non impendia cum impendijs componit. Ad hanc vulgarem mensuram quis neget nos esse locupletissimos? agmen quippe alere decenter possumus, quod magno Regi grauius videretur. Quid tum? Ideo ne opes abundant? Quin verius, quod ille ait, *curta nescio quid semper abest rei*. Certè Reges aliqui; quorum vectigalia infinitè nostris ampliora; tamen quia hæc necessarias expensas non æquant, iustè subditis tributa imponunt & quod summæ paupertatis est, vel eleemosinæ titulo subsidia corrogant. Hoc porrò multorum alendorum onus, multarum helluo faculcatum, quod religiosos Ordines præsertim ingentes in inuidiam exuperantis opulentiæ apud populum trahit, peculiari de causâ famam hanc Societati parat. Cum enim Societas suis alumnis necessaria omnia suppeditet qualibet ipsis priuati victus, cultusque, & submota sollicitudine, & interdicta procuratione; longè plus facultatum poscit pro æquali sodalium numero, quàm illi religiosorum cœtus, vbi priuati non sic affatim ex publico aluntur. Sed hoc ipsum neque nos immodicè opulentat, neque alijs querendum est quàm qui religiosam disciplinam in domibus nostris florentem queruntur. Audiamus qualem paupertatem commendet in religiosis conuentibus vir religiosorum doctissimus, doctorum religiosissimus D. Thomas. *Dicendum*, inquit; *quod ex illo verbo Domini (si vis perfectus esse &c.) non intelligitur quod ipsa paupertas sit perfectio, sed perfectionis instrumentum, & sicut ostensum est, minimum est inter tria principa-*

2.2.q.188. art.7.ad 1.

cipalia instrumenta perfectionis. Nam votum continentiæ præeminet voto paupertatis, & votum obedientiæ præfertur utrique. Quia verò instrumentum non propter se quæritur, sed propter finem, non tantò aliquid fit melius, quantò maius est instrumentum, sed quantò est magis fini proportionatum. Sicut medicus non tantò magis sanat, quantò maiorem dat medicinam, sed quantò medicina est magis proportionata morbo. Sic ergo non oportet quod Religio tantò sit perfectior, quantò maiorem habet paupertatem: Sed quantò eius paupertas est magis proportionata fini communi et speciali. Hæc ille. At nemo non videat, angustiorem paupertatem, rerumque communium inopiam Societatis proposito fini, quà communi, quà speciali, perincommodam fore. Quid enim compertius apud cœnobitarum peritos quàm hæc duo: Primum, nihil ad virtutis, ac regularum incolumitatem opportunius, quàm commuuem æqualemque omnibus viuendi modum: Tum verò longè plus vectigalium desiderari ad illum seruandum, quàm si priuatis liceat sibi singillatim quærere & comparare?

His causis, quæ nobis nomen, & inuidiam iusinitæ opulentiæ creant, additur copia quædam nunquàm fermè deficiens rerum omnium, quas vel communis mortalium Natura flagitat, vel status nostri decentia desiderat, quam copiam nec Dynastæ quidem pro sua conditione tam certam obtinent, tam confertam. Sed hæc apud sanos æstimatores comprobatio virtutis erit, non materia criminationis. Vel enim huiusmodi copiam propitij Numinis curæ assignaueris & porro Aristoteles ipse, hoc est ethnicus philosophus, vidit neminem esse Numini carum nisi probum: vel copiam illam humanis artibus largitorum manus blandè expugnantibus attribueris; & verò, cum ab hominibus pecuniam, hoc est rem carissimam exculpere herculeus penè sit labor, cumque tot nationes, tot sæcula fallere, maius aliquid sit quacumque humana calliditate, quid ni fatearis, hæc humanæ gentis in Societatem beneficia tesseram esse certissimam ingentium promeritorum? Sanè quid vulgarius quàm ex pretio, quod rei datur, colligi probitatem? Neque si ad opificem quempiam cateruas cœmentium perpetuò confluerevideas id fortunæ potius, quàm artis præstantiæ adscripseris.

Digitized by Google

Postremum quod nos insigniter locupletes persuadet, est ingens ornatuum & sacrificalium amictuum pompa quæ nostris in templis & sacrarijs coruscat. Sed hæc non alijs arguenda quàm ijs, qui cum Satyrico impiè cauillantur: *in sacro quid facit aurum?* nec potius arbitrantur cum Lyrico vel in Capitolinum templum vel in propinquum mare gemmas, & aurum, alioqui inutile, summiq; mali materiam esse mittenda. Certè non alia causa barbaris ipsis persuasit Cælum esse Dei ac beatorum domicilium, nisi quia prę terris renidet ac fulget. Quid plura? Deus ipse dum Aedem suam aut in veteri testamento imperauit Salomoni, aut in nouo per visum ostendit Ioanni, qui nam esset splendentium metallorum ac lapidum honestissimus vsus, quà præceptis quà symbolis declarauit. Nempe nec alia vberior caritas quam Numini offerre quod natura carissimum mortalibus fecit, neque alius religiosior cultus quàm, per ea, quæ nobis pulcherrima, diuinam speciem oculis suspiciendam; animis colendam effingere. Enimuerò aciem a templorum cultu ad nostrum diuertant. Dispiciant vestes, abacum, domesticum instrumentum vniuersum; ac demum iudicent num simus quantùm Deo magnifici, tantumdem nobis parci. Enimuerò, ex templorum fulgore custodum diuitias colligere, hominis est, cui præiudicatum sit, Deo non nisi minora dari, ac superuacua.

Lib. 3. Od. 24.

CAPVT

CAPVT L.

De communi victu cultuque Societatis. Num durior ad Dei gloriam conduceret. Quanti sit, in hanc familiam honesti generis puberem legi.

NE verò quispiam suspicetur, arctiorem viuendi formam à me per falsæ virtutis figmenta simulari, apertè contestor, temperantiam à nobis coli, asperitatem non coli, De cibarijs communibus capite 13. satis expositi: Lino vigiles; lino dormientes tegimur, septenas, aut si quis egere se dixerit, octonas horas somno concedimus: lodices aut vestes pro singulorum indigentia: culcitra vel Præposito Generali vnica sed commodè farta. Neque verò solemniores quosdam raroſque per annũ dies refugimus hilarare modestis conuiuijs, omnium ferè nostrum quotquot per varias domos in eadem ciuitate morantur, inuitatione celebratis. Nec enim parui æstimamus vel ad virtutem, vel ad exemplum in ipsis laxamentis modum, in ipsâ lautitia frugalitatem retinere; apto comitatis, & parsimoniæ temperamento. Omnibus Religiosorum familijs hæc in more, nec sine causa. Expedit namque vt quædam profanæ vitæ delectamenta quæ negata cupidinem, vsurpata fastidium creant, identidem apud religiosos viros possessione magis quàm repudiatione vilescant. Quadrigæ domi nullæ ne pro ipso quidem Generali Præposito. Si tamen Cœlum aut æstu aut vento aut imbre inclementius, vel si longior via conficienda, commodatam rhedam non horremus; dummodò & negotium non voluptas in iter Sodales vocet, neque apertò licentiùs velo per frequentiores vrbium vias quasi ad pompam conuehantur. Qui hanc modestiam violent pauci apud nos, & reprehensi. Hæc quæ nobis suppeditantur, quà vitæ præsidia, quà leuamenta, non hic ego erubescens confiteor, quin prædico, quin probo. Ergo ne duritatem illam quæ

san-

sanctissimis Ordinibus in deliciis est, improbas? Imò eam collaudo, ac deueneror: Sed eamdem, si nobis præscriberetur, elatâ voce damnarem. Non quæ aliquibus ritè præceperis, eadem cunctis ritè præciperentur. Id infinitè acceptum nemo inficiabitur. Cui nam hominum conditioni perfectionis Christianæ fastigium magis consentaneum ac debitum quàm vel Vaticano Senatui, vel sacris Pastoribus Vrbium, ac Prouinciarum? An idcircò probares, Excalceatorum victum, & cultum Purpuratis, atque Insulatis Ecclesiæ Patribus imperari? Nil deterius vel ad grauissimas Christianæ Reipublicæ procurationes impediendas, vel ad auocandas à Vaticanâ militiâ Proceres, ac Dynastas, quorum fulgor ac potentia mirum quantum & maiestatis, & roboris impertiat sacrorum Præsulum Hierarchiæ. His ergo duritates, quæ in cœnobitis sanctissimæ, aliquæ ne suadendæ quidem, vti cum purpuræ mitræque functionibus insociabiles; aliæ verò suadendæ, non imperandæ: Nam si voluntariæ venerationem, si coactæ horrorem, & horroris comitem solitudinem Ordini important. Hoc exemplum non eò cuadit, vt viuendi lautitiam ostro mitræque concessam ad cœnobia transferre contendamus; sed vt omnes intelligant, non æqualiter cæscere in sacris Christianæ gentis gradibus virtutis, atque austeritatis debitum. Cuique mortalium familiæ, certi mores consentanei, certæ leges opportunæ, quales ferre possit ea corporis, ea generis, ea officiorum conditio, ea fidelium multitudo, quam eiusmodi familia deposcit. Hoc vniuersè statuto, dispiciamus oculò tantùm noto insincero Societatis munera, finem, attributa; quò intelligamus quantam ipsa vitæ austeritatem velexigat, vel ferat ad normam illam præstantissimam quam Ignatius sui Ordinis Stemmati seu epigraphen apposuit, hoc est *Ad maiorem Dei gloriam*. Ingenij acumen Societas flagitat subtilissimis doctrinis quærendis ac tradendis accommodatum; mores poscit inuitabiles, reuerentiam simul ac beneuolentiam conciliantes, duas illas inermes quidem, sed rapacissimas animorum victrices. Exigit proinde alumnos honesti sanguinis, vt potè cuius & ingenium, & vrbanitas plerumque comites. Præterid quod, viri nobiles plusquam dimidium religiosæ

gioſa virtutis dum præcipiunt, ſcilicet, *Decidere quod decet quàm quod placet*. Nempe hoc unò, ciuilium morum decentia, atque honeſtas illa officiorum vſque adeò nobilibus culta, definitur. Hanc porrò anticipationem quicumque materno cum lacte hauſit, & conuictui noſtro peridoneus, & miniſterijs noſtris apprime tutus. Haud inficior, vt in luto lectiſsimos flores, ſic in plebeculâ interdum lectiſsimas virtutes gigni; eaſque longè præferendas generi; quippe quod eatenus æſtimandum, quatenus virtutis præteritæ veſtigium eſt, ideq. ſponſor futuræ. An quis aurum deſpiciat quòd in imo atque obſcuro natum? Quin etiam riſum ſimul ac ſtomachum mihi mouent leuiculi neſcio qui maiorum inſignia iactantes, vbi pannus paludamentis anteferatur. Ignari, genus in Cœnobijs vuæ inſtar habere, ex qua tunc denique ſuccus vtilis exprimitur, cum conculcatur. Cæterùm vbi præclarę indolis radij vel in ſordibus emicuerint, eò acceptiones eſſe debent, quò Naturæ munus, quàm educationis elaboratio, & validior, & firmior. Sed, hæc tantundem raritatis habent, quantum admirabilitatis. Communiter, quod ille ait; *ad ſemen nata reſpondent*. Leges verò par eſt vt conſueta reſpiciant: ac proin tales leges ad Societatem faciunt, quales pubem patritij ſanguinis, & quod huic proximum eſt, tenerioris habitudinis, non abſterrent: quales denique ita prauitatem vniuerſam proſcribant, vt tamen aliquod perfectionis faſtigium in liberæ electionis laude relinquant. Summam quandam vel innoxiarum oblectationum abſtinentiam non edictis præſcribimus, non pœnis extorquemus, ſuaſionibus, Præpoſitorum exemplis, laudibus, præmijs allicimus, quaſi delicatiora poma non ex hibernarum niuium ſæuitiâ, ſed ex miti verni ſolis afflatu maturanda. Interim nullum exitioſius Societati conſilium foret, quàm quorundam, qui vel à naturâ, vel ab educatione, vel ab animi pronitate ad omnem auſteritatem efficti, vellent vt ipſorum exempla non modò laudum eſſent materia, ſed legum forma; Quamobrem permiſſa cæterorum leuamenta quaſi profanum luxum deteſtantur: neſcij, aſperitatem illam in Societate ceu acorem eſſe fermenti in pane, qui ſi modicus miſcea-

Sen. ep. 87. ad Luc.

sceatur, saluberrimus, idem si plurimus, stomacho intolerandus, valetudini lethalis.

CAPVT LI.

De negotiorum externorum, adeòque Principalium frequentia.

ACcusationem hanc postremo loco seposui; vt potè & grauitate præcipuam, & accusatorum multitudine atque authoritate prævalidam. Ex hac enim tanquam vstrina, aiunt viri probitate, & sapientiâ nobiles, cudi in nos odiorum, & criminationum tela vti reliquis acutiora; sic non prorsus iniqua. Neque aliunde timeri posse flammam aliquam erupturam, quæ Societatem inuoluat, ac perimat.

Hæc dica duplices arcessere potest Reos: Alteros, quosdam ex nostris, qui tori foris sunt, & in exterorum negotia cupidè inuolant: Alteros, Institutores, leges, ac Præsides Societatis, quasi huc sodales suos flectant, atque instigent, certè segniùs cohibeant & veluti connuentes.

Si priuatos incessit, multos quidem immerentes incessit, non tamen cunctos. Haud enim nego, sed queror, aliquos ex nostris seu falsâ caritatis imagine deceptos, seu popularis ac regalis auræ tanquam veneficio excantatos, ea capessere quæ & religiosam disciplinam vitiant, & aliorum in sodales nostros venerationem, ac beneuolentiam extinguunt, & magnas in commune turbas, magna discrimina minitantur. Neque hæc quasi ad speciem scribo tantùm, sed sentio. Cum enim grandior natu, pluribus ac meâ tenuitate splendidioribus necessitudinibus innexus Societatem iniuerim; ita his omnibus constanter renuncium remisi, vt in Vrbe regiâ solitudinem mihi construxerim, & vel cognatorum, ac fratrum consuetudine repudiatâ, pauculas retinuerim non nisi insignium literatorum, quâ priuatas, quà principales, familiaritates,

Digitized by Google

tatès, sed eò suauiores, quòd ab humanis negotijs planè sinceras, atque in vna veritatis inuestigatione, aut animi ac lectionis mutuâ communicatione versantes. Neque id mihi laudi vertendum, quasi ardua illecebrarum victoria. Enimuerò, si secùs agerem, nil mihi foret magis aut molestum ad vitam, aut erubescendum ad famam. Sanè, licèt meorum sodalium improspera semper lugeam, fateor tamen ex alieno luctu me aliquatenus recreari quoties audio præcipites lapsus cuiuspiam Phaëthontis, qui solares currus ausu temerario conscenderit: Qualis esse tandem solet exitus eiusmodi hominum, quasi elementorum, quæ suam supra Sphæram aura quædam insolentior extulerit.

Non tamen horum apud nos ea frequentia, quam vulgus, in opinando, ac loquendo semper immodicus, vociferatur. Porrò tales in Societate viri multi videntur, quia numerantur; at numerantur, quia pauci, & quia monstra. Cum è diuersò, innumerabiles planè sint, qui grandibus affinitatibus immixti, doctrinâ præclari, eloquio viuidi, suadelâ flexanimi, in agendo grauiter comes, candidèque solertes, adeò tamen omne cum profanis rebus commercium præciderunt, vt quod eximiæ pietatis in ipsis est, turba ingentis virtutis ignara tristitiam indolis interpretetur. Quid tamen? interdum aliqui exterorum, qui à consanguineis, ab affinibus emolumentum aliquod expiscari laborant, vacuum si rete collegerint, id alienæ conscientiæ moderatoribus imputant, quasi obnixis, quia non connixis, vt flagitarant: ita vt non rarò, quod nostris obtrectationi est, curiosiùs aliena tractasse, re ipsâ non tractasse, sed abstinuisse, sit.

Vt rem paucis colligam, quantum ad sodales attinet, hoc cacoethe plures flagrant, quàm par esset, pauciores, quàm populus credit.

At quatenus accusatio eadem Societatis Institutum, aut moderatores perstringit, innocentissimos perstringit. Instituto enim nulla maior cura, quam sodales à rebus profanis abstrahere. Huc spectant interdictiones illæ, ne quis nostrum tutor fieret, vel negotiorum, rerumue ciuilium vtcumque procurator; ne vllius rei gerendæ quantumuis piæ curam assumeret, aut ad eam assumendam se propensum osten-

deret Præside incolsulto; ne Proceres, ac Magnates adeat, sine summi, qui in ea vrbe sit, Præpositi veniâ.

Ad hæc, quoniam magnes familiaritatum rapacissimus est emolumenti spes, ita Societas sese formauit, vt quæcumque illecebrosa in Aulis ostentantur, essent nostris insperabilia; externis honoribus, muneribusque inexpugnabili voti religione perpetuò repulsis. Quin etiam eò vsque in hoc studio processit, vt consuetum cæteris Religiosis familijs cuiuspiam Purpurati patrocinium recusauerit, patiens hoc adiumento exarmari, quò sodalibus ansam omnem subduceret terendi limina potentiorum, & studiosiùs nonnumquam fautoribus, quàm promeritis ad optata connitendi.

Cum his legibus vniuersè sic positis tam sedula nostrorum Antistitum diligentia in eamdem Societatis ab Aulâ dissociationem conspirat, vt id ipsum multi, quibus quæcumque nostra sunt, technæ ac vitia sunt, cauillentur; quasi Præpositi subditos cuiusque adiutoris clientela nudos velint, adeòque ad herilis tanquam virgæ immite arbitrium improtectos: Huc detorquent prohibita nobis magnatum limina, huc iussionem, *quæcumque cum exteris egerimus Præposito renunciandi, quatenus rei natura exiget, atque hic velle censebitur*. Quam regulam inaudientes confestim interpretantur, nihil exteros mutire posse, apud nostros tam arcanũ, quod tãquam vnda, e fontanis fistulis in alueum, sic è nostris in Præpositi aures extemplo non confluat. Sed falso falsius. Non tantùm arcana, quæ tanquam deposita, credere alteri nefas est, sed communia, & arbitrariæ narrationis adeò Præpositis non referuntur, vt ipse cum tertium decimum in Societate annum agam, haud meminerim, me vnquam eiusmodi regulæ religione quidquam ab exteris auditum Antistiti denarrasse. Scimus enim regulam illam non aliud satagere, quàm vt si quid negotij incideret, quo Societatis incrementum, aut pernicies contineretur, vel si quid nobis extra ministeria nobis propria aggrediendum occurreret, id Præposito aperiatur, quò publicæ rei consultius prouideat, nobisque, quid amplexandum, quid repudiandum ad religiosæ virtutis normam præscribat.

Retinet, quoque nos ab Aulę cõmercio validissimum frœnum,

num, odium populare nostrorum. Nullum enim genus hominum vidi, quod nostri sodales infensiùs stomachentur, quã quos Aula blandius exosculatur. Hi quidèm foris potentes & culti, domi nulli, & neglecti, vsque ad offensionem aliquando (vti multitudinis indignatio liberrima est) supremi cuiuspiam Principis, cuius florent beneuolentiæ. Neque verò cessant Generalis Præpositi monitiones, quà encyclicæ, quà priuatæ, huiusmodi hominum animos atque aures diuerberare. Haud diu est cum summus Pontifex Innocentius Decimus pro suâ in religiosos Ordines vigilantiâ, quædam capita, vt supra narraui, proposuit Patribus in Octauo Conuentu Generali coactis, inter quæ illud erat, vt nostri ab alienis, ac præsertim publicis negotiis abstinerent. Id enimuerò summa omnium assensione probatum; & Præpositus Generalis in sua paranetica ad vniuersam Societatem epistolâ hanc paternam supremi Pastoris admonitionem commendans, seriò præcepit & priuatis inuiolatam iussi custodiam, & præpositis seueram in violatores animadnersionem.

Videntur hic mihi talia disputanti quidam perspicaciores ita interfari: Apage; hæc quidem simulantur in cute; at interiùs omnia alia: iuuat vos magnis immiscere, & grandes tanquam mentes non ima tantùm, & priuata, sed summas Regnorum Sphæras circumuoluere: Tanta enim est Generalis Præsidis in Societatem potentia, vt si seriò, non dicam præciperet, sed innueret, cuncti nutum illum pro numine venerarentur. Hæc à plebe dictitari non miror; hoc est ab hominum natione, quæ præ oculorum debilitate, omnia, vt Pentheus ille, duplicia, nihil tanquam simplex intuetur: quæque Rectorum potentiam pro iure, non pro subditorum voluntate metitur. At hæc effari viros, rerum publicarum gnaros, ac peritos, non crederem, nisi experirer.

Et primùm de simulatione: Quando Regum consilia (modo diuturna) quanquam paucis credita, & vulgantibus exitium paratura, tandem foris parent, an diuturnas habebunt latebras ea quæ statuit, ac probat innumerabile hominum agmen toto terrarum orbe diffusum, & ex quo crebra multorum vel transfugia, vel ad aliena Signa migrationes? An non saltem Principes viri, quorum scrutationi nihil im-

perunum, arcana hæc noſtra reſcirent, ac ſimulationem, deteſtatum hominibus vitium, traducerent, ac ſtomacharentur? Certè, vt de reliquis ſileam, quicumque Vincentium Caraſam de alloquio nouit, non potuit ſuſpicionem habere tam ferream, quin eam protinus excuſſerit, eiuſque in loquendo, agendoque candorem non admauerit. Hic ne igitur, qui omnem ætatem à profanis notitijs, nedum negotijs, vſque adeò diremit, vt hanc vnam in magiſtratu pateretur notam, publicarum rerum vel notiſſimarum ignorationem, quique ſi quis alius, Deo confiſus humana terriculamenta calcauit quò diſciplinam inuiolatè tueretur, diſſimulaſſe credendus eſt, aut neglexiſſe in regimine, quod tam obnixè in litteris diſſuaſit, ac vetuit? Quod ſi res ex mera vtilitate penſetur; an adeò hebetes credimur, quin videamus nullam aliam eſſe nubem, ex qua inſtet nobis procella Societatem euerſura, quàm vapores noſtros in Aulæ Cœlum malè ſublatos? Hinc potentium offenſiones, hinc populorum, improſperos euentus & iuſſiones aſperas deteſtantium, in nos tanquam in authores, aut ſuffragatores turbæ, hinc fracta Præpoſiti Generalis poteſtas in ſubditos, quippe magnis patrocinijs obarmatos, & pro aulicis laboribus impetrantes facilem remuneranti, peſtiferam nobis mercedem principales iuſſiones religioſis præceptis intercedentes. Euſtra, ſi placet, Annales noſtros; & intueberis quàm nobis expertum, quàm intellectum, quàm deteſtatum, non aliunde in hanc claſſem ſuſcitari immaniores fluctus, & ſumma naufragiorum diſcrimina, quàm ceu Ithacis, ex inſolentiore Aulæ aurâ domeſticos vtres inflante. Qui nam præ nobis tutiores, qui nam impenſius amore, ac veneratione culti, ſi ea tantum munia complectamur, quæ ſuperis accepta, hominibus ſalutaria, nemini infenſa, extra aleam infortunati euentus collocata?

At enim, quis vobis hoc negat, niſi vos ipſi? Reſpondere nobiſcum debebunt huic percontationi Ordines Religioſorum Sanctiſſimi, quibus nil aſperius, nil humilius, quod Acatholicis oſtenter, habet Eccleſia. Nempe ne horum quidem auſteritas, ſolitudo, ſanctimonia ab eiuſmodi contagio immunis. Maior eſt magnatum potentia, quàm vt illi certet

inter-

interimis iurisdictio Cœnobiarchæ. Iactant speciosas causas, publicum bonum, Catholicæ Religionis incrementum, Dei Gloriam grande illud vocabulum nullis non criminibus patrocinatum. Si restiteris, obiurgant, indignantur; modò vim, modò vltionem minati; aut, cum mitissimè, intermissionem adipmenti, finè quo non magis possumus aut viuere, aut agere, quàm inferiores causæ superiorum ope subtractâ. Quid ergo? multa permittere necesse est, quæ non tantùm nostra, sed ne summa quidem iuxtà Deum in Terris auctoritas prohibere valet; quando non semper qui causâ, idem & viribus, potior est. Et verò interdum accidit, vt quorum Principum acrior est in nos querela, quòd nostrum quispiam in alienis Aulis incommoda, vel ingrata ipsis moliatur, quo nomine Societatem vniuersam accusant vti consciam, ac ream, eorumdem imperium intuitissimâ Societate alios è nostris adiciat ad negotia, quæ nec nobis minùs aliena, nec alijs Principibus minùs querenda.

CAPVT Vltimum.

De multiplici Societatis exulatione ex varijs Europæ Regnis.

ACcusationibus singillatim purgatis, supereſt vt euertam magnificam quamdam, speciosamque illarum confirmationem. Hanc struunt crebræ nostrorum expulsiones, crebra exilia, præclaris Europæ Prouincijs, quarum offensionem commeruisse, non innocentissimæ probitatis est argumentum.

Haud me fugit, hoc loco vsurpatam à nostris communem illam vindicationem: eximiæ virtutis esse, prauis, hoc est plurimis, displicere: qui, vt in corpore noxij humores, si multi fuerint, sinceros ex aliqua parte inficiunt ac pertrahunt,

hant, ita impetu suo quosdam ex bonis in eandem calumniam deceptos rapiunt: Grauioribus longè insectationibus, & calumniantibus Christi fidem per multa sæcula laborasse; In quam sententiam exemplis, comparationibus, sapientum effatis eloquentissimè declamatur.

Ego verò meliore in loco me versari confido, quàm vt cogar miseram hanc defensionem arripere. Vt enim verissimum sit, aliquando probos odijs, & calumnijs vexari; quis tamen neget, odium publicum magnam esse notam improbitatis? Etenimuerò proditores, incæsti, parricidæ, sacrilegi hac nota sunt insigniti. Virtutem, rem asperam, sed Reipublicæ salutarem, pauci quidem sectantur, sed plerique diligunt. Nil illâ amabilius esse, commune dictatum est. Etenimuerò si Christiana Religio non aliud innocentiæ suæ documentum exhiberet, quàm veteres, recentesque Principum iras, ac damnationes, perinde rem conficeret, ac si quis ad integritatis patefactionem produceret acta plurium tribunalium, in quibus vel de flagitio suspectus fuerit, vel etiam damnatus. Hoc si prodesset, magnus pararetur clypeus sceleſtissimis quibusque impiorum sectis, ad quas exterminandas communi tanquam fœdere mortales conspirarunt.

Aliam ergo defensionis viam ineo, eamque prorsus oppositam. Publicæ existimationis tribunal non recuso; modò nullum in hoc tribunali detur suffragij ius Principibus, ac populis illis, quorum iudicio Christus ipse, ac Petrus succumberent; hoc est ethnicis, hæreticisque. Ideò de Transiluanicâ, Boemicâ Rheticâ, Britannicâ, cæterisque similibus proscriptionibus, ac turbis nullus mihi sermo ad defensionem; sed ostentatio ad gloriam: quid enim illustrius ad Apostolorum imitamentum, quod profitemur, quàm quod ipsis iucundissimum fuit; *Pro nomine Iesu contumeliam pati?* His ergo iudicibus expunctis, ceterorum tribunal non modò tanquam corruptum non declino, sed tanquam Areopagi appello. At quoniam in hoc tribunali tot sunt Areopagitæ quot Ciuitates, quot Respublicæ, quot Regna; placet cursim suffragia tum numerare, tum expendere, &, si qua varietas, conferre, vt liqueat vtri parti adiudicatum. In qua-

tamen

tamen re ne actum agam, & ne ipsa testimoniorum multitudine fastidiosus quispiam lector fatigetur magis, quam doceatur; non est animus hic reponere quæ Patres nostri ex prouincia Flandrobelgica latius cumularunt in Codice cui titulus, *Imago primi sæculi Societatis Iesu*. Vbi, præsertim libro quinto, cuius epigraphe, *Societas bonorum*, ex authenticis documentis, atque exterorum historijs exscripta Pontificũ, Cardinalium, Cæsarum, Regum, cœterorumque Principum, Vrbium, Procerum, Magistratuum, virorum sanctimoniâ, doctrinâue præfulgentium in Societatem Iesu per omnem ætatem, perque omnes mundi plagas infinita præconia: quæ recitasse superbum fuisset, si ad gloriationem, non ad purgationem, & ni ibi non tam nostras recitantium laudes, quàm paterna exempla laudabiliter agendi agnosceremus. Hæc igitur transeo, vt ab alijs congesta, & mihi non opportuna. Quoniam verò fidelior animi interpres, adeòque laudatrix eloquentior, manus, quàm lingua; ideò, vt quam breuissimè conficiam, insigniora quædam indicabo ex innumerabilibus beneficijs quibus vniuersa Christiana Respublica, atque in primis eiusdem supremi Moderatores continenter Societatem nostram complexi sunt.

Age, Romani Pontifices miro consensu per innumera diplomata, quæ in omnium manu sunt, Societatem priuilegijs, atque immunitatibus amplissimis vsque ad magnam inuidiam instruxerunt: cœlesti cultu multos ex nostris honestarunt; Romanum Collegium, hoc est Academiam totius Christiani Orbis celeberrimam, magnificè constructum, opiparè dotatum nostris tradiderunt. Germanicum idemque Hungaricum, Anglicanum, Scotum, Græcum, Hibernum, Maroniticum Collegia regali liberalitate fundata per eosdem nobis commissa: Seminarium Romanum, hoc est Italicæ nobilitatis florale, nostræ disciplinæ consignatum: In Vaticanæ Basilicæ, atque in Aedis Lauretanæ suggestus, confitentium peregrinorum frequentiâ cultissimos, & grauiores noxas dimittendi facultate supremos, nostri Sodales impositi: Ne referam alia munera, & quidem præcipua, quæ in grauissimis Purpuratorum Conuentibus exercemus. Accedunt tres ex nostris reluctantes à Christi Vicarijs anathe-

ma

ma interminatis ad sacram purpuram euecti: quales autem viri? Toletus, Bellarminus, Lugus. Accedit sæcularis Societatis annus nuper Vrbano Octauo Romano Pontifice, Pontificijsque consanguineis plausoribus, ac largitoribus celebratus.

Neque segnior in nos Apostolici Senatus beneuolentia. Vnum pro cunctis argumentis fuerit decretum illud, quo amplissimi Patres Concilij Tridentini sanctionibus explicandis, atq; vrgendis impositi iussere, in edocendis adolescentium Seminarijs ab eodem Cõcilio imperatis Sodales nostros sicubi domicilium habeant reliquis anteferri. Certè in duobus nostremis pro nouo Pontificis lectione Comitijs vidimus illud quod exhiberepossit purpureus Senatus, nos fiduciæ, atque honoris testimonium; quando ex nostris delectus est, cui Cardinales ad negotium in terris cœlestissimum coacti, tanquam diuino iudici se sisterent, latebras arcanissimas aperirent, salutem, atque animas crederent.

Hæc Romani Pontifices eorumque Senatus; quid autem in vniuersa Germania Romani Cęsares? Catholicæ Religionis tutelam, iuuentutis educationem, Augustam sobolem, se ipsos, suæque conscientiæ regimen nostræ fidei configna-runt. Quis numeret Collegia nostra ab ipsis erecta, Academias nostris præceptoribus instructas, munera Societati demandata? Certè Ferdinandi Secundi, hoc est Cæsaris pietate non minus, quam gloria inclyti, in supremis tabulis præclarissimum de Societate Iesu testimonium ita omnem exceptionem superat, vt nulla in terris luculentior probatio virtutis. Consensere autem cum Cæsaribus in Germania Catholici Principes non infulati tantùm, sed fagati, Austriaci, Bauarus, Neoburgicus, alij, quorum vel nomina, vel beneficia reticere ingratum, nisi recensere infinitum esset.

Haud dispar successus in inferiori Germania. Adeò nostram operam Reipublicæ Christianæ proficientem in Belgio Philippus Secundus Rex, & Alexander Parmensis supremus Gubernator existimarunt, vt expugnatis vrbibus nullam arcem vtiliorem dicerent imponi posse ad fidei Regi debitæ munimentum, quam Societatis nostræ Collegium. Satis sit memorare nobilem illam, quàm vocant *Missionem*

Ca-

Castrensem ab Alexandro institutam, in qua sodales nostri inter durissima bellorum incommoda inter mille obuersantes mortis imagines, saucios, ac moribundos milites in ipso prælio iuuant præsenti ope: ægris corporibus qualecumque subsidium, animis medicinam certissimam in summo discrimine ministrantes.

Hungaria Germaniæ finitima obnitente Cæsare à nobis aualsit, quem Primatem suum in Strigoniensi statione collocaret Catholicæ fidei vigilem, eumdemque inuictum Mehemeticis eluuionibus munimentum: Pasmanum loquor, qui dein purpura cohonestatus, & virtute ornatior quàm veste, multa in eo Regno Collegia tanquam Cœli armamentaria nobis ædificauit.

Sciscitaris, ecquid Polonia Poloniſque Regibus vectigales Prouinciæ huic Sodalitati propitiæ? Dispice Academiam præclarissimam Vilnensem à nobis administratam, dispice tot insignia Collegia, tot magnifica Templa, quæ inibi possidemus. Quære num Stephanus Battoreus, Stephanique successor Sigismundus Tertius, antiquæ pietatis in amplissimo Poloniæ Regno hæreticâ superstitione discerpto reparatores eximij, per alios milites frequentiùs, aut fœliciùs nouatorum agmina profligauerint. An non ipsi, an non Reginæ, an non Regalis Sigismundi soboles ex nostrâ Societate sibi legere consueuerunt conscientiæ moderatores ac diuini verbi præcones? Quid multis opus est? faustissima eiusdem progenies Casimirus, cuius nuper, inauguratio Poloniæ pacem, Religioni securitatem restituit, paucos ante annos in nostro panno victitare, ac dextrâ sceptro debitâ emendicare gloriosum duxit: suspiciente tum Româ grandius aliquid pariter ac fœlicius, quàm *mendicatum victa Chartagine panē* à Mario: Ille ciuili manu, hic regali: Alter contemptum fortunæ ludibrium, alter dilectum plausori Cælo spectaculū. At non ita, inquies, in Gallia res vobis fluxere prosperrimè, serò admissis, indecorè pulsis, diu exulantibus. Benè habet: in Galliæ iudicium vltro consentiamus. Serò nos admisit, sed Lotharingis Principibus, sed inclytis Purpuratis, ac Proceribus, sed Regibus ipsis nostræ admissioni suffragia corrogantibus. Cæterùm, quando omnia noua, & per se suspe-

cta, &, sicubi, in eo Regno intuta, serò admisisse cautionis fuit, idq. admissionem, non temeritatis, sed consilij opus fuisse demonstrat. Pulsi deinde, fateor, sed à Rege cuius causa diu fuerat apud Gallos obscura: ita vt Regnum illud florentissimum factionibus discissum ignorauerit, vtra pars magis pro ipsa Gallia pugnaret. Nostri, rerum interiorum inscij, se se adiecerunt ad ea vexilla, quæ Catholicæ Religionis nomen præferebant; sub quibus tot Galliæ Præsules, ac Dynastæ; pro quibus Romani Pontifices. Vicit Henricus, magno non solùm Galliæ, sed Catholicæ Religionis bono. Is non dum obducta veterum in nos offensionum cicatrice, inopinato perduellis adolescētis, inque gymnasijs nostris versati Ioannis Castelli vulnere sauciatus, ac tantùm non confossus, facilem præbuit animum suspicioni in partem criminis Societatem vocanti: Nostros è Regno exturbat; probrosâ epigraphe pyramidi insculptâ ceu conscios flagitij in omnem ætatem infamat. Ita se res habet: Recipis ne, quicumque talia nobis exprobras, magni huius Henrici de nobis supremum, constansque iudicium, tanquam veritatis, ac prudentiæ germanum oraculum, non tanquam fallacem hallucinati amore animi persuasionem? Scilicet quid tam commune, quàm odisse quem insigniter læseris, & a quo te insigniter læsum credas? Ille idem Henricus, qui nos vt perduelles suoque capiti insidiatos, exilio, infamiaque multauerat, in Parisiensi Senatu pro nobis causam dicit. Extat oratio apud Petrum Matthæum, & Scipionem Duplexium militaris eloquentiæ plena, & Gallico Hercule aureas ex ore catenas fundente dignissima, quam si quis legerit, roboreus sit ni omnem de nobis suspicionem exuerit. Quid factum? Continuò Henricus ex Senatusconsulti authoritate nos reuocat: ignominiæ monumentum euertit; Claramontanum, ac Flexiense Collegia, hoc est Gallicæ virtutis, ac nobilitatis palæstras, nobis committit: nec tantum Flexiam natale solum, sed Benearniam auitum Principatum, nobis excolendum addicit: animam viuens nostris credit, cor moriens legat. Demum breuis calamitas tam insigni vbertate rependitur, vt tres, quæ ante proscriptionem Gallicæ nobis erant Prouinciæ, in quinque succreuerint. Deinceps verò paternæ

vir-

virtutis, & gloriæ magnus æmulator Ludouicus Tertiusdecimus, pietatis atque innocentiæ seruantissimus Rex, non alios quàm Societatis Iesu sodales adlegit conscientiæ suæ rectores; quos templis, Collegijs, muneribus tam largè donauit, vt vix Regum alius in nos vnquam munificentior. Sed quod omne beneficium excellit, authographis literis honoris in nos ac beneuolentiæ plenis impetrauit à Gregorio Quintodecimo, vt Ignatius noster Societatis fundator Sanctorum cultu decoraretur. Nempe hoc fuit tantorum Galliæ Regum de Societate iudicium.

Quid Lusitani? Societate vix dum exortâ, Ioannes Rex huius nominis Tertius sapperias ex ea petit ad Orientis illustrationem: Magnum Xauerium futurum Indorum Apostolum expedit; regiæ sobolis cultores ex nostris adoptat: præclara Societatis Collegia excitat in Lusitania: vbi successores Reges amplissimè nos munerati præ alijs beneficijs Eborensem Academiam, nouas tanquam Athenas, totas nobis addixerunt.

De Hispaniâ enim satis exponere quis possit? Dedit illa Ignatium, & Xauerium, quos vt parentes diligimus, vt Diuos adoramus. Dedit Franciscum Borgiam regali cognatione fulgentem, Regnorum administratione nobilitatum, grãde pietatis, atque humilitatis exemplum, adeòque Altaribus inferendum. Dedit affatim ex præcipuis magnatum familijs sodales inclytos, dedit summa huius seculi ornamenta Toletum, Suarium, Vasquium, Lugum, Sancium, Molinam, vt alios mittam, quorum & census inexputabilis, & quisque satis per se familiam integram decoraret; Dedit permagnam insignium Collegiorum multitudinem; Dedit Matriti disciplinarum omnium Athenæum à Philippo Quarto regaliter excitatum; Dedit populorum venerationem, atque æstimationem tantam, vt meritis illam æquare vix nostrum fuerit. Dedit in nouo terrarum Orbe ad occidentem solem versò tã vbere Collegiorum, Gymnasiorum munerum copiam, vt ea per se sola amplissimi, ac præstantissimi Ordinis & operarios omnes expeteret, & vires consumeret.

Denique vt in Italiâ consistamus, An non flos Romanæ, Neapolitanæ, Siculæ, Insubricæ, Ligusticæ, atque Etruscæ nobilitatis Societatem in hac Prouincia quasi contexit,

ac pingit? Lustra, si placet, regales Italiæ Vrbes, & De Roma nuper affatim dixi: Neapolis, Panormus, Messana, Mediolanum non inter postrema suæ pulchritudinis, ac magnificentiæ decora numerant nostras Academias, nostra Templa: illis, spem gentis, lectissimam sobolem fingendam, comme ndant: hæc populum, Proceres, Matronas, omnes ciuium ordines assiduos cultores excipiunt. Quod si de Italicis Principibus loqui iuuat, quis nam eorum est, quin eximia in nos beneuolentiæ, atque honoris argumenta præbuerit? Pauca ex innumeris carpam. Estenses Ferrariense, & Carpense Collegia nobis largiti: Gonzagæ Mantuanam Academiam: Tum verò Mantuanum, & Castilionense Collegia & Nouellariensis Domus probationis per nos fundata. Sabaudi Camberiense Collegium, & Chericusem probationis Domum posuere. Sed Farnesiorum in nos beneficia quis verbis exæquet? Paulus Tertius Institutum confirmauit, Societatem peperit; Octauius Pauli nepos Placentinum Collegium excitauit; Octauij Filius Alexander Societatem in Belgio proseminauit, atque auxit; Alter Alexander Octauij frater Vaticanâ togâ inclytus Romæ Templum, quod futuris in ea Vrbe Templis exemplar esset artis, ac maiestatis, erexit. Odoardus, Alexandro Duce genitus, & magnum Romanæ purpuræ decus, Templum à Patruo excitatum, sumptuosis ædibus in Professorum habitationem magnificè cumulauit; Odoardi Frater Ranutius Dux Parmensem Academiam, Parmense Collegium nobis largitus, adhæc Parmense Seminarium Insubricâ, & Liguſticâ nobilitate refertissimum nostræ procurationis fecit.

Hæc nimirum sunt Catholicorum Principum, ac populorum vbique gentium de Societate sententiæ, aureis tanquam calculis, hoc est aureis beneficijs, explicatæ.

Hic nobis exprobrant Aduersarij vnam, sed grauissimam Venetæ Reipublicæ refragantem existimationem. Cum enim diuiam in eius Vrbibus magno populi fauore, ac frequentia, magnis perpetuisque liberalitatis officijs ac muneribus frueremur, cùm Venetijs gymnasia nostra frequentissima patritijs tantùm pedibus tererentur, obortis inter Romanum Pontificem, ac Venetum Senatum de iurisdictione dis-

cor-

Digitized by Google

sordidis, vexationibus finibus non sine [illegible]. Sed [illegible] gnantia, & quæ huic in summis potestatibus proxima est, ob [illegible] discessimus: Tum verò rebus cum Pontifice [illegible] positis, redita nobis interdicti, quæ omnes perturbas, [illegible] que indecoro opprobrio multati. Quid dū hoc? Equidem firma [illegible] de reiecti suffragij nos reprobamus auctoritatem [illegible] audeat, non modò falsam, sed de generibus hoc [illegible]. Horum quippe sunt sanguis, quibus nihil pulchrius, nihil vi tatius quàm proinde Venetorum Respublica sanguinem [illegible] denouere, quin & numerabunt inter primaria gentis decora Venetæ in se munificentiæ honorifica monumenta. Ingenuè loquar; Magnum siquidem contra nos præiudicium, sed tamen vnicum ab hoc quoque nec singulis per se mille ex tot aliorum Regum iudicijs repensum: Scilicet inest Venetæ Senatui æquitas animi, ac moderatio vt si in magno quodam vniuersæ Catholicæ gentis Consilio de cuiuspiam Rei causâ decernaretur, numeratisque suffragijs omnia Reo propitia præter suum Venetum reperirent, non id sibi dandum vellent; quantumuis posse fingamus, vt cunctis alijs absoluentibus vna Venetorum aduersitas præualeret ad damnationem. L. Murænæ Consulatui resistebat Cato, vir ille cuius placitum aduerso Deorum placito æquare Lucanus non dubitauit. Non ideò passus est Cicero, Catonis ille amator, atque æstimator addictissimus, magni vnius intercessionem plus authoritatis habere ad repulsam, quàm studia plurimorum ad fasces. Nec tamen Muræna, perinde ac nos, habebat quos vni aduersanti Catoni opponeret, multos Catones sibi fauentes.

Sapientissima quidem est Venetorum Respublica, sed hoc ipsum eius sapientiæ est, noscere nullam esse inter mortales sapientiam extra aleam erroris, adeòque non putare alienum à se quod laudatissimæ illæ Atheniensiū, ac Romanorū Respublicæ humanitùs aliquando sunt passæ, vt ex falsa persuasione integerrimos condemnauerint.

Ab Atheniensibus Socrates interemptus, Aristides eiuratus: ab Vrbe Româ exulare coacti sunt Camillus, Scipio, Marius, Tullius, hoc est, quâ manu, quâ lingnâ, fulmina, & sydera Romani Cœli. At enim, inquies, ijdem Camillus,

Ma-

Marius, Tullius postea tam honorifice reuocati, vt minus doctorum illis fore inuidendum. Ita plane, neque hæc exempla à Venetorum Senatu aliena, quippe intelligẽte vilis ingenij esse fuisque tenuitatis vt conficiat sententia pectoris, errare me videatur existe. Ne videatur, inquam, nec enim res vera semper erit, semper iniustus est qui damnat insontem: aliquando falsa, vt sit Philosophus, sunt probabiliora veris. Diuini oculi est nescire, humanæ species rerum, dispicere. Spem nobis facit nemo. Veteris fortunata catastrophe grandium Senatorum ex dedecore in gloriam. Antonius Grimanus maritimus Imperator, cum apud Sporadas insulas male pugnasset, exauthoratus, compeditus, in carcerem, sustentante patris compedes Dominico Cardinali coniectus in Ostiarium infoelicem insulam relegatus. Quid tamen? aliquot post annis, mille trecentis amplius patriciorum calculis absolutus, reuocatur, magistratui restituitur, Princeps demum Venetæ Reipublicæ renunciatur. Quæris recentiora? postremis hisce temporibus vidimus Aloysium Foscarinũ tanquam patriæ sibi proditorem infami carnificis manu strangulatum. Paucis deinde post annis eiusdem nomen ac cineres, detecta hominis innocentia, nobili epigraphe condecorantur, qualibet ignominiæ detersa.

Hæc probitas; hæc iustitia est magnanimi Senatus, cui iucũdum est damnare posse sententiam suam, vt semel damnatum absoluat. Quamquam verò ab illis nos criminibus innocuos intelligam, quibus aliquid Venetum Senatum ac ciues, adulari cõsueta principalibus indignationibus fama, benè tornatis quorumdam calumnijs decepta, nos immeritos, onerauit; non idcirco qualemcunque nostrorum culpam in eà causâ dissimulem. In lubrico gradum seruare, nec prudentiæ, arctissimos fines aut linguæ, aut calamo transilire nasum est, atque arduum. Transilierunt aliqui ex nostris; & quidem (nec enim dissimulare nasum est) adeò transilierunt, vt extra defensionem fuerint, ac extra veniam nihil decernam. Præstò mihi esset verus dictum illud ab Aristotele laudatum: *Haud par est mortalium iracundiæ immortales.* Id ratum esto: non ex quorumdam peccato manare debet ad omnes, & scilicet ad posteros, pœna. Certè Deus (ex quo Principibus

ceu

Vicarijs exẽpla petenda sunt) mollioré exercuit indignatione in homines quòd nõ suo sed parentum crimine tenerentur.

Hæc initis imitamenta Diuinitatis augurabitur nobis præclarissimæ Reipublicæ bonitas & clementia. Interim eius quidem potestatis erit, vt illinc corpore, sed non vt animis exulemus. Hac meliore nostri parte, quæ nullis vllijs, nullis obijcibus arcetur, Vrbem Italiæ propugnaculum, Libertatis Regiam, Prudentiæ cortinam, amanter inhabitamus, felicia precantes, in rebus trepidis anxij, clades miserati, victorijs plaudẽtes; haud vnquã immemores, Venetias paratas à Deo primum ceu theatrum heroicæ sanctitatis Ignatio & Xauerio cùm Societatem parturiebant: Vbi postea dum mansimus, nullum desideratum est in nos officium caritatis honoris, ac munificentiæ; Vbi etiam nunc plures non desunt nobis beneuoli, quantũ patriæ fides, & Senatus reuerẽtia cõcedit. Quocirca rationibus ritè subductis, ex eadẽ Republica nõ leniora pro nobis, quã in nos argumenta promuntur.

Hæc habui quæ proferenda putauerim exempla vindicationum copia, quas causæ probitas suggerebat. Earum plures transire placuit, tum ne prolixa defensionum conscriptio Lectoris pro fauore fastidium reportaret, quando nec testium turbam leges ciuiles admittunt: tum ne nostra hæc Societatis tuitio hostili vnquam vulnere fœdaretur: quamobrem non ea deligere visum est arma, quę ad victoriam præualida, nisi eadem ad prælium incruenta. Per hęc tamen, satis me cõfeciſſe arbitror apud lectores meos; hoc est apud veritatis amatores, quos tantum operis initio compellaui. Cum alijs profectò mihi negotium non est, quorum linguæ cunctis amarulentę sibi vnis melliflue sunt, quia maledico felle sibi loquentibus mellito scatent; quorum iudicia adeò ad condemnandum prona, vt apud eos verosimile, ac flagitium, incredibile, ac probitas vnum sint; quibus denique odium humani generis regula videtur esse tum opinionis, tũ sermonis. Hos itaque rationibus flectere vltra spem quin vt verum fatear; vltra votum: Tunc enim seriò verendum ne Societati nostræ veræ materia criminationis innascatur, cum contra se falsæ obtrectationis libidinem extinctam senserit: Nimirum nulla tutiòr Innocentiæ custos quàm Calumnia.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM

Numerus paginam, littera P. M. F. principium medium, vel finem designat.

A

ADMITTENDI in Societatem quibus instructi doctibus esse debeant pag. 45. P.
Facultatem a consanguineis an obtinere debeant p. 71. P.
Alexandri Parmensis de Societate iudicium 400. F.
Ambitio in Societate habet poenas grauissimas p. 352. F.
Praecluditur illi aditus in Societatem voto de non accepienda dignitate externa p. 322. P.
Amicitiae inter homines Societatis suauitas p. 80. F.
Antiquitatis authoritas p. 40. M.
Argutiarum vsus, an in professoribus humaniorum litterarum damnandus p. 171. P.
Aristoteles quanta authoritate ferè apud omnes polleat p. 182. F.
illius doctrinae Societas addicta p. 179. F. & pag. 194. P.
Asperitas a Societate non colitur sed temperantia p. 388. P.
Assistentes quinq; in consiliarios Generali Societatis assignati. Eorum munus, & potestas in Societate ibid. F. p. 343. M.
Auaritiae criminatio Societati cum sanctissimis Religiosis ordinibus communis p. 380. F.
Cur Societati tribuitur p. 384. F.
Purgatur criminatio, p. 381. P.
Quibus legibus hoc vitium a Societate arcetur p. 388. P.
Aulae comercium Societati in suis alumnis inuisum p. 394. M.
Societati pernicioſum p. 396. M.

B

BEneuolentia Christianorum Principum erga Societatem p. 399. M.

C

CAEsares Romani quantum amoris & munificentiae exercuerint in Societatem p. 400. M.
Caritas Societatis in Nosocomio Lateranensi p. 369. P.
Cardinalium in Societatem, eximij amoris & propensionis argumenta p. 400. P
Cautio in suos à Societate adhibita, securitatem de se parit in externis p. 57. M.
Castigatio corporis in tironibus qualis p. 69. M.
Castitatis in Societate seueriſſima Custodia p. 353. F.
Coadiutorum gradus in Societate p. 61. F.
Collegia cura Fundatoribus praehabeantur domibus professorum p. 35. M.
Collegiorum multorum egestas cum fructu eorumdem comparata p. 34. M.
Concionatorum munus quantae dignitatis p. 65. M.

Con-

Contemplationis vtilium religioſo neceſſarium p. 511. F.
doctrinæ, & meditationis parens p. 512. F.
Continuatio peccatorum quando eſſet inuida, adhuc eſſet vtilis ad probitatem 39. P:
Conuiuia in Societate qualia p. 389. M.
Culpas detegere in Societate Vide Regula.

D.

DEſidia in Societate deſpecta & rara p. 37. M.
Dictandi vſus in Philoſophia. Vide Philoſophia.
Differentia religioſorum ordinum vnde ſumatur p. 10. F.
Dignitatum ambitus Societatis hominibus interdictus p. 81. M.
earum repudiatio quomodo honeſta cum illæ ſint bonę p. 324. P.
Dimiſſio e Religione quibus concedatur a Societate p. 102. F. & 150. P.
illa plus habet vtilitatis quam incommodi 102. M.
illam petentibus quomodo Societas medeatur. ibid.
Dimiſſi e Societate multi ne an pauci p. 102. F.
Diſtributio munerum melius committitur Generali, quam comitijs Prouincialibus vel vrbanis p. 362. F.
illa ſi fiat per ſuffragia ratio cadet in optimos p. 364. plerumq; in bonos p. 362.
Domorum profeſſarum in vniuerſa Societate numerus p. 35. M.
cur vſum chori non habeant ibid.
Diuiſio tironum a veteranis ob peculiarem rationem vſurpata a Societate p. 51. M.

E

EDucatio hominum in Societatis qualis p. 353. F.
Educatio tironum in Societate tanquam delicatior quam Apoſtolici muneris vitæ conueniat, immerito accuſatur p. 60. M.
Eligendi Generalis modus in Societate ſpondet eum fore optimum p. 352. M.
Epiſtolæ Præpoſit. Generalium an probent Societatem laborare illis nexis, quæ ibi exponuntur, vt putat Scottus p. 371. F.
Exiſtimatio ſublimior proprij Ordinis in Societate a ſuperbia nota vindicatur p. 379. F. & p. 376.
Exilia Societatis e varijs regionibus p. 397. F.
an probent illam malam. ibid.

F

FArneſiorum Familia quantis beneficijs Societatem auxerit p. 404. M.
Felicitas in vita Societatis p. 78. F.
Felicitas, quæ a quibuſdã philoſophis in indolentia conſtituitur illã in Societate reperitur p. 45. M.
Fictio probitatis in Societate difficilis p. 106. M.
Fiducia externorum in homines Societatis p. 57. P.
Finis Societatis, & modus illum quærendi p. 13. M.
eiuſdem finis præſtantia p. 14. M.

G

GAlliæ Rex pro Societate exulante cauſam apud Senatum ſuſcepit p. 402. P.
Galliæ regum inſignia in Societatem beneficia ibid. F.
Generalis Præp. in Societate poteſtas quanta, & quibus temperamentis contracta p. 343. P.
quas ob cauſas, & a quibus exauthorari poſſit. ibid.

illi-

Digitized by Google

illius eligendi modus optimum futurum spondet p. 352. M.
Germanorum Principum in Societatem beneuolentia p. 400. F.
Gloriæ fructus ex filijs societatem ingressis pertinet etiam ad parentes p. 81. F.
Graduum Societatis duplex classis, altera cõtinet professos, altera condiutores p. 253. F.
Grammaticæ scholas opportunè a Societate susceptas ostenditur cõtra Marianam p. 173. F.
cur in illis pueri diu à Societate detineantur p. 160. M.
Grammaticæ magistri an merito accusentur a Scotto tanquam minus satagentes, vt discipuli explicare authores sciant p. 162. F.
Gubernationis in Societate suauitas, & huius necessitas p. 350. F.

H

Hispania in Societatem liberalis, & beneuola p. 403. F.
Magnos, & doctissimos viros magno in numero tulit Societati ibid. M.
Honoris, & laudis cupido hominibus insita multorum acuit odia in Societatem p. 4. F.
Honor, & veneratio Societati exhibita virtute sola conciliantur p. 82. F.
Humanitatis scholas esse vtiles, & Reipublicæ, & Societati ostenditur contra Marianam p. 112. F.
Illis quales Magistri a Societate præficiantur tum in primarijs, tum in secundarijs vrbibus p. 133. F.
Humaniores litteræ etiam nostro æuo florentes p. 116. F.
recensentur aliqui nostro æuo in humaniori litteratura excellentes. ibid.
Humaniores litteræ quanto in honore apud Societatem habeantur p. 113. F.
Cur inter externos aliqui in humanioribus litteris præstantiores reperiantur illis, qui sunt in Societate p. 150. M.
Hungariæ amor erga Societatem p. 401. P.
Pasmanum e Societate ad Episcopatum, & primatis gradum, obnitente Cæsare euexit. ibid.

I

INconstantia in statu religioso nõ arguit leuitatem consilij precedentis p. 36. F.
Ingressus in religionem. Vide. Religio. Societas.
Io: Mariana Vide. Mariana.
Institutum Societatis a Paulo III. primum confirmatum p. 3. P.
Confirmatum etiam ab alijs Pontificibus, & vltimo a Paulo V. eo ritu, qui efficit leges, & statuta Papalia, vt vocant, p. 290. F.
Quælibet eius oppugnatio sub anathematis pœna prohibita p. 290. P.
Italiæ Principes quanto amore atq; honore prosecuti sunt Societatem p. 403. F.
Iulij Scotti in Societatem odium p. 156. M.
odij causæ p. 157. M.
Eius vita in Societate traducta p. 156. M.
Eius libri editi quid contineant p. 159. F.

L

Librorum edendorum intemperantia Societati obijcitur p. 240. F.
librorum etiam mediocrium editio vtilis reipublicæ nec indecora Societati p. 241. M. & p. 243. P.
Lusitania quantum Societatem amauerit quantisq; illam beneficijs excoluerit p. 403. M.

M

Magistrorum excellentiam in Societate necessitas p. 64. F.
Magistrorum Societis præstantia quomodo metienda p. 131. F.
eorum diligentia doctrina, & peritia cum externorum Magistrorum diligentia doctrina ac peritia comparata p. 134. F.
Congregationis Concilij in illos propensio p. 154. P.
Quinam aptiores ad erudiendam iuuentutem Magistri Societatis an externi & conductitij p. 134. F.
Quinam vtiliores: Publici, an priuati p. 135. M.
Magistri iuuenes ad scholas humanitatis aptiores p. 137. P.
Magistri in Societate cur non omnes Sacerdotes sint vt Scottus exigit p. 139. M.
Magistri Grammaticæ humanitatis, rethoricæ &c. Vide Gram. Humanitas &c.
Maleficiorum grauium infrequentia in Societate cui causæ tribuenda p. 211. F.
Mariana Scriptor in Societate non ignobilis p. 93. F.
Turbidus in Regem catholicum, & Societatem p. 95. M.
libellus continens monita ad Societatem directa illi adscriptus p. 94. P.
Meritorum ratio, quanta habeatur in Societate p. 562. M.
Ministeria Societatis caritate, & doctrina perficiuntur p. 25. M.
Exigunt prudentiam & experientiam p. 46. F.
eorum difficultas & regens momentum p. 56. M.
Monarchia verbis oppugnatur, factis vero approbatur ab omnibus ferè p. 330. P.
Monarchiæ commoda p. 334. M.
Monarchiæ incommoda p. 341. P.
Monarchiæ Societatis euersio frustra datis Innocentio X. supplicibus libellis tentata p. 335. F.
Congregationis Generalis sensus de Monarchia retinenda exquisitus ab Innocentio X. p. 336. M.
Monarchiæ incommoda quibus temperamentis & industrijs in Societate vitentur p. 342 P.
Antonij Perez de Monarchia Societatis iudicium p. 366. M.
De libello, Monarchia Solipsorum, inscripto iudicium p. 230. F.
Mortificatio V. Castigatio.
Mutatio morum crebra perniciosa p. 38. M.

N

Negocia publica hominibus Societatis interdicta p. 395. F.
Nomen *Societatis Iesu* quibus de causis ab Ignatio suo ordini impositum p. 18. M.
immerito reprehenditur ab aliquibus vt superbum p. 17. P.
Nouitas instituti inuidiam conflat Societati p. 2. P.
immerito reprehenditur a Mariana Ignatius quod illam studiosius quæsierit p. 98. P.
an tuto, & cum laude quærenda in opere ibid. F.

O

Obseruantia legum cur in aliquibus religiosis familijs vigeat in aliis iaceat p. 71. M.
Obseruantia in Societate post sæculum integrum non detrita, vt Scottus affirmat, sed in dies aucta. p. 360. P.
Obseruantia non est vbi non est substantia: vitæ effatum religiosissimis familiare. p. 382. F.
Obtrectationum in Societatem geminæ classis. p. 6. P.

Digitized by Google

Silere interillas noxium. p.7. M.
Odium quorundam in Societatem præ cæteris religiosis familijs. p.1.P.
OHuius odij in Societatem causæ. p.1. P.
Sicutiones etiam immeritæ à Societate vitandæ. p.71.M.
Otium. Vide desidia.

P

Paupertas Collegiorum & hominum Societatis. p. 381. M.
Paupertas arctior quam sit Societati non opportuna. p.386. M.
Peccati Mortalis in Societate horror, & infrequentia. p.77.F.
Peregrinationes à tironibus Societatis quales suscipiantur. p.68.M.
Periculorum frequentia in Societate supra alios religiosos ordines, pleniorem pietatis vbertatem, & probitatem naturæ postulat. p.38. M.
Philippi Secundi Hispaniarum Regis de Societate iudicium. p.400.F.
Philosophia in Societate quasi nimis Aristotelicæ auctoritati alligata sit, reprehenditur ab aliquibus. 179. F.
Refellitur hæc reprehensio. p. 181. M.
Phylosophia in Societate, quasi parui Aristotelis auctoritatem æstimans, nouas exquirat sententias, accusatur ab alijs. p. 180. F.
Diluitur accusatio. p.193.P.
Phylosophia an bene cum nouitate sententiarum conueniat. p.182.P. & 203. & pag. 195.
Dictandi vsus ad philosophiæ traditionem necessarius. p. 210. M.
A Philosophiæ professoribus in Societate cur leuiores aliquæ quæstiones pertractentur. p.201. M.
Cur ab eisdem contrarijs tradantur quæstiones de anima, & aliæ, quæ vulgò habentur pulcherrimæ. p. 208. P.
Pœnitentia votorum, quæ mali patrandi iuregram facultatē inuenit periculosior quam quæ nullam. p.56.F.
Hæc in Societate longo tirocinio præcauetur. Ibidem.
Poloni amoris argumenta in Societatem. p.401. M.
Poloniæ Reges quanti Societatem æstimauerint. Ibidem.
Professio solemnis quatuor votorum in Societate remuneratio maxima. p.113.F. & p.258.M.
Quando, & qua ætate conferatur. p.253.F.
Quinam ad illam admittantur. p.254.F.
Largius conferenda, quam pareius. p. 260. F.
An ex professorum multitudine vilescat. p. 263. F.
Iussu Pij V. super sacerdotio non nisi Professis saltem trium votorum in Societate conferendo à Greg. 13. & 4 rescissum. p. 267. F.
Professio trium votorum in Societate. p. 253.
Quibus conferatur. p. 254. F.
Professorum discrimen ab alijs tollendum esse Scotus suis rationibus non euincit. p.256. P. & p.267.F. p.259.
Psalmodia in religiosis ordinibus necessaria asseritur à Soto. p. 27.
Totum fere sibi hominem vendicat. p. 31, M.
Prædicationi, & doctrinæ posthabenda. p.32. P.
Eius vsus in Societate cur prætermissus. p.28.M.
Quamuis muneribus Societatis esset perfectior cur adhuc omitti ab illa deberet. p.32.M.
Omissio illius in Societate à Summis Pontificibus comprobata. p.40.P.

Digitized by Google

Non omninò à Societate neglecta sed statis diebus vsurpata. p. 49. M.
Protectorem Cardinalem cur Societas non habeat, vt aliæ religiosæ familiæ. p.389.F.
Quæstiones quædam leuiores in philosophia cur a professoribus Societis pertractentur omissis quibusdam grauioribus. V Philosophia.

R

Recreationes seu laxamenta a Societate suis exhibita. p. 389. M.
Regulæ Societatis nulla peccati obligatione deuinciunt. p. 78. M.
Regula Societatis super detegendis aliorum arcanis culpis a calumnia vindicatur p.270. F.
Eius praxis exponitur. p.271. & p. 273. P.
Communis etiam alijs religiosis ordinibus. p. 286. P.
Examinata a Greg. XIII. & approbata. p. 239.m.
Religiò quænam præstantissima. p. 15. F.
Vnitas religionis, quam varietatem artium ac ministeriorum excludit. p. 29. M.
sublimior opinio de propria religione non est superbia. p.374.F. & p.376.M.
Ingressus in religionem an sit res multi consilij. p. 78. F.
Degressus in Religione quæ commoda secum habet coniuncta, p. 270. P. & p. 78.
Ingressus in religione præstantiorum hominũ vtilis reipub. Refellitur dictum illud si omnes ingenio ac moribus præstantes cœnobia incolant non habebit humana respublica quos in magistratibus adhibeat. p.83.E.
Religiosus per quæ constituatur. p.896.
Vota simplicia in Societate verè religiosum constituunt. p.89.M.
Rhætoricæ professores in Societate immeritò accusantur a Scotto quod stilum non curent. p.163. F.
Quod Tullium ac Virgilium in pretio non habeant eisque moderniores præferant. p.166. P.
Quod toti sint in argutijs conquirendis. p.170.F.
Quod parum solliciti de obseruandis veterum rhetorum præceptis. p.172. P.

S

Sacerdotum dimissorum mendicitas falso obijcitur Societati a Scotto. p. 267. F.
Sacerdotum copia optabilis reipublicæ. p. 30. F.
Scholæ latinitatis & humanitatis. Vide Humanitates Scholæ, & Grammaticæ.
Secreta hominibus Societatis commissa falso ab eis detegi superiori creduntur. p.394.P.
Scholastici Societatis verè religiosi. p. 33. M.
Societas cum primùm à Paulo III. confirmata fuit, intra numerum sexaginta sociorum sistere iussa, mox fausto successu initia comprobante amplificari permissa. p. 3. P.
Odio ac fauori supra alios Ordines obnoxia. p. 2. P.
Suis prærogatiuis non expoliranda. p. 9. M.
In quo differat ab alijs religiosis ordinibus. p. 14. P.
Minima ab Ignatio nuncupata, p. 18. P.
An a pristina vistute aliqua ex parte defecerit vt Scottus contendit. p. 367. F
Societatis Iesu nomen cur illi impositum. 16. M.
Eius ministeria qualia Vide ministeria.

Digitized by Google

Vita in illa traducta felix. p.78.F.
Cum magnæ probabilitate salutis coniuncta. 16.M:
Ingressus in Societatem selectioris iuuentutis non solum reipublice innoxius sed etiam vtilis. p.82.M.
Henrici Galliæ Regis de Societate iudicium. Ibid.
Ingressus in Societatem exoptandus a pascatibus suis filijs. p. 78.M.
Etiam propter humanam fælicitatem.
Solipsorum monarchria vide monarcha.
Solitudo & recessus tironibus Societatis opportuna. p. 48. M.
Superbia falso tribuitur Societati tanquam aliena despicienti. p. 377,F. superbiæ
Superbiæ radix in hominibus religiosis non est præalta sui ordinis æstimatio & vehementior amor ergo illum. p. 379. F.
Hæc æstimatio non extirpanda immo fouenda tanquam fundamentum felicitatis. p.374.F.
Superiorum præstantia in Societate necessaria. p. 65. F.
Superiores supremi perpetui esse debent non temporarij. 333. P. & 356.M.
Superiores subordinati non debent esse perpetui. p. 359. P.

T

THeologia, rationibus, an Scripturæ sacræ & PP. testimonijs vtilius tractetur in Scholis. p. 166. P.
Melchioris Cani de hac re Sententia ibid.
Theologia quæ traditur in scholis Societatis valde conformis doctrinæ D.Thomæ ex præscripto superiorum p: 215. F. & p. 216, P.
in illa maior opinandi cautis, & minor nouitas fuit, quam apud vllum religiogionem ordinem. p. 220.F.
illa ab hæreticis doctrina Catholicorum appellatur.p.237.M.
Nouitas aliqua theologiæ permittitur in libris editis ab hominibus Societatis in exedris nulla.p.224.M.
Tullij ac Virgilij æstimatio quanta apud rethores Societatis.p.166. P
Tirocinij in longum protrahendi vsus antiquus.p,55.F.
Cur in Societate diuturnius quam in alijs religiosis ordinibus. p. 56. M
Tirocinij biennium in Societate difficile contrahitur.p.59.F.
à Pontificibus & approbatum Tridentini. ibid.
Tirones inuitis parentibus in Societatem non admittendi nisi sint matura ætate & iudicio: p 71.P,& 72.M.
In quibus operibus exerceri debent.p.36.M.44.M.
Cessatio à studijs eis opportuna.p.47.M
Qualis virtus colenda illis propoui debet.p.50.F.
An illorum educatio in Societate sit delicata, & mollis. p. 60. M. & p.61. & p.68. P.
Castigationes corporis in tironibus Societatis quales.68.P.& 69,M.
Eorum peregrinationes. ibid.
Eorum inconstantia consilij præcedentis leuitatem non asguit.p.76.F.
Eorum dimissio sine causa nulli Religioni arbitraria.p.92.M.
Expleto biennio quibus votis se obligent tirones in Societate.p.86.P.
VenctæReipublicæ authoritas. p.405.P.
Eius probitas & iustitia in reuocandis à se latis damnationibus p.406.M.

V

VIctus & cultus in Societate debet esse communis. p.61.F.
Victus in Societate ratio non delicata & opipara vt vulgo persuasũ.p.67.P

In

In illam à Pontificibus & Principibus inquisitum. ibid. M.
Ctus austeritas maiora bona impediret a Societate. p. 66. M.
Illam inoffensa valetudine exercere naturæ opus est, non virtutis. p. 66. F.
Vinceatij Carafæ Præposito Generalis insignis virtus. 370. P.
Voluptates in Societate quales. p. 79. F. & p. 80. P.
Vota quibus nouitij expleto biennio se obstringunt. p. 86. P.
An per illa euadant religiosi. 86. F. & 88. M. & 89. P.
An contractus qui in illis est fit iniquus. 89. F. 90. P.
Rationes quæ contra illorum solubilitatem adducũtur a Mariana reijciuntur, & illius vtilitas ostenditur. p. 101. M.
Votum professorum Societatis capessendi missiones ad nutum Pontificis etiam sine viatico, & eius praxis. p. 63. F.
Votum quo professi Societatis spondent, si adigantur ad Ecclesiæ cuiuspiam regimen se aduituros consilia Præpositi Generalis &c. a Neoterici oppugnationibus vindicatur à p. 281. P. vsque ad pag. 322.
Cur sola Societas illud exigat a suis professis. 317. M.
Votum professorum Societatis de non acceptanda dignitate externa nisi à Christi Vicario compellantur, ab obiectis calumnijs vindicatur. p. 323. P. & 323.

FINIS.

Digitized by Google

Menda quæ ſententiam vel vitiabant, vel obſcurabant, calamus emendauit. Leuiorum, ac patentiorum elenchum hìc habes.

pag. 2. l. 21. mon non 3. 20. ciuiuitates ciuitates 4. 13. fabulum fabulam 5. 2. protabile probabile 6. 23. modoramen moderamen 6. 28. per neceſſatium pernecessarium 7. 11. con duplicare conduplicare 7. 19. con contempricem contempricem 9. 4. plurimumquc plurimumque 9. antepenult fraudulenter frauduleter 10. tit. per cum per eum 10. 12. capite capite 10. 20. exercutium exercitium 11. 10. vt noua ne noua 11. 32. compare comparare 12. 10 pecularium peculiarium 12. vltima diſtinguntur diſtinguuntur 14. 9. nonnullis non nullis 14. 17. arſilla anilla 14. 20, qaanto quanto 14. 24. numeris innumeris 15. 17. ſuper ſuper 15. 27. choors cohors 15. 32. Dyonisius Dionisius 18. 7. quàm quam 19. 6. ſuam ſuam 19. 12. habetes hebetes 20. 16. deſignarerur deſignaretur 22. 1. Keligiones Religiones 23. 3. fratrumquæ fratrumque 25. 14. varietatem 34. 17. Societatis Societates 36. 9. reſponſinem reſponſitionem 37 3. inter non inter nos 41. 5. frœnat frænat 41. 9. Sanſtiſſimum ſanctiſſimum 42. 5. apppetunt appetunt 44. 2. S. Tomas S. Thomas 44. 32. propugandæ propagandæ 44. 36. Hine Hinc 46. 6. faſtiſcens fatiſcens 36, 26. vt pote vtpote 47. 3. appetionibus appetitionibus 47. 7. imbiuat imbibat 48. 2 latelliti ſatelliti 48. 18. eſſe eſſe 51. 2. lexamenta laxamenta 51. 28. ſcolaſticis ſcholaſticis 51. 36. feceſſus feceſſus 54. 2. præpoſoram præproperam 54. 13. exitiriales exitiales 55. 9. ſempſuoſa ſumptuoſa 55. 22. inexploratæ inexploratæ 56. 25. præcauero præcauere 58. 34. ad n. querentur admouenentur 63. 14. præſtantias præſtantius 59. 32. Socroſanctum ſacroſanctum 64. 3. moderatotibus moderatoribus 64. 32. ocianti otianti 66. 27. ſectiſque lectiſque 68. 17. in conſidera tam inconſideratam 69. 20. profecirint profecerint 69. 33. debaccater debacchatur 70. 19. multum multorum 69. 34. exauſtis exhauſtis 70. 5. miſſime ſimportari miſtiones importari 71. 11. offenſioneſq. offenſioneſque 71. 9. & ſi 72. 11. commendationum & ſi commendatione 76. vlt. priculum periculum 79. 31. nuquam nunquam 80. 15. metaphiſices metaphyſices 75. 28. Relionis Religionis 80. 28. non numero non tam numero 84. 31. coniungati coniugati 85. prima per opportuna peropportuna 87. 22. eiſmodi eiuſmodi 87. penult. procratrix prouocatrix 89. 8. præterqam præterquam 92. 10. apertiſtimè apertiſſimè 98. 29. ac ac, ac 160. 5. exquutiatur excutiatur 109. 24. homo humo 109. 32. valas valeas 106. 21. factilium fictilium 111. 20. ſerminarijs ſeminarijs 114. 11. exprimo ex primo 115. 24. acupingunt acu pingunt 117. 11. ſeperioribus ſuperioribus 117. 19. pœamatum Poëmatum 121. 30. percuntabar percontabar 123. prima latin rum latinarum 123. 14. humanorem humaniorem 123. 19. ſcœnam ſcenam 124. 23. Virgilio Virginio 126. 7. ſcœnis ſcenis 126. 13. ſecutus ſequutus 126. 17. ſcœna ſcena 126. 19. dramma drama 128. 2. diſſertus diſertus 128. 22. principes princeps irrepertæ irrepertæ 139. 4. Ariſtoles Ariſtoteles 139. 34. conſueuerint conſueuerit 140. numaraui numeraui 149. 2. ſtuduerunt ſtuduerint 159. uon non 166. primarie primariæ 167. lontos lentos 169. ſplendiſſima ſplendidiſſima 172. Cyprianus Cyprianus 173. 2. eſpoſtulationem expoſtulationem 173. 4. ilium vllum 173. Bidermannam Bidermannum 173. 9. lanininum luninum 175. 20. tiulo titulo 175. 28. aſſare aſſare 176. 18. officinæ officinæ 177. 28. voluptate voluptati 178. familv familiæ

178. an-

178 antepenult. ea deducere eas deducere 179. 2. ſufiſtentem ſubſiſtentem 179. vlt. monueritque monuetq. 184. 35. incomparabilꝫ incomparabilis 184.34. belua bellua 185. 12. llam acpudiari illum repudiari 187.5. auctors auctoris 189.30. peripatheticæ peripateticæ 190.20. peripathetica petipatetica 193. 35. iniuicundum iniucundum 195. 16. ſigillitatim ſingillatim 199. 24. beluas belluas 199. vltilias illas 202. 11. redarguntur redarguuntur 202. 11. Senæce Senecæ 204. 11. verò vero 214. 32. in opportunum inopportunum 216. 25. ſepudiatis repudiatis 219. vlt. ſun ſunt 225.5. pauais paucis 225. penulr. aggreſſiouis aggreſſionis 226. 14. cæteris Cæteris 226. 24. ex propinquiras & propinquitas 226. penult. trnaquillitate tranquillitate 227. 18. qni qui 228. 8. ſiuu ſinu 230. 21. ethnicis ethnicos 231. 5. naruralis naturalis 231. 24. optlmis optimis 231.27. puguacior pugnacior 232. 35. perluſtrarit perluſtrarit 232.24. mandarunt mandarunt 233. 6. qnia quia 234. 17. pcſitis poſitis 234. 11. intellectiꝫ intellectis 235. 11. aduerſariſ aduerſarijs 236. 6. vrpote vtpote 236,13. partes parte ſit 24. ſit 236. 6. reliqua reliqua 239,16. cilindro cylindro 240. 12: vitupres vituperes 240. 5. artifices artifices 244. 18, rcligioſo religioſo 244. 18. vnuſcuiuſq. vaiuſcuiuſq. 247. ſctiptoribus ſcriptoribus 248.34. omues omnes 248, penult. coſternaſſet conſternaſſet 249.4. nihij nihil 257.26. ſsd ſed 258. 15. ſcientia ſcientia 258. 17. cnlpæ culpæ 260. 14. profeſſione profeſſione 260.21. amplficari amplificari 262.24. reMotiſſimam remotiſſimam 262.32. igicur igitur 262. 35. capilloſq. capilloſq. 262. vlt. ſocietrte ſocietate 263, 21. mediocra mediocria 264. 27. nuuc nunc 264. 27. baccanalibus bacchanalibus 265.13. rctenta retéta 265.17. Soeitatem Societatem 265.25. tripliei triplici 267.16. re ſciſſa reſciſſa 269.34. rsccnſere recenſere 270.18. vetas veras 271.6. cſsesſse 271. 8. detegcrentur detegerentur 271.15. adnerſus aduerſus 272. 14. alies alio 272. 31. Petcunctor Percontor 274. prima nnm num 274. 27. qualiquaij quali quali 274.29. cuntis cunctis 275. 19. pretioſiſſimam pretioſiſſimam 277. 2. prudentlbus prudentibus 278. 15. fœlicitatem fœlicitatem 279. 7. ſubſcribant ſubſcribant 281.3. tituli Prſtpoſiti Præpoſiti 282. antepenult. Ambrotis Ambroſij 284. 1. P, irrritas irritas 285. 28. beluæ belluæ 285. 30. qnid quid 286.14. c cætetos cæteros 287.4. vuiuerſe vuiuerſe 287.13. ſuiſſe fuiſſe 287. 28. priuarorum priuatorum 278. 23. alteratura alteratura 287. Pantifices Pontifices 290,3. pronnnciat pronunciat 290. 5. præiudicinm præiudicium 290. 19. ſtatuea ſtatuta 290. 20. detreta decreta 291.11. einſtum eiuſdem 291. 15. proſcribuntur proſcribuntur 291. 26. Societatis Societatis 292.12. comprobantis comprobantis 292. 11. Aduerſarius Aduerſarius 292. penult. argnmeuti argumenti 294.4. cunſulere conſulere 295. 14. copido cupido 165. vlt. pcr per 296. 7. intimamam 296. 9. attitulo articulo 296.13. amiçe amice 296. 17. poſsnnt poſsunt 296.29. paſſimqne paſſimque 297. 27. nunqnam nunquam 297. antepenult. valididitatem validitatem 298. prima occideres occidere 298. prima rurſup rurſus 298: 9. potect poteſt 298. 9. diſponete diſponere 298. Gineralis Generalis 300. 2. menrem 300. 7. modo ſic modo ſit 300. penult. erir erit 302. 29. indicium iudicium 303. prima contræ contrà 303. 5. quiu quia 302. 6. adhac adhuc 303, 14. nec nec 303. 15. exemptieni exemptioni 304. 7. interregationi interrogationi 304. 19. Percunctur Percontor 304.21. quæcunqne quæcunque 305. 7. mplexum implexum 306. 10. tit. deciſie deciſio 306. 23. Regulæ Regulæ 307. 12. Proteſſos Profeſſos 308. 8. Pontifleis Pontificis 308. 8. durum durum 308.29. hniuſmodi huiuſmodi 308. 33. qno quo 308. vlt. validicatem validitatem 309. prima effectam effectum 309. promiſſarius promiſſarius 309. 12. ſeruandam ſeruandam 309,22. qni qui 309.22. Epiſcapi Epiſcopi 309.23. cx ex 309. 27. intetpretari interpretari 309. 30. oſt eſt 310. 5. nen non 310. ſubdito ſubdito 310. 10. continuatnr continuatur 311.2. hine hinc 311.31.

homini

Digitized by Google

homini homini 312. 36. reunnciatus renunciatus 332. 36. cœnobio cœnobio 332. vlr obligatio obligatio 333, 2. repræsentans repræsentans 333, 6. onerosa onerosa 333. 7. Clericus Clericus 333. 22. suscipere suscipere 333. 27. esset esset 333. 35. sunt sunt 334. prima contentio contentio 314. 37. vniuersis vniuersis 334. 32. vnamquemq. vnumquemque 355. 5. Regulares Regulares 335. 30. quæcumq. quæcumque 335. 35. inobsernatum inobseruatum 335. 36. retinendo retinendo 315. 26. Theologo Theologos 337. 7. vuniuersis vniuersis 337. 8. Cartusiani Carthusiani 337. 37. percontationi percunctationi 337. 38. adeopue adeoque 318. 21. Neophitum Neophytum 31. ij 24. ij. 319. lege 15. lege 319. dimissionis. 19. dimissionis. 319. aliquis 23. aliquibus 319. 23. cartusianorum Carthusianorum 319. necessarijs 25. necessarij 320. gens 6. gens 320. 18. semper semper 320. prudeus prudens 320. 32. auctot auctor 320. opreræ l. vlt. operæ 321. eognouerint 13. cognouerint 321. 14. societate Societate 321. 29. splendidioros splendidiores 322. 12. in tit. exigendi exigendi 322. 17. cnr cur 322. 29. cedere cedere 323. 19. mithras mitras 325. 16. enunciatione enunciatione 326. 15. mithræ mitræ 326. 17. ambrent ambirent 326. 26. facquenter frequenter 327. 13. pietaeis pietatis 328. 12. vei vel 328. l. penult. Ignarius Ignatius 329. 17. plurrs plures 330. 27. declamantibus declamantibus 331. 18. necesse necesse 331. 34. adolescentia 331. 18. llo illo 331. pleraqui plerumque 332. 3. constitutione constitutione 332. 10. Priucipe Principe 333. 18. imposuerunt imposuerunt 333. 17. equituri equitum 333. sbrogare l'antepenult. abrogare 333. penuit. Patrnm Patrum 334. 8. eauas causas 334. 23. scabics scabies 334. 26. symphorijs symphonij 333. 26. desiderio desiderio 335. 18. multirudini multitudini 336. 8. innoccntiæ innocentiæ 337. 137. 337. 337. 19. iguorant ignorant 338. 8. quibut quibus 338. 25. fae fac 339. 8. suffragaretur suffragaretur 342. 242. 342. 342. 10. potestote potestate 342. 10. violati violari 342. 15. vnltum vultum 342. 28. super super 342. tit. temperamentis temperamentis 342. 30. vestimentis 343. 4. substantiam substantiam 343. 11. euertandas euertendas 343. 23. nuncopamus nuncupamus 343. 29. Germanicæ Germanicæ 343. penult. couquisiti cõquisitis 344. 244. 344. 344. 29. Rempublicã Rempublicã 345. 34. uffectionum a ffectionũ 346. 3. snnt sunt 346. 18. quacumquæ quacumque 346. 19. iuimicum inimicum 347. 4. notauerlt notauerit 347. 12. possis possit 347. 17. illnd illud 347. 24. comperscit compescit 349. 15. snnt sunt 349. 27. existimate existimare 349. 30. sæculum sæculum 349. 16. sodaitia sodalitia 349. penult. difficultatis difficultatjs 351. 20. Prouinoialibus Prouincialibus 351. 23. quemcumqne quemcumque 352. 17. optimus optimus 352. 22. dafunctn defuncto 352. 30. instrumeutum instrumentum 352. 34. Generalibns Generalibus 353. 7. vb ab 353. 9. eosendæ cosendæ 354. 2. peimifenas primifenias 355. in tit. coi cui 355. 16. acquiescnnt acquiescũt 355. 18. potestatibus potestatibus 356. 8. eeu ceu 357. 21. Præscs Præses 457. in fine proijsdam pro ijsdem 358. pr. idoo ideo 358. 3. immuzare immutare 358. 4. Prineipem Principem 358. 8. efficere efficere 358. 10. longam 358. in fine ærarium ærarium 359. 10. creditas creditos 360. 3. positurus positurus 360. 13. Rectbri Rectori 360. 20. offcnsiones offensiones 360. 21. magistratunm magistratuum 360. 360. 30. graauioribus grauioribus 367. 12. Societate Societate 367. 19. illese ille se 366. 13. sinulque simulque 966. 2. Chartusianorum Carthusianorum 366. vlt. religiosæ religiosæ 364. 5. depositam depositam 364. 24. alteris alteri 365. penult. supremns supremus 369. p. mendiculs mendiculis 369. 34. obsidiore obsidione 370. 8. mensa mensa 370. 29. innoceutiam innocentiam 370. 34. consuetudine consuetudine 372. 13. scriptura scripturæ 373. 3. mensuram mensuram 373. 5 extimulant extimulant 373. 17. menti mensi 373. 26. titulo titulo 375. 30. famulo famulo 376. 12. inreriorem interiorem 376. 18. sodalitem sodalitatem 376. 28.

cmnium

cunium omnium 377. 4. proficientes proficientes 377. 9. prorogamus prorogamus 377. 14. cæterarum cæterarum 377. 21. imprudens imprudens 377. 23. fluentium fluentium 377. 24. exprobatione exprobratione 377. 35. ſalmantices ſalmanticenſes 378. p. legun legum 380. 14. collocarent collocarunt 380. 16. nihil nihil 381. 2. obditum abditum 381. 14. ſplendiore ſplendidiore 381. 23. dux dux 381. 30. perge perge 381. 30. nullò nullo 381. 33. difficile difficile 381. 38. adeòque adeóque 381. 39. hauc hanc 382. 25. dicinam diuinam 383. 15. contemplationi contemplationi 383. 18. obſeruauit obſeruauit 383. 19. immortaliter immortaliter 383. 32. inuitamenatum inuitamentum 384. 29. aliorumq. aliorumque 384. penult. fi fi 385. 12. notir nobjs 385. 28. noſtroruu noſtrorum 385. 31. quinque quinque 386. 12. edaclor edacior 386. 23. ſaculcatum faculcatum 386. 35. doctiſsimus doctiſſimus 386. penult. quon quod 387. 10. communiet communi & 387. 15. commauem commuem 387. 18. ſingullatim ſingillatim 387. 29. largitorum largitorum 388. 8. perſuaſit perſaſit 388. 10. ſuam ſuam 089. p. tit. Secietatis Societatis 389. 7. culcitra culcitra 389. 23. aperto aperto 089. penult. leuamenta leuamenta 390. 3. peceris præceperis 390. 27. oculo oculo 390. 29. ſerat ſerat 390. 32. ſubtiliſſimis ſubtiliſſimis 11. tori toti 392. penult. conſuetudine conſuetudine 397. 21. præclaris e præclaris 400. 12. noſtreuis noſtremis 400. 13. pumum ſummum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google